BX
801
.H37
1850
JESUITICA

I. 144, 15 H

TRACTATUS

de Ordine et de ecclesiastica hierarchia

Proœmium

"Ordo", in genere, definitur ab Augustino (de Civ. Dei XIX.13, cf. l.2. de Ordine) "plurium rerum parium imparium ve apta secundum aliquam rationem dispositio". Ordo nempe dicit unitatem in multitudine resultantem ex quadam variorum elementorum harmonia, proportione, dependentia.

Jam verò Hierarchia ecclesiastica, seu collectio illa hominum, quibus ministerium sacrum à Christo commissum est, dicta est "ordo" ("ordinem et plebem" Tertul. de exhort. castitatis c.7, loco dicendi: hierarchiam et simplices fideles; - "Ordinem Ecclesiæ" et "laicos" contradistinguit idem in lib. de Monogamia c. 11). Quam appellationem sic explicat Catech. Romanus, de Sacram. Ordinis, n.19: "Ordo est... dispositio superiorum et inferiorum rerum, quæ inter se ita aptatæ sunt, ut una ad alteram referatur. Cùm itaque in hoc ministerio (ecclesiastico) multi sint gradus, variæ functiones, omnia verò certâ ratione distributa sint, et collocata: rectè et commodè ordinis nomen ei impositum videtur."

Pariter quilibet ex gradibus hierarchiæ dictus est ordo, v.g. "ordo episcoporum, ordo diaconorum": sicut apud Romanos veteres, dicebatur "ordo senatorum, ordo equitum", &c.

Postea, ab effectu ad causam appellatione translata per metonymiam, "ordo" à Theologis dictus est etiam ipse ritus sacer, quo quis constituitur in aliquo ex illis gradibus: qui ritus clariùs dicitur "ordinatio."

Proinde, cùm ritus ille (saltem in quibusdam præcipuis sacri ministerii gradibus) habeat rationem sacramenti propriè dicti, nomine "Ordinis" etiam designatum est unum ex septem sacramentis propriè dictis, quæ in Novâ Lege existunt.

Inter Theologos de Ordine tractantes, non desunt, qui "Ordinem" secundum totam vocis amplitudinem sumentes, tractatum suum in duas præcipuas partes dividant, scilicet de ecclesiastica Hierarchia, et de Ordine ut est sacramentum; vel saltem qui, cùm tractant de sacramento Ordinis, plura intermiscent ad Ecclesiæ constitutionem ipsamque jurisdictionem spectantia. Ita v.g. celeber doctor Sorbonicus Ludo. Habert, e Nostris Becanus, &c. — Alii multi tractationem de Ordine restringunt magis. — Nos priorum methodum sequentes, plura hùc ponemus, quæ hodiè rejici solent ad tractatum de Ecclesia. Ratio est, quia tractatus de Ecclesia nostris præsertim diebus tanti est momenti tantæque amplitudinis, ut revera non possit cum tractatibus de locis theologicis et de vera Religione (pariter nostrâ ætate increscentibus) integrè et convenienter uno anno ab uno magistro explicari.

Igitur primùm dicemus de hierarchia ecclesiastica, deinde de sacramento Ordinis.

"Hierarchia" autem, seu, ex vi nominis, "principatus in res sacras" (Cf. de hoc nomine Petavium, lib. 2. de Angelis, c. 2) sumi potest vel objectivè pro ipsa potestate sacra objectoque eam specificante, vel (ut fit plerumque in usu recentiori vocis) subjectivè pro collectione personarum illâ potestate pollentium. Nos primùm in priori sensu, deinde in posteriori, dicemus de hierarchia: scilicet considerabimus primùm abstractam potestatem ecclesiasticam formaliter in se, deinde in quo subjecto resideat. Et quoniam hæc potestas duplex est præcipua, scil. "Ordinis" et "jurisdictionis", indeque duplex considerari potest hierarchia; ante omnia, duplicis hujus potestatis existentia demonstranda est et essentia accuratè distinguenda.

Disputatio i

De duplici potestate ecclesiastica, ordinis ac jurisdictionis, in se et formaliter spectata.

Thesis I.

In Ecclesia Christi existit potestas ordinis, à laicis clerum discriminans: – 2) et hæc potestas, duplicisque classis distinctio inter fideles, est de jure divino.

St.Q. Utriusque potestatis, ordinis et jurisdictionis, plenissima definitio ac distinctio resultabit ex probandis in hac disputatione: sed jam debemus sufficientem quamdam earum notionem tradere, ut sciatur de quo sit disputatio, utque probari possit utriusque existentia.

Potestas «ordinis», de quâ est præsens thesis, potissimùm consistit in facultate conficiendi Eucharistiam et sic offerendi sacrificium Novæ Legis:

quare Catechismus Romanus notionem aliquam tradens ambarum potestatum (l.c. n. 11) sic eas opponit: « Ordinis potestas ad verum (seu reale) Christi Domini corpus in sacrosancta eucharistia refertur. Jurisdictionis verò potestas tota in Christi corpore mystico versatur; ad eam enim spectat christianum populum gubernare et moderari, et ad æternam cælestemque beatitudinem dirigere. » Sed ut monet Card. Franzelin, de Ecclesia thes. V, « hic modus dicendi, ut plenam comprehendat divisionem, multis explicationibus indigere videtur »; itaque dicimus, hic tradi notionem aliquam, potius quam strictam definitionem et distinctionem utriusque potestatis.

Pleniorem jam notionem sic exhibet Lainez in suâ insigni disputatione de origine jurisdictionis Episcoporum, habitâ coram Concilio Tridentino, nostrisque diebus feliciter repertâ ac primùm editâ (Jac. Lainez Disput. Tridentinæ, edidit Hartmannus Grisar S. J., Oeniponte, 1886, t. 1 n. 54.

« Potestas ordinis (vel sacramentalis) est potestas quâ quis potest exsequi quosdam actus eminentes in Ecclesia, qui vel simpliciter vel saltem ordinariè non possunt fieri à non-consecrato; quales sunt, consecrare sive ordinare Ecclesiæ ministros, conficere Eucharistiam et eam et alia sacramenta ministrare, unguentum et altaria et ecclesias et vasa sacra virginesque sacrare ... Dicitur, prædictos actus vel non posse fieri, vel non posse ordinariè fieri à non consecratis: quia sublimiores non possunt omninò fieri à non habente per consecrationem potestatem ad eos actus ordinatam: neque enim non-episcopus potest ordinare sacerdotes, neque non-presbyter conficere Eucharistiam, vel absolvere in foro conscientiæ; alii verò actus minores, ut baptizare, possunt fieri à non-consecrato, qualis est laicus,

sed id non fit ordinariè, cùm proprius minister baptismi sit sacerdos, sed fit ex commissione; similiter etiam ex commissione presbyter potest sacramentum Confirmationis conferre et vasa et altaria et ecclesias consecrare secundùm quorumdam sententiam, quamvis ordinarius horum minister sit Episcopus, ut ex Patrum decretis constat.» Ergò potestas illa immediatè derivatur ex sacramento Ordinis recepto, seu ex consecratione quadam, quam necessariò supponit: et ideò dici solet «potestas ordinis.»

«Nimirum sacramentum Ordinis (ait Petavius, t. 8. Operum, de Eccles. hierarchia l. 3. c. 3. n. 6) duplici veluti dote censetur, ac totidem habet effecta. Nam quorumdam faciendorum jus potestatemque tribuit, quæ absque ordinatione propriâ non posset omninò facere: quemadmodum sacerdotalis ordinatio dat consecrandi Dominici corporis potestatem, quam nemo, nisi sacerdos, usurpare, aut verò consecrare potest... Aliorum verò sic potestatem dat Ordinis consecratio, ut, etsi absolutè sine eâ effici queant, non tamen vel licitè, vel ordinariè, vel publicâ specie apparatuque ac solemniter. Duo ex genere, baptismi est initiatio: quam etsi sine Ordine possint administrare laici, non tamen ordinariè hanc attingunt, nec nisi privatim, et instante necessitate.»

Actus varii potestatis jurisdictionis, è contra, per non-consecratos fieri possunt, quales sunt, præcipere, vetare, præmia et pœnas ecclesiasticas inferre, bona Ecclesiæ administrare, &c. — Præterea actus similes seu analogi habentur in potestate merè civili, in quâ non habentur actus similes actibus potestatis ordinis; proinde per potestatem jurisdictionis Ecclesia multò majorem analogiam exhibet cum Societate civili, quàm per potestatem ordinis, quæ est sacra modo specialissimo.

Ex ipsâ datâ Definitione ("potestas ad quosdam actus eminentes, seu specialiter sacros, qui fieri nequeunt per non-consecratos"), potestas ordinis, ut patet, essentialiter importat Distinctionem membrorum Ecclesiæ in duas categorias, unam non-consecratorum, alteram consecratorum; et potestas ordinis est propria hujus secundæ tantùm categoriæ. Igitur idem est revera probare illam Distinctionem duorum classium in Ecclesiâ, ac probare existentiam potestatis ordinis: quare utrumque simul per modum unius probabimus.

Ex usu jam antiquissimo (ut constabit ex Patrum Documentis in thesi afferendis) classes illæ designantur nomine laicorum et clericorum seu cleri. Origo prioris nominis facillimè patet: λαος, populus, vel "plebs" (ut habet Tertull. supra p. 3). Origo posterioris nominis cum quadam varietate explicatur: a) "Κληρος, latine sors: inde hujusmodi homines vocantur clerici, i. e. sorte electi, omnes enim Deus in suos elegit." Ita S. Hieron. (cit. in Corp. Juris, causa 12. q. 1. can. "Duo sunt") — Sors, cùm non pendeat à voluntate hominum, interventum voluntatis Dei hic significat. Fortasse etiam alluditur ad primam electionem ab Apostolis factam, scilicet S. Matthiæ, quæ facta est mediante sorte (Act. I. 26): admittit et hanc etymologiam S. Isidorus. — b). "Sortem" sæpè usus transtulit ad designandam hæreditatem, in variis linguis: fortasse quia hæredes nascuntur ut plurimùm, non fiunt, et sic hæreditas habetur sorte, non hominum electione. Ita Josue XXII. 7, et alibi in Scriptoris. Atqui nomen hæreditatis convenit ministris Ecclesiæ duplici titulo; tùm quia ipsi sunt portio Dei selecta; tùm quia Dominus ipse est eorum pars et hæreditas, ut dicitur de Levitis qui eos prefigurabant, Numer. XVIII. 20. — Deuter. X. 9, XVIII. 2. — Ita Hieron. epist. 52. ad Nepotianum, n. 5:

« Vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors i. e. pars clericorum est. » – In hac thesi, clerum spectamus modo generali – et confuso; nondum enim disserimus de subjecto potestatis ecclesiasticæ, sed potius de ipsa potestate in se consideratâ.

Adversarii sunt multi Protestantes, qui non solùm suppresserunt præcipuos ex illis eminentibus actibus, ad quos pertinet potestas ordinis, imprimis Sacrificium Novæ Legis cujus existentia contra eos demonstratur in tract. de Euchar.), ac proinde suppresserunt "sacerdotium" strictissimè dictum, cujus notio est correlativa veri "sacrificii" offerendi: sed etiam ad exercendos eos actus sacramentales quos ipsi retinuerunt, expressè declarant pares omnes fideles, diffuso in omnes sacerdotio quodam latè dicto et "generali", quo invisibiliter unguntur per Spiritum S.: præter quod sacerdotium, Sacramentumque baptismi, nullam aliam admittunt consecrationem: quanquam, ut vitetur confusio, certi viri deputari solent ad functiones pastorales obeundas, sed hæc censetur mera delegatio populi, qui sua jura in eos transfert, institutioque humana, non immediate divina.

Ita Luther in libro de instituendis ministris Eccl., ad Bohem (Opp. Edit. Jen. t. II p. 580): « Suntque prorsùs omnes Christiani sacerdotes, et omnes sacerdotes sunt christiani. » (Nempe sacerdos et christianus convertuntur). « Anathemaque sit sacerdotem alium asserere. » Et infra: « Nos in hoc stamus ... non esse alium baptismum, quàm quem quilibet christianus conferre potest; non aliam memoriam cœnæ dominicæ, quam ubi quilibet christianus facere potest quod Christus facere instituit; non esse aliud peccatum,

quam quod christianus quilibet ligare ant solvere debet, non esse aliud sacrificium, quam corpus cujus libet christiani." — Et in lib. de abroganda Missa, parte 1a, ait "christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus, nullus unctus, nullus rasus, nullus monachus esse debeat, sed tantum predicantes."

Calvinus verò (quamvis et ipse tollat sacrificium Missæ, distinctionemque Episcoporum et presbyterorum) umbram quamdam potestatis ordinis admittit. Nam a) ministros seu pastores (licet electos à populo) institutos à Deo agnoscit (Instit. l. 4. c. 3, passim), afferens textus Scripturæ et Patrum. Deinde b) admittit consecrationem quamdam seu ordinationem, ib. n. 16: "Reste le 4e point, que nous avons mis en la vocation des ministres: assavoir la cérémonie de les ordonner. ... Or combien qu'il n'y ait nul commandement exprès touchant l'imposition des mains: toutefois puisque nous voyons que les Apôtres l'ont eue en usage perpetuel, ce qu'ils ont observé tant diligemment nous doit être au lieu de précepte ... Car si l'Esprit de Dieu n'a rien institué en l'Eglise en vain, nous connaîtrons que cette cérémonie, laquelle est procédée de lui, ne serait pas inutile, moyennant qu'elle ne fût pas convertie en superstition." Imò c) hæsitando admittit eam ut verum Sacramentum, l. 4, c. 19. n. 28: "Quant est de l'imposition des mains, qui se fait pour introduire les vrais Prêtres et Ministres de l'Eglise en leur état, je ne répugne point qu'on ne la reçoive pour Sacrement. Car c'est une cérémonie prise de l'Ecriture, pour le premier: et puis, laquelle n'est point vaine (comme dit S. Paul, I. Tim. IV, 14), mais est un signe de la grâce spirituelle de Dieu. Ce que je ne l'ai pas mis en compte avec les deux autres (le Baptême et la Cène), c'est d'autant—

qu'il n'est pas ordinaire ni commun entre les fidèles, mais pour un office particulier.» Denique d) in Antidoto Conc. Tridentini ad can. 10. s. 7, solos illos ita ordinatos ministros facultatem sacramenta administrandi habere, adeò severè tuetur, ut ne urgente quidem necessitate velit competere laicis, præsertim feminis, conferendi Baptismi potestatem. Admittit igitur distinctionem quamdam duorum classium, ex institutione divina, et potestatem specialem ad actus quosdam sacros et eminentes, quâ carent non-consecrati. – A fortiori Anglicani agnoscunt quod in hac thesi volumus.

Destructionem potestatis ordinis, distinctionisque laicorum à sacerdotibus, ad extremum deduxerunt quædam Protestantium sectæ: v. g. Quakeri, qui et æqualitatem omnimodam fidelium proclamant, et liturgiam omnem, ritusque sensibiles et sacramentales omnes suppresserunt ut superstitionem et idololatriam: cf. eorum theologum Barclay citatum apud Mœhler, Symbolique, n. 68. Suppresserunt ipsos prædicatores ex officio tales, omnesque ministros: «Tous les fidèles, ignorants et savants, jeunes et vieux, hommes et femmes, tous ceux qui sont poussés par l'esprit doivent prêcher et glorifier Dieu publiquement dans l'assemblée des chrétiens.» Mœhler ibid.

Thesis nostra est de fide. Tridentinum s. 7. can. 10 definit: «Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, A. S.» Et s. 23. cap. 4. ait: «Quòd si quis omnes Christianos promiscuè Novi Test. Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm ecclesiasticam hierar-

chiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere.»

Probatur 1ª pars.

I. Ex Scriptura habemus quod volumus, si 1°) juxta Scripturam Apostoli receperunt potestatem quamdam distinctam à potestate jurisdictionis et pertinentem ad quosdam actus eminentes et specialiter sacros (non est necesse ut eos omnes enumeremus, sufficeret unus); — si 2°) ea potestas instituta est tanquam perpetua in Ecclesia post Apostolos, — si 3°) tanquam permansura in quibusdam specialibus hominibus non omnibus indiscriminatim christianis data; ita ut sit distinctio duplicis classis in Ecclesia; — si 4°) ritu quodam sacro homines constituuntur in hac potestate unde dicatur illa «potestas ordinis», scilicet ab ordinatione fluens.

Atqui hæc quatuor habemus ex Scriptura. — Ergò.

Probo Min. quoad 1m. —

Luc XXII. 19: «Hoc facite in meam commemorationem». Christus præcipit, ac proinde dat potestatem, ut ritum sensibilem Eucharistiæ religiosè repetant. Jam verò hæc potestas a) non est jurisdictio, qua homines gubernantur, sed potestas alia, pertinens ad Christum colendum, gratiamque hominibus procurandam, ac proinde b) ad actum aliquem eminentem et specialiter sacrum (et hoc etiamsi negaretur in illo actu ratio sacrificii, et negaretur præsentia realis Christi in Eucharistia, de quibus non est nostrum disputare.)

Posset afferri etiam textus Matt. XXVIII. 18, ubi Christus dat potestatem baptizandi non solùm Apostolis, sed etiam eorum successoribus, siquidem docentibus et baptizantibus ipse assistet «usque ad consummationem sæculi.» — Item textus Jacobi V. 14:

" Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Eccles sive, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini," etc., ubi specialis quædam potestas sacra, distincta à jurisdictione, exhibetur alligata speciali classi, scil. " presbyteris ", quod nomen designat homines in suo gradu constitutos per quamdam consecrationem, ut apparebit ex Scriptura infra in probatione quarti.

Probo Min. quoad 2^m.

Textus citatus Lucæ officium et potestatem confert Apostolis non tantum personaliter spectatis, sed etiam spectatis quatenus sibi post mortem erunt superstites in suis successoribus semper in Ecclesia. — Nam in textu parallelo I. Cor. XI. 26. habetur : " Hoc facite ... in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat ", scil. usque ad secundum Christi adventum in fine mundi. " In quo datur intelligi (ait S. Thomas in h. l.), quod hic ritus Ecclesiæ non cessabit usque ad finem mundi. " Atqui Apostoli tantum personaliter spectati non debebant in terris vivere et hunc ritum exercere usque ad mundi finem. Ergo.

Probo Min. quoad 3^m.

a) In textu Lucæ citato, Christus loquitur tantum (quoad præsens) de illos duodecim, quos ipse selegerat ex discipulorum turba et Apostolos nominaverat (Luc. VI. 13, seqq.), qui tum hoc ipso Apostolorum nomine tum tota serie factorum apparent semper ab aliis quadam auctoritate discreti (cf. Franzelin de Eccl. thes. VIII). Nec sine causa factum est quod omnes Evangelistæ in narratione Cenæ, Matthæus XXVI., Marcus XIV. et Lucas XXII. accurate describunt solos Apostolos ut

adstantes, quibus solis dicitur: "Hoc facite" &c. - Ergò sicut non toti multitudini fidelium tunc viventium, sed solis illis viris jamdiù segregatis. Christus eam potestatem contulit, ita nec eam contulit toti multitudini fidelium futurorum, sed solis iis, qui virorum illorum segregatorum hæredes et quasi continuatores forent in medio multitudinis futuræ, et quasi una persona moralis cum ipsis.

b) Confirmatur, quia hæc Christi verba "Hoc facite", ut per se patet et omnes admittunt, continent præceptum. Atqui Christus non dedit omnibus, etiam laicis, præceptum celebrandi et distribuendi Eucharistiam, ut etiam hæretici fatentur, et per se patet, quia alias omnes tenerentur celebrare, quod aperte falsum est, cùm ne permittantur quidem celebrare omnes, v.g. mulieres excluduntur ab illis hæreticis. Ergo Christus non loquebatur ad omnes, nec dedit omnibus potestatem illam.

c) Confirmatur et præclarâ Apostoli doctrinâ de corpore Ecclesiæ. Nam Rom. XII. 4, seqq. ait: "Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra, habentes autem donationes, secundùm gratiam quæ data est nobis, differentes: sive prophetiam secundùm rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina," &c. Atqui secundùm nostros adversarios, omnes fideles "eundem actum habent" omnes habent sacrum "ministerium"; vel saltem non esset inter eos illa diversitas stabilis et essentialis, sicut est v.g. inter oculum et pedem; vel saltem diversitas munerum in Ecclesia esset mera adinventio humana,

non autem divina donatio, ut dicit Apostolus. Ergo adversantur Apostolo.

Sed præsertim Ephes. IV. 11., segg., hæc evolvens, ait: « Et ipse (Christus) dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi » Habes hic institutam à Christo diversitatem conditionum ac statuum in Ecclesia seu in Christi corpore mystico, ad illud « ædificandum »: post ministeria extraordinaria et ex ipsâ naturâ suâ ad solum exordium Ecclesiæ pertinentia ut sunt Apostoli in Evangelistæ, Apostolus exhibet ministerium ex se ordinarium « pastorum et doctorum », ad conservandam in unitate et sanctificandam Ecclesiam. Et quod ministerium illud non limitetur ad sola initia Ecclesiæ apparet tum ex ipsius naturâ, tum etiam ex eo quod Apostolus statim addit, illos pastores et Doctores fuisse datos « in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes (οἱ πάντες, universitas completa prædestinatorum, ait Franzelin tract. de Trad., thes. V.)... in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi », — scilicet donec in fine mundi compleatur numerus prædestinatorum, quibus successivè additis insertisque ædificatur corpus Christi mysticum, ut ait Aug. in h. l. (de Civ. Dei l. 22. c. 18): « Ecce qui est vir perfectus, caput et corpus quod constat omnibus membris quæ suo tempore complebuntur, quotidie tamen eidem corpori accrescit dum ædificatur Ecclesia. » Cf. c. 15; et in Jo. tract. 21. n. 8.

Probo Min. quoad 4^m.

Scriptura testatur illos Pastores et Doctores,

qui successerunt Apostolis, fuisse ab initio constitutos in suo statu per ritum quendam sacrum, ex quo derivabant et potestatem et gratiam potestati annexam ad munus rite implendum. Nam Apostolus in I. Tim. IV. 14.; postquam Episcopi (in cap. III) munus descripsit, postquam (IV. 12) dixit Timotheo Episcopo: « Exemplum esto fidelium... Attende exhortationi et doctrinæ », addit: « Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. » Et in II. Tim. I. 6, iterum ait: « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. » Ergo habes ritum sensibilem, « impositionem manuum »: habes indolem sacram ritus, siquidem confert quandam « gratiam Dei »: utrum per modum sacramenti proprie dicti, nunc ad nos non pertinet, et ab hoc præscindimus.

Et sicut Timotheus fuerat ordinatus seu consecratus à Paulo sic alios eodem ritu ipse consecrare debebat presbyteros, homines tamen studiosè delectos, in quos potestas ordinis transiret. Nam I. Tim. V. 22, postquam egit Apostolus (v. 19) de modo judicii adversùs presbyteros, statim, in relatione ad constituendos presbyteros, hoc commendat Timotheo: « Manus citò nemini imposueris. » Unde (ut notat Franzelin de Eccl. thes. XV), quamvis significatio « impositionis manuum » multiplex sit, his tamen locis, ex contextu non potest intelligi alia quàm ordinationis, in Scripturis atque inde in universali usu ecclesiastico per excellentiam dicta « manuum impositio » (ἡ χειροτονία).

Pariter Apostolis (Act. XIII. 2) « dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam,

in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.» Ergo qui recipiunt ab Apostolis potestatem sacram, ipsi etiam «segregantur» à plebe, à laicis; et hoc fit per ritum sacrum impositionis manuum cum oratione. – Et postea Saulus et Barnabas ipsi aliis potestatem illam sacram ritu sacro communicant Act. XIV. 22: «Et cùm constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejuniationibus,» &c. – Et constituti ab ipsis, fari fœcunditate debent et alios in simili potestate constituere, ut Paulus scribit ad Titum, I. 5: «Reliqui te Cretæ ut... constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.» – Duo etiam confirmatur intenta à Deo perduratio et perpetuitas illius ministerii potestatisque post mortem Apostolorum.

II. Ex Patribus. –

Quoniam contra Protestantes præsertim agimus, satius est ut Traditionem potiùs historicè quàm dogmaticè spectemus (Cf. Franz. de Trad. thes. X). – Ubi verò Patres sumuntur tanquam meri testes historici, multò major est, ut patet, auctoritas eorum Patrum, qui ad tempora Apostolorum proximè accesserunt: quare eos maximè afferemus. Nam sic arguere possumus: Mentem Christi in sua Ecclesia constituenda, mentemque Apostolorum qui Ecclesias fundaverunt, illi maximè potuerunt cognoscere, qui propiùs ad Apostolos vixerunt, fuerintque eorum immediati discipuli, neque aliter in rebus humanis mentem cognoscimus eorum, qui aliquid fundaverunt et instituerunt. Atqui Patres etiam antiquissimi, testantur distinctionem duplicis classis in Ecclesia, scilicet laicorum, et habentium potestatem ordinis. Ergò. – Probemus Minorem.

1°). S. Clemens Romanus (ut verbis utar Card. Franzelin, de Eccl. thes. XV) « tempore apostolico et saltem S. Joanne adhuc superstite, declaravit Corinthiis ordinem divinorum ministeriorum, quomodò et à quibus peragenda sint. » Sermo ei est non sanè de Veteris sed de Novi Testamenti institutis observandis; quoniam verò veteri hierarchiæ tanquam typo respondet ut antitypus hierarchia N. Testamenti » (ut etiam alia ecclesiastica documenta frequenter docent, cf. Constit. Apost. l. VIII. c. 46; Dionys. de Eccl. hier. c. 5; Cyrill. alex., de ador. in spiritu l. 13; Hieronym. ad Evang. epist. 146 n. 2, c. Jovin. II. 28; Leonem M. serm. 8 de Passione c. 7, in Breviar., die 14 Sept.), « idcircò S. Pontifex unam explicat ex altera, et iisdem nominibus quibus describitur ordo sacerdotii antiqui, simul designat ordines hierarchiæ christianæ. » Ex verba ejus 1ae Epistolæ ad Cor., c. 40, 41 (Migne I, 290): « Cuncta ordine debemus facere (nos Christiani), quæ nos Dominus statutis temporibus peragere jussit: oblationes scilicet et officia (λειτουργίας) neque temere vel inordinate fieri præcepit, sed præfinitis temporibus et horis: ubi etiam et à quibus celebrari velit, ipse excelsissima sua voluntate definivit... Qui ergò assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt: nam qui sequuntur leges Domini, non aberrant. Summo quippe sacerdoti (ἀρχιερεῖ) sua munia (ἰδίαι λειτουργίαι) tributa sunt, et sacerdotibus (ἱερεῦσιν) locus proprius assignatus est; et levitis sua ministeria (διακονίαι) incumbunt: homo laicus (ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος) præceptis laicis constringitur. Unusquisque vestrum, fratres, in suo statu gratias Deo habeat in bona conscientia degens, non transgrediens

prescriptam muneris sui regulam, in honestate... Missus igitur est Christus à Deo, et apostoli à Christo: et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei... Prædicantes igitur per regiones et urbes, primitias earum Spiritu cùm probassent, in episcopos et diaconos eorum qui crediturierant, constituerunt.» Et c. 44: «Et apostoli nostri cognoverunt per D. N. J.-C., quòd futura esset contentio de nomine episcopatûs: ob eam ergò causam, perfectam præcognitionem adepti, constituerunt prædictos, et deinceps futuræ successionis regulam tradiderunt, ut, cùm illi decessissent, ministeriorum eorum (λειτουργιῶν) alii viri probati excciperent... Neque leve erit nostrum peccatum, si eos qui citra querelam et sanctè offerunt dona, ab episcopatu removerimus». Ubi «oblatio donorum», quæ in usu antiquo Eucharistiam significat, ex officiis episcopalibus sola nominatur, tanquam præcipuum officium; et sic potestas ordinis in episcopatu clarè asseritur.

Et genuinitatem illius Epistolæ et clarissimam hierarchiæ notionem ibi assertam ipsi Rationalistæ agnoscunt; v. g. Renan, les Evangiles, 2e ed. page 319: «Peu d'écrits sont aussi authentiques.» Et testimoniis Veterum citatis, addit: «S'ouvrage n'était connu jusqu'à ces derniers temps que par le Codex Alexandrinus. Il s'y trouvait une lacune de 2 pages. En 1875, Philothée Bryenne, métropolite de Serres, l'a publié complet d'après un manuscrit de la Bibliothèque du S. Sépulcre au Fanar (Constantinople, in-8°). Voir les nouvelles publications de M. Hilgenfeld, de MM. de Gebhardt et Harnack (Leipsig 1876), de M. Lightfoot (Londres 1877).» — Et p. 332: «L'auteur proclame hautement que le presbytérat, le clergé,

est antérieure au peuple. Les apôtres en établissant des Eglises, ont choisi, par inspiration de l'Esprit, les évêques et les diacres des futurs croyants. Les pouvoirs émanant des apôtres ont été transmis par une succession régulière. Aucune Eglise n'a donc le droit de destituer ses anciens (ch. 44). Le privilège des riches est nul dans l'Eglise. Pareillement ceux qui sont favorisés de dons mystiques, loin de se croire au dessus de la hiérarchie, doivent être les plus soumis ... Notre Epître tranche la question dans le sens du pur catholicisme. Le titre apostolique est tout, le droit du peuple est réduit à rien ... La préséance n'appartient pas aux dons spirituels, à la science, à la distinction; elle appartient à la hiérarchie, aux pouvoirs transmis par le canal de l'ordination canonique, laquelle se rattache aux apôtres par une chaîne non interrompue"

2°). S. Ignatius, Antiochiæ Episcopus et Apostoli Joannis discipulus, multis in locis hierarchiam illam ordinis, Episcopos, presbyteros & diaconos, commendat tanquam à populo discretam eique superiorem, et Apostolorum protestati sacros succedentem, atque ita necessariam, ut sine eâ Ecclesia non subsistat. V.g. ad Trallianos n. 2 et 3 (Migne V. 675): "Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis, sed et presbyterio subditi sitis, ut apostolis J.-Christi ... Oportet autem et diaconos, qui sunt diaconi mysteriorum J. Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt" (eorum functio non est circa res temporales tantùm, sed circa actus eminentiores et sacros) "sed Ecclesiæ Dei ministri ... Cuncti similiter reverentur diaconos ut mandatum Jesu Christi, et episcopum ut Jesum-Christum, Filium Patris,

et presbyteros ut senatum Dei" (συνέδριον Θεοῦ; quemadmodum apud Clementem, hic ab Ignatio comparatio videtur institui cum V. Testamento, ut advertit Franzelin, ibid.) "et concilium Apostolorum. Sine his... Ecclesia non vocatur" (scil., non est). — Cf. ad Magnesios n. 7, &c. — De genuinitate illarum Ignatii epistolarum cf. DDd. Freppel, les Pères Apostoliques, 16e leçon — (vel codicem meum de Eccl. p. 17, seqq.).

3°) S. Justinus in medio sæculo II, in 1a sua Apologia c. 65, exhibet hierarchiam (e qua solos "diaconos" proprio nomine designat) ut connexam cum potestate ad actus quosdam eminentes et sacros, proinde cum potestate ordinis: (Migne VI. 427): "Ei, qui fratribus præest, panis offertur, et poculum aquæ et vini: quibus ille acceptis, laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit... Postquam preces et eucharistiam absolvit, omnis populus (λαός) acclamat, Amen... Qui apud nos dicuntur diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiæ actæ sunt, unicuique præsentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt. Atque hoc alimentum apud nos vocatur eucharistia," &c.

4°) Opusculum nuper inventum (a. 1875) à Philotheo Bryennio Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων, de quo Critici multum hodie disceptant, jure habetur ut antiquissimum, imò fortasse sæculo I° scriptum. Bollandista P. de Smedt (L'Organisation des Eglises chrét. jusqu'au milieu du 3e siècle, publié dans les œuvres du Congrès scient. international des Catholiques, 1889, t. 2) ait: "Les arguments du Dr Funk (Tübingue, 1887) m'ont semblé suffisants pour

placer la composition de ce petit écrit au 1er siècle."
Et addit: « La mission d'offrir le sacrifice eucharistique est nettement attribuée aux ἐπίσκοποι par l'auteur de la Doctrine des douze Apôtres, qui rattache l'institution des ἐπίσκοποι et des διάκονοι à la célébration de l'eucharistie. » — Etenim auctor, cap. 14 et 15, postquam locutus est de sacrificio eucharistico rectè et purè celebrando, addit: « Ordinentur ergò episcopi et diaconi, digni Domino."

5°) Tertullianus sæpè distinctionem hierarchicam asserit: v. g. exprobrat Gnosticis, quòd hierarchiæ gradus apud se confundant et perturbent, de Præscript. c. 41 (Migne II. 56): ubi etiam memorat "ordinationes", quibus « collocantur » homines in suo gradu hierarchiæ: « Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes: nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloriâ eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam faciliùs proficitur (nulle part un avancement plus facile), quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodiè episcopus, cras alius; hodiè diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus: nam et laicis sacerdotalia munera injungunt."

Quomodò ex ordine fluat potestas quædam ordinaria baptizandi, quæ in laicis deest, explicat in lib. de Baptismo, c. 17. (Migne I. 1218): "Dandi (Baptismum) habet jus summus sacerdos, qui est episcopus. Dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem: quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est... Sed quantò magis laicis disciplina verecundiæ et modestiæ incumbit, cum ea majoribus competat, ne sibi assumant dictum episcopi officium episcopatûs... Sufficiat scilicet in necessa-

tatibus ut utaris (dans le cas de necessité), siubi ant loci, ant temporis, ant personæ conditio compellit, ... cùm urget circumstantia periclitantis."

6°) Origenes, homil. 11 (al. 7.) in Jeremiam, n. 3 (Migne XIII. 370), explicans illud: "Cleri eorum non proderunt eis", dit: "Hæc ante me alii exposuerunt" (ergo sæculo II, nam Origenes scribebat initio III^i), "et quia non improbo interpretationem eorum, consentiens eamdem profero. ... Nos qui in clericatûs vobis ordine præsidemus... nosse debetis non statim in eo esse salvandos, quia clerici sumus: multi enim et presbyteri pereunt, et laici (λαϊκοὶ) beatissimi reperiuntur. Quia igitur sunt quidam clerici (τινὲς ἐν κλήρῳ) non ita viventes, ut et ipsi ex ordine capiant fructum et ornamento suæ sint dignitati, idcircò aiunt qui exposuerunt prophetam nunc dicentem: Cleri eorum non proderunt eis. Utilitas quippe clericatûs non in eo (est), si quis in agmine sedeat presbyterorum (ἐν πρεσβυτερίῳ), sed si juxta locum suum, et juxta præcepta Domini dignus incedat ... Plus à me exigitur quam à diacono; plus à diacono quam à laico. Qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesiâ reddet rationem." - Versio est S. Hieronymi.

7°) S. Hieronymus potestatem ordinis ab Apostolis ortam clarè asserit, quâ Clerici distinguuntur, epist. ad Heliodorum n. 6 (Migne XXII. 352): "Provocabis ad Clericos... Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, quia Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus. Qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant... Sed alia, ut ante perstrinxi, Monachorum est causa, alia Clericorum. Clerici

pascunt oves: ego pascor... Mihi ante presbyterum sedere non licet", &c.

Et in dialogo c. Luciferianos n. 21. (Migne XXIII. 175) asserit, Ecclesiam sine Clero esse non posse; vituperat Luciferianos, apud quos laici erant pro episcopis; cùm enim illi haberent auctorem Hilarium, qui diaconus tantùm erat, non poterat ille ordinare sibi clerum; ita ejus secta interire debuit. Ergo datur aliqua potestas sacra, quæ revera non est laicorum etiam in casu necessitatis, imò nec diaconorum. En verba S. Doctoris: "Hilarius cùm diaconus de Ecclesia recesserit, solusque, ut putat, turba sit mundi, neque eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens: neque baptisma sine eucharistiâ tradere. Et cùm jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit et secta, quia post se nullum Clericum diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habet sacerdotes. Sed omissis paucis hominculis, qui ipsi et laici sunt et episcopi, audita quid de omni Ecclesia sentiendum sit."

Alia Patrum testimonia habes apud P. de Smedt, l. c. – Franzelin de Eccl. thes. XV; – Klee, hist. des dogmes t. 2. ch. 6, l'Ordre; – Thomassin, Vetus et nova Eccl. Disciplina, p. 1, l. 1, c. 51, seqq. – Fideles hoc generaliter sensisse, constat ex historia ecclesiastica. Sic fideles tempore persecutionis accipiebant particulas consecratas, easque domum deferebant, ne opportunis temporibus Eucharistia sibi deesset; idem faciebant ii, qui in locis dissitis monasticam agebant vitam: agnoscebant facto, laicis non competere, etiam in casu necessitatis, potestatem tale sacramentum conficiendi. Item v. g. ut refert Victor Vitensis de Persecutione Vandalica lib. 2. c. 11 (Migne LVIII. 212),

Episcopos sacerdotesque in exsilium abreptos ita alloquebatur populus, ut agnosceret sibi, etiam in casu necessitatis, potestatem ordinis non competere. « Per vertices montium et concava vallium concurrentes turbæ fidelium investimabiles descendebant cereos manibus gestantes, suosque infantulos vestigiis martyrum projicientes, ista voce clamabant : Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, et reconciliationis indulgentiâ, obstrictos peccatorum vinculis, solaturi? quia vobis dictum est : Quæcumque solveritis, &c. (Matt. XVIII. 18). Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? aut à quibus divini sacrificii ritus exhibendus est consuetus? Vobiscum et nos libeat pergere, si liceret, ut tali modo filios à patribus nulla necessitas separaret! »

Effugium quorumdam Protestantium et Rationalistarum hodiernorum : « Optima sunt illa testimonia ut referentia posteriorem Ecclesiæ constitutionem : sed dicendum est, Clementem Romanum et alios mutavisse statum Ecclesiæ priorem, destruxisse illam æqualitatem juvium inter fideles, quam Christus et Paulus instituerant, laicos abdicavisse. » Ita E. Renan, l. cit. (Les Evang., Ch. 15) : « L'histoire de la hiérarchie ecclésiastique est l'histoire d'une triple abdication, la communauté des fidèles remettant d'abord tous les pouvoirs entre les mains des anciens ou presbyteri, le corps presbytéral arrivant à se résumer en un seul personnage qui est l'episcopos, puis les episcopi de l'Eglise latine arrivant à s'annuler devant un d'entre eux qui est le pape. Ce dernier progrès, si on peut l'appeler ainsi, ne s'est accom-

pli que de nos jours. La création de l'épiscopat est l'œuvre du IIe. siècle. L'absorption de l'Eglise par les presbyteri est un fait accompli avant la fin du Ier.;

Resp. 1°). Quòd Christus, quòd Paulus ~ instituerit æqualitatem omnis potestatis inter fideles, non solùm sine aptis argumentis fingunt adversarii, sed nos directè ex Scripturis, supra, contrarium probavimus.

2°). Hypothesis mutationis, quam imaginantur, ex adjunctis planè refugnat. Nam a) viri illi, ut Clemens, Ignatius, qui (tempore cum essent adeò propinqui Christo et Apostolis) non poterant institutiones eorum ignorare, præsertim ubi agebatur de fundamentali Ecclesiæ constitutione, solemniter asserunt, ipsum Christum per Apostolos instituisse inæqualitatem potestatis, nec potestatem sacram ordinis dedisse omnibus. Ergò dicendum esset, mentitos esse viros illos, quos tota historia exhibet ut sanctissimos: et mentitos esse in ea materia, in quâ facillimè poterat à cœcis mendacium deprehendi et conspui, cum magno ipsorum incommodo. — b) Dicendum esset, conspirasse in eodem mendacio Orientem et Occidentem, et in Ecclesiis populisque tam diversis dissitisque, acceptatam fuisse eamdem fabulam, laicis ubique simul et subitò ante finem Ii sæculi sacerdotium suum abdicantibus: cùm tamen naturale sit hominibus sua jura defendere, nec possint tot homines tamque subitò concordare in faciendo quod naturale non est. Si Christus dedisset laicis potestatem conficiendi Eucharistiam, &c., potestne intelligi, christianos illos in 1° jam sæculo renuntiasse illi beneficio, vel sine reclamatione et controversia permisisse munus illud sibi eripi et mutationem fieri in re tam publicâ, tam subjectâ oculis omnium!

Non solum naturalis proprietatum defensio jurium, sed religio et pietas eos impulissent contra mendaces et sacrilegos novatores ac prioris constitutionis Ecclesiasticæ destructores, et in monumentis sæculi IIi haberemus magnas de ea re controversias: ibi enim longas habemus controversias v.g. de die in quo debeat Pascha celebrari: quanto magis de re tanti momenti!

III. Ratione

Etsi non possit rigorosè demonstrari institutio illa positiva, saltem ostenditur, quam sit consona rectæ rationi, seu quantæ congruentiæ fuerit, Deum id instituere:

1°). Cum Gulielmo Parisiensi, de Sacram. Ordinis c. 1: « Sanctificatio (aliorum hominum) est, inter opera quæ ministerio hominum exercentur, nobilissima atque præcipua: necessariò ergò specialem ac proprium oportet ejus ministrum (esse). Si enim ministratio panis et vini, cæterorumque carnalium et temporalium, in omni domo perfectæ dispositionis per deputatos sibi ministros administratur: quanto fortiùs in rebus spiritualibus solicitudo ista et diligentia adhibenda est, ne confusio scilicet aut indecentia ministrorum, non solùm defectum et imperfectionem, sed etiam periculum fiariat spirituale?! »

2°). Idem ibid.: « Quia necessariò habet Deus sacrificium sive sanctuarium visibile, hoc est templum cultui ejus et honori dedicatum et consecratum » (de necessitate cultûs externi et publici Cf. Ethicam), « habet necessariò et vasa cultûs, ejus ministerio sanctificata: quapropter necesse est, ut habeat ministros templi istius cultui et ministerio deputatos et consecratos. Generali siquidem cultui divino, qui non est nisi religiosa ac sancta vita, vacare potest communitas ho-

minum (laici), et sollicitudinem gerere (simul) suorum exteriorum temporalium: cultui autem isti speciali, qui Deo in templo suo visibili visibiliter impenditur, qui assiduitatem diei et noctis requirit, intendere non potuit nec potest communitas hominum: quare necesse est ipsum cultum ministros habere determinatos et proprios, qui ejus solam gerant sollicitudinem, et ab aliis seorsum se faciant... Si enim templum et vasa propter Dei honorem et cultum dedicanda et sanctificanda sunt, ut in eis ipsi reverentius, honorificentius et sanctius serviatur: quanto fortius ipsi ministri ad hoc deputati sanctificatione appropriata consecrandi erunt?»

3°). Hinc consensus populorum moraliter universalis ad quid simile instituendum vel retinendum, teste historia. Apud ipsos Ethnicos semper aliqui fuerunt à reliquo populo segregati, qui sacerdotii functionibus intenderent, ut observat Aristoteles l. VII. Politic., c. 7, ubi sacerdotes tanquam reipublicæ membra à reliquis distincta et necessaria describit.

Cf. et S. Thom., in Suppl. q. 34. a. 1. in corp.

~ 2a pars. ~

St. 2. Ut explicat Sainez, op. cit. (cf. supra p. 6), n. 30, "quæstio de jure divino vel humano a) non habet locum in rebus quæ non instituuntur per leges; et ita non quærimus, an angeli vel cœli vel elementa, &c. sint juris divini vel humani". Imo b) "non proprie dicuntur ipsæ leges esse de jure divino vel de jure humano, quia potius sunt ipsummet jus divinum vel jus humanum; et improprie dicitur legem esse de lege, et jus de jure. Loquendo autem

vel de materia ipsa legibus contenta vel de hominum potestate (institutis per legem), vel de sacramentis et ritibus, proprie queritur, an hoc vel illud sit de jure divino vel humano... Et de quovis horum querere, an sit de jure divino, nihil aliud est quam querere, an sit institutum lege aliqua, quae proprie sit jus divinum!»

Jus divinum et jus humanum in hoc conveniunt, a) quod sint lex justa: "quod enim non est lex vel non est lex justa, non meretur nomen juris."; — b) et in hoc, quod utrumque sit aliquomodo à Deo; ipsa enim lex humana vim suam obligandi in conscientiâ, quâ verè lex est, à Deo derivat (Cf. Ethicam). — Discrimen autem in hoc est, quod jus divinum sit à Deo immediatè, jus humanum mediatè. Sed quoniam "immediatio", sicut et "mediatio" quam excludit, multiplex spectari potest, ideò debemus diligenter explicare, quid in hac quaestione intelligamus illo vocabulo "immediatè".

Illud dicitur à Deo immediatè institui, et sic esse de jure divino, quod Deus ipse, ad exclusionem alterius libertatis cujuscumque, prior elegit seu praedefinivit in particulari, personam legislatoris assumens. Non tamen excluditur a) mediatio hominis ut promulgatoris, ut praeconis, per quem cognoscamus institutionem illam Dei positivam: imò supernaturalia Dei instituta non possumus nisi per revelationem cognoscere, revelatio autem in praesenti ordine non est immediata ad singulos fideles, sed mediata per humanum ministerium. Neque excluditur b) libera quaedam determinatio illius promulgatoris seu ministri humani; non enim merè passivè se habet tanquam inanime quoddam ins-

trumentum, sed liberè acceptat quod praedefinivit Deus, libereque ministrat. Et excluditur prima electio, prima determinatio legis. P. g. minister sacramenti à Deo instituti liberè quidem ministrat, non autem ipse eligit et definit ritum sacramentalem, sed juxta formam sibi prescriptam agere debet, alioquin nihil validum facit: et pariter promulgator legis divinæ, quod Deus praedefinivit, id ipse subsequitur et aliis manifestat.

Illud autem dicitur à Deo mediatè institui, — immediatè verò ab hominibus, ac proinde esse de jure humano non divino, — quod homo, acceptâ à Deo generali potestate ferendi leges, sed nullâ in particulari sibi à Deo dictatâ lege, liberè eligit ac definit. Tunc sanè non excludimus a) concursum illum immediatum, quem Deus habet in omnibus actionibus creaturæ, nec b) specialem influxum gratiæ, qui est etiam et novo modo immediatus, qui saltem in legislatore christiano haberi potest: sed hæc tandem adjutoria non talia sunt, ut perea Deus — praedefiniat et dictet homini textum legis, et homo recipiat illum tanquam à Divino Legislatore, ipsum obligante ad promulgandum hoc tanquam legem divinam. Ergo non habetur ex parte Dei eadem illa immediatio, quæ in alio casu haberetur, quam solam in præsenti quæstione spectamus.

Varii sunt modi et gradus, quibus potest Deus aliquid instituere mediatè: 1°) Ut auctor naturæ: sic per legem naturalem collatis principiis naturali potestate legislativâ, eo ipso mediatè statuit omnes justas leges civiles justaque instituta civitatum, ut dicit et Scriptura, Prov. VIII. 15, 16; Rom. XIII, &c. — 2°) Ut auctor supernaturalis:

sic Deus, per legem suam positivam collata Ecclesiæ supernaturali potestate legislativa (ut infra probabimus thes. II.), eo ipso mediatè statuit omnes Ecclesiæ leges, omnia justa statuta etiam particularia, omnia justa judicia, &c. — 3°) Ut assistens insuper. Majorem enim gradum interventûs mediati Deus habet, si non solùm contulit generaliter potestatem legiferam, sed etiam in quâdam determinatâ lege condendâ legislatori assistit, ab errore eum protegens. Quæ assistentia sedulò distinguenda est ab inspiratione et revelatione. Si Deus stricto sensu inspiraret et revelaret legem, scilicet eam dictaret, assumens sibi personam legislatoris, ita ut humanus legislator sive minister susciperet aliquid à Deo jam præformatum et positum in ratione legis, tunc Deus esset immediatus institutor, resque instituta esset juris divini, juxta datas vocum definitiones. Quandò verò Deus tantùm assistit, nullam tunc novam revelationem à Deo suscipit minister humanus, quâ sibi prædefiniatur forma legis & institutionis, cum obligatione eam fideliter ut divinam promulgandi: sed tantùm Deus pro suâ promissione invigilat, ne labori humano error admisceatur, variisque Providentiæ viis et modis defectum illum impedit: remanet igitur homo immediatus institutor et legislator, quamvis Dei interventio major sit, quàm in casibus ubi nec assistit. Ut probatur in tract. de Ecclesia vel de Fide, leges generales Ecclesiæ (non verò particularium locorum ecclesiastica statuta, nec judicia personarum, &c.) gaudent tali assistentiâ, saltem eo sensu, quòd nihil potest in eis legibus contradicere fidei vel bonis moribus. Inde meliùs intelligitur, cur aliquandò Patres nomen "juris divini, legum divinarum", laxiori sensu transferant ad leges eccle-

siasticas: cur eis opponant tanquam «humanas» leges civiles, quamvis et ipsæ sint mediatè à Deo, sed tanquam auctore naturæ, et sine assistentia illa. Multos eorum textus habes apud Lainium, opere cit., initio. Distingue igitur jus divinum strictè seu propriè sumptum, quod supra definivimus, à jure divino latè et impropriè sumpto.

Item varii sunt modi et gradus, quibus potest Deus aliquid instituere immediatè (ita ut res sit propriè de jure divino): 1°) Ut auctor naturæ. Sic, inquit Lainez l.c. n. 7, «jus naturale, hoc est dictamen ipsum inditum hominibus ex ipso naturali rationis lumine, jus divinum est et dicitur. Est enim lex justa et à Deo immediatè condita: ipse enim Deus, qui immediatè creat animas, indidit illis hoc naturale jus.» Ratio humana legem hanc naturalem non facit, sed suscipit: non est legislator ejus, sed quasi præco et promulgator (Cf. Ethicam). 2°) Ut auctor supernaturalis: sic, quoties Deus alicui homini suo legato, revelando dictavit aliquam legem, aliis hominibus transmittendam: ut Moysi Decalogum, Apostolis illa instituta, quæ post Christi Ascensionem ipsi promulgaverunt. De Apostolis sedulò advertendum est, eos duplex munus habuisse: a) ut essent, quoad quædam, juris divini promulgatores: b) ut potestate ecclesiastica generaliter acceptâ uterentur ad condendas leges quæ essent juris propriè humani, et sic essent ipsi legislatores. Ad rem S. Thomas, Quod lib. 4, art. 13. «Apostolus dupliciter in doctrinâ suâ aliqua proposuit: quædam quidem sicut promulgans jus divinum, sicut illud quod habetur ad Galat. v. 2: Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit; et multa alia hujusmodi: et in hoc Papa non potest dispensare. Quædam verò sicut propriâ auctoritate

aliqua statuens; nam ipse dicit, I. Cor. XI. 34: Cætera cùm venero disponam: et infra, 16, mandavit ut collectæ quæ fiunt in sanctos, per unam sabbati fiant, quod non pertinet ad jus divinum. Et similiter etiam quod dicitur de bigamo non promovendo (I. Tim. III, & Tit. I) non est juris divini, sed institutio auctoritatis humanæ divinitus homini concessæ." Et Lainez ib. n. 23: "Qua apostoli erant et nuntii, nudi erant ministri verbi Dei et pro Deo legatione fungebantur ad promulgandum evangelium et jus divinum. Qua etiam potestatem ordinis habebant, nudi ministri erant sacramentorum, sicut alii presbyteri vel episcopi; ... juxta formam sibi prescriptam agere debebant, alioquin errassent et nihil fecissent ... Qua verò pastores erant, potestatem habebant jurisdictionis ac leges positivas condebant. Et licet eas in personâ Christi proferrent, tamen etiam à personâ propriâ providebant, quatenus eorum arbitrio, regulato quidem à Deo, erat commissus usus illius potestatis. Ideo Paulus dicit: Ego judicavi (I. Cor. V. 3), ego donavi (II. Cor. II. 10), ego divinis agam (II. Cor. XIII. 10); et Tito dixit (Tit. II. 15), ut cum omni imperio arguat. Et idcirco, quia ab hominis auctoritate et arbitrio emanabant hæ leges, non erant propriè divinum jus." — 3°) Aliquomodo magis immediatè, Deus instituit ea, quæ per Christum in terris degentem instituit: quia tunc non solùm legislator sed etiam promulgator erat verè Deus: quod certè majorem quandam dignitatem seu decus affert institutis; et sic instituta fuisse omnia Sacramenta immediatè à Christo, probatur in tract. de Sacram. in genere. Sed hoc discrimen est merè accidentale, et propriè sunt juris divini etiam ea divina

instituta, quae promulgata sunt non per Christum sed per Apostolos; non tantùm ea, quae à Christo in terris degente susceperant secretò, post ipsius à terris discessum promulganda; sed etiam ea quae susceperunt à Spiritu Sancto per novas revelationes ipsis factas post illum discessum: "traditiones quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt", ait Trid. sess. 4.

Ergò ut aliquid sit de jure divino, satis est quod sit à Deo institutum immediatè, imo ex illis modis, et quòd haec origo nobis certò constet, quocumque tandem intermedio: sive per Scripturam sive per traditionem. Falsum enim est criterium istud ad dignoscendum quae sint de jure divino, scilicet quòd inveniantur in Scriptura Sacra. Istud enim nec sufficit, nec requiritur. a) Non sufficit. Nam si sufficeret (ut arguit Suarez ib. n. 27, 10) "lex Pharaonis iniqua de nece infantium et afflictione Judaeorum, leges humanae justae principum ethnicorum, ut Cyri et Assueri, essent jus divinum ... Apostoli, ut Act. XV. 28. seqq. dicitur, praeceperunt, abstinere à sanguine et suffocato, quod tamen non est jus divinum N. Testamenti, quia videmus desuetudine esse abrogatum" (atqui jus divinum abrogari nequit, nec Deus permisisset suam Ecclesiam indefectibilem ita defecisse, cf. tract. de Eccl.) – Ergo etsi inspirationem habuit v.g. Paulus ad scribendas suas Epistolas, dictante Deo quid scriberet, tamen nonnulla praecepta contenta in Epistolis, non sunt nisi jus humanum, Deus enim non assumpsit ibi personam legislatoris, sed reliquit Apostoli arbitrio condendum praeceptum, et solam postea praecepti scriptionem dictavit, cùm potuisset Apostolus ibi alia scribere, et aliter

quam per scriptionem inspiratam præceptum suum communicare. – Sicut igitur (ait Suarez ib. n. 24) « Scriptura canonica et divina est, licet multa dicta et facta impiorum narret, quia à Deo est ipsa narratio, non autem ipsa male dicta vel facta: ita etiam divina et canonica est Scriptura, licet narret multas humanas leges, quia narratio ipsa à Deo est et per Ecclesiam ut canonica probata, licet leges narratæ sint humanæ. » – c) Nec requiritur. Multorum sacramentorum formæ et materiæ non sunt in ipsa Scriptura, et tamen sunt juris divini sicut alia quæ in Scripturâ sunt. Sane in primis omninò Ecclesiæ temporibus, antequam Apostoli et Evangelistæ scripsissent, quandò sola exstabat Scriptura Veteris Testamenti, jam exsistebant præcepta Christi, jus divinum Novi Testamenti, v. g. quæ pertinent ad baptismum, Eucharistiam, &c.: potest igitur exsistere jus divinum quin contineatur in Scripturis. Nec postea in suis brevissimis libris Apostoli omnia scripserunt, unde aliqua remanserunt extra Scripturam canonicam, contenta in Traditione; cf. II. Thess. II. 14; et Franzelin de Trad. thes. 20.

Instituta sacra quatenùs per traditionem conservata sunt, vocantur « Traditiones. » Sicut igitur distinximus jus divinum et humanum in Ecclesiâ, ita distinguuntur traditiones divinæ à non-divinis. a) Divinæ subdividuntur in dominicas, quæ habuerunt Christum visibilem promulgatorem in terris, et divino-apostolicas, quarum Apostoli post discessum Christi fuerunt primi promulgatores. « Ex hoc discrimine primi visibilis promulgatoris (ait Franz. de Trad. thes. 1.) nulla diversitas auctoritatis, distinctio tamen accidentalis et historica petitur traditionis divinæ. » – c) Non-

-divinae subdividuntur in simpliciter apostolicas, quae non meros promulgatores, sed auctores habent Apostolos: et ecclesiasticas, quae originem habent ab auctoritate ecclesiastica in decursu saeculorum: quae vel sunt particularium Ecclesiarum, vel universalis Ecclesiae. Inter traditiones, quae auctores habent Apostolos, et traditiones, quae auctorem habent supremam auctoritatem ecclesiasticam post Apostolos (et ita obligant universam Ecclesiam) nulla datur diversitas auctoritatis, sed tantum distinctio accidentalis et historica: cum legifera potestas Apostolorum in Ecclesia permaneat, ut probabimus." Praecepta et instituta traditionis simpliciter apostolicae subsunt potestati apostolicae in Petri successoribus perpetuae, ut haec potestas apostolica non modo sicut in lege superioris ad declarationem, sed etiam sicut in lege sua ad modificationem, dispensationem et, si rerum adjuncta postulaverint, ad abrogationem se extendat." (Franz. ibid.). Sic modum administrandi baptismi per trinam in aquas immersionem, quam traditionem "Apostolicam" dicit S. Basilius in lib. de Spiritu S. c. 27, Ecclesia potuit immutare: cf. Petavium de Eccles. Hierarchia, l. c. 1. n. 3, 4.

Caeterum, ut magis penetremus naturam juris divini et juris humani (prout hoc comprehendit etiam ecclesiasticum, non civile tantum), libet considerare oppositas proprietates utriusque. Quae ad duas praecipuas reduci possunt:

1°) Jus divinum est magis indeterminatum: et praesertim in N. Test. "non multum descendit ad particularia, nec de accessoriis et mediis tractat, ut saepe fiebat in vetere Testamento... Jus divinum dicit esse jejunandum, jus positivum (ecclesiasticum), quomodo et quando. Jus divinum jubet recipere sacramenta, h. e. eorum essentialia;

positivum (ecclesiasticum), quo ritu et modo, et quoties sint suscipienda, et ita de aliis." Cajetan. ib. n. 32. Et S. Thomas. Quodlib. 4. a. 13: "Lex vetus determinabat multa tam in præceptis cæremonialibus pertinentibus ad cultum Dei, quam etiam in præceptis judicialibus pertinentibus ad justitiam inter homines conservandam. Sed lex nova, quæ est lex libertatis, hujusmodi determinationes non habet, sed est contenta præceptis moralibus naturalis legis, et articulis fidei, et sacramentis gratiæ: unde et dicitur lex fidei, et lex gratiæ, propter determinationem articulorum fidei et efficaciam sacramentorum. Cetera vero, quæ pertinent ad determinationem humanorum judiciorum, vel ad determinationem divini cultus, libere permisit Christus, qui est novæ legis lator, prælatis Ecclesiæ et principibus christiani populi determinanda: unde hujusmodi determinationes pertinent ad jus humanum." Et hoc erat magis congruum perfectioni Novæ Legis: nam a) magni artifices (magis congruè) per seipsos operantur quæ perfectiora sunt, per inferiores verò reliqua imperfectiora, ut notat S. Th. 1. 2. q. 98. a. 3; b) relinquendo Christianis majorem partem in gubernio, quam Judæis, Deus eos magis honorat; c) propter multam varietatem rerum humanarum, præsertim in Ecclesia Christi, quæ tam diversa tempora pertransire, tamque diversas gentes complecti debebat, necesse erat ut nonnullæ determinationes, pro quodam tempore optimæ, deinde minus opportunæ, possent abrogari (cf. 1. 2. q. 95 a. 2, q. 97 a. 1.). Quæ temperata mobilitas institutionum, legisque opportuna flexibilitas, confert etiam ad christianam illam libertatem, quam sæpè proclamat Scriptura, v. g. Galat. IV & V. Atqui ut abrogari possent illæ determinationes, vel immutari, debebant esse

de jure humano: nam jus divinum nequit immutari, ut statim videbimus. Ergò.

2°). Jus divinum est immutabile, saltem usque ad mundi finem. Nam vel agitur de jure divino positivo, vel de naturali. 1m absolutè et theoreticè posset à Deo ipso mutari pro libitu vel abrogari (sicut lex divina v.g. de die Sabbati observando immutata est): sed ad hanc immutationem practicè habendam, requireretur vel quod lex divina, quandò lata, prænuntiata esset tanquam valitura tantùm pro aliquo tempore, desitura v.g. per adventum alicujus Messiæ, vel saltem quòd Deus novam revelationem publicam daret, ad jus suum immutandum: atqui in præsenti œconomia, nec jus divinum Novi Testamenti, quando latum est, prænuntiatum est tanquam valiturum tantùm pro aliquo tempore, sed indefinitè latum est; nec nova publica revelatio exspectanda nobis est ante mundi finem, sed revelatio illa publica seu catholica (omnes christianos obligans et statuens jus divinum quo gubernantur) per J. C. et per Spiritum S. in Apostolis completa est, et post mortem Apostolorum non augetur (Cf. Franzelin, de Trad. thes. 22; et tract. de Eccl. vel de Fide). Multò minùs mutari potest à Deo jus divinum naturale, seu lex naturalis (Cf. Ethicam). Ab hominibus verò jus Divinum sive naturale sive positivum mutari nequit. Nam nemo potest in fœro Superioris: inferior nequit mutare, quæ Superior stabilivit. Præterea si quis posset mutare jus divinum, is esset maximè, qui ecclesiasticâ auctoritate, et quidem supremâ, pollet: at Ecclesia ipsa (quæ de cætero est infallibilis in cognoscenda sua potestate) talem potestatem sibi non agnoscit. « Nunquam recurritur ad Pontifices vel Concilia, ut ex toto vel ex parte jus divinum

abrogent, sed ut illud interpretentur. Ergò vel non est illa potestas in Ecclesia Dei, quod verissimum est; vel si est, semper otiosa fuit, est et erit, quod est absurdum.» Lainez ib. n. 35. – Imò apertè S. Aug., epist. 54 ad Januar. c. 6. (Migne XXXIII. 203): «Non præcepit (Christus) quo deinceps ordine sumeretur (Eucharistia), ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur» (ut fecit ipse in Cœnâ), «credo quòd eum morem nemo variasset.». – Hujus doctrinæ consectaria sunt, a) jus divinum nunquam cedere Legi ecclesiasticæ vel civili, nec b) consuetudini, nec c) in eo dispensari posse, ut ait S. Thomas Quodlib. 4. a. 13: «Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita scilicet, quòd quæcumque sunt instituta per Ecclesiam vel Ecclesiæ prælatos, sunt dispensabilia à Papa. . . Circa ea verò, quæ sunt juris divini vel juris naturalis, dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione divina.»

Jus autem humanum etiam ecclesiasticum, potest dispensari; imò abrogari, ut passim per omnes canones et per usum Ecclesiæ constat. «Humana præcepta non solùm divinis, sed novis aliis legibus et præceptis humanis ex causâ latis cedere debent et solent, cùm eamdem potestatem habeant moderni legislatores quam antiqui, quibus in loco et ordine canonicè successerunt. Sicut illi potuerunt suas condere leges, ita isti ex causis potuerunt condere suas, illis antiquis vel omninò vel ex parte contrarias, sed præsenti tempore Ecclesiæ magis conducibiles.» Lainez ib. n. 38. Cf. S. Bernard. de præcepto et dispensatione, c. 2. n. 4. (Migne CLXXXII, 863).

Hinc apparet gravitas quæstionis hujus,

utrum aliquid sit de jure divino, v.g. distinctio laicorum et cleri. Si enim de jure divino non esset, mutari tandem posset: et ideò hierarchiam Ecclesiasticam adversarii tribuunt inventioni et institutioni humanæ, quo faciliùs ad eam immutandam destruendamque perveniant.

Probatur.—

1º) Ex Scripturæ textibus jam allatis in 1ª parte:

a) Quod Christus ipse instituit, est de jure divino.—Atqui Christus ipse contulit potestatem ordinis non tantùm Apostolis sed simul per modum unius (ut ibi probavimus) eorum successoribus, quasi uni personæ morali, quam alloquitur, "Hoc facite in meam commemorationem", "Euntes docete ... baptizantes", &c.—Ergò potestas illa conferenda specialibus viris, ex ipso distinctis ab aliis, est de jure divino, non verò instituta est ab aliquo inventore humano, nec ab ipsis quidem Apostolis.

b) Ex Ephes. IV. 11. (cf. supra p.), "ipse" Christus "dedit quosdam ..... pastores et doctores" ad sanctificandum populum fidelem laborantes variis mediis, inter quæ eminent sacramenta, quorum collatio pertinet ad ordinis potestatem: et hoc instituit pro tota duratione Ecclesiæ in terris, donec numerus electorum compleatur. Ergò.

2º) Patres aliqui citati in 1ª parte testantur etiam divinam institutionem. V. cf.

Clemens (supra p.): "à quibus celebrari vult (oblationes et officia) ipse excelsissima sua voluntate definivit."—Et enumerat munera et ministeria assignata à Domino.

Ignatius, ibid.: "Cuncti revereantur diaconos ut mandatum Jesu Christi", &c.—Et in inscriptione epistolæ

ad Philadelphenses (Migne V. 698): « Quæ Ecclesia (Philadelph.) est gaudium meum ... maxime si unite sunt cum Episcopo et Presbyteris ejus et Diaconis, juxta sententiam Christi designatis, quos secundum propriam voluntatem suam firmavit in stabilitate, per S. suum Spiritum. »

3°) Ratione theologica.

Efficacia sacramentorum, quâ producunt gratiam, et eorum aliqua characterem, est instituta immediate à Deo, seu de jure divino.

Atqui potestas ordinis simpliciter ac necessariò resultat ex charactere impresso à Deo per sacramentum Ordinis, ita ut homo illo charactere insignitus, etiam labens in hæresim et omnia scelera, servet potestatem v. g. consecrandi corpus Domini, sicut et servat characterem, indelebiliter, et sic discriminatus remaneat semper à laicis characterem non habentibus, quidquid dicant aut faciant aut statuant homines, qui hoc mutare non possunt, quâcumque dignitate etiam ecclesiasticâ polleant.

Ergo potestas ordinis, et distinctio duarum classium quam ipsa importat, sunt de jure Divino.

Major et Minor probantur in tract. de Sacram. in genere. — Dominus ab ipso Trid. ubi dicit, s. 7. can. 1. : « Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia à J.-C., Domino nostro, instituta, ... A. S. » — Cf. can. 9. Et s. 23. can. 4 : « Si quis dixerit, per sacram Ordinationem ... non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursùs fieri posse; A. S. » — Ergò etiam 2a pars nostræ thesis est de fide : cf. s. 23 can. 6, ubi « divinâ ordinatione » dicit esse in Ecclesiâ hierarchiam Ordinis, Episcopos, presbyteros et ministros.

Objectiones solvuntur.

1°) Protestantes præcipuè objecerunt Galat. III. 28: « Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. » Ergo, aiunt, nulla distinctio classium in Ecclesia.

Resp. a) Si urges verba, ergo Apostolus negabit inter fideles diversitatem conditionum, sexûs, &c.! Absurdum. — Id unum vult, distinctiones illas, sicut et distinctionem laici et clerici, &c. nihil facere in ordine ad justificationem, à qua nulla classis excluditur, nec constituere hæredem cœlorum, sed ad hoc attendi solum baptismum, et conservationem statûs gratiæ.

Resp. b). Sane « omnes sunt unum », sed distinctio clericorum et laicorum cum hac unitate non magis pugnat, quam pugnet membrorum distinctio cum corporis unitate. Imo necessaria est distinctio ad illam organicam unitatem, I. Cor. XII. 17: « Si totum corpus oculus, ubi auditus? ... si essent omnia unum membrum, ubi corpus? ». Et retorquetur textus contra Protestantes, qui destruunt unitatem fidei, regiminis, &c.: vide tract. de Eccl., ubi de nota unitatis. — Cf. Bellarm. de Clericis, l. I. cap. 1.

2°) Item Petri II. 5, 9, vocantis omnes simul fideles « sacerdotium sanctum, ... regale sacerdotium, gens sancta. »

Resp. Sicut omnes fideles dicuntur hic et alibi reges improprie, ita et sacerdotes improprie ut explicat Aug. de Civ. XX. 10. Nec Petrus, nec Patres excludunt sacerdotium speciale et proprium, ubi asserunt in omnibus christianis sacerdotium quoddam generale et minus proprium.

Deus pariter dicit ad omnes "filios Israel", Exod. XIX. 6: "Vos eritis mihi in regnum sacerdotale." hoc tamen non excludunt discrimen divinitus statutum inter Levitas et reliquum populum, non excludunt sacerdotium speciale de quo passim Scriptura: extra quod sacerdotium qui se ingerebat in potestatem ordinis, sicut Core, Dathan et Abiron terribiles Deo pœnas solvebat (Numer. XVI.). — Cf. Hallier, de sacris ordin., Proleg. c. 2 (apud Migne, Curs. Theolog. t. 24).

3°). Tertullianus, de exhort. castitatis c. 7, ait: "Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas.". Ergo non jus divinum.

Resp. a) Addit ipse statim: "et honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo"; unde videtur dicere: Duo requiruntur ut quis ex plebe transeat in hierarchiam: 1°. electio, quæ regulatur Ecclesiæ auctoritate; 2°. ordinatio seu sanctificatio subsequens, quæ est juris divini. Ideo vero primum elementum ibi memorat, quia sic ibi disputat contra secundas nuptias: — Bigami, omnibus fatentibus, clerici esse nequeunt: ergo et laici non debent esse bigami. Nam clerici non nascuntur, sed fiunt ex laicis (qui, unctione Baptismi sui, sunt quasi in actu primo ad sacerdotium, et hæc est una ex causis cur dicantur gens sancta et sacerdotalis): et laici in ordinem sacerdotalem coptantur dispositione Ecclesiæ, quæ sua electione differentiam laicos inter et clericos practice constituit (incolumi manente hujus discriminis origine divina). Unde, si omnes laici permittuntur ad 2as nuptias transire, et tamen bigami arcentur ab ordinibus, est quædam contradictio. (Habert, de Ord., 1. p., c. 2). — Tertullianus utique potestatem ad cultum quemdam et ad "oblationes"

tribuit ibi laicis, deficiente sacerdote: sed de imperfecto cultu et improvviso sacrificio hoqui videtur. Cf. Hallier l. cit.; Petavium, de potest. consecrandi, c. 1. seqq.

Resp. b) Scripsit illa Tertullianus jam Montanista, jamque ad turpia sophismata confugiens, ut patet legenti ejus ratiocinia contra 2as nuptias; cf. et lib. de monogamia. Ergo, cum et ipsi Protestantes hæresim ejus damnent, simpliciter rejici posset ejus ibi auctoritas. Cf. Hurter, thes. 254.

4°). Initio Ecclesiæ effusio donorum extraordinariorum prophetiæ, linguarum, &c. fuit multò major quam postea, ut patet ex I. Cor. XII–XIV; de quibus Pauli capitibus jam advertebat S. Chrysost. hom. 29. c. 1: « Hic totus locus valde obscurus est: obscuritatem verò parit ignoratio eorum quæ tunc contingebant, nunc autem non fiunt. » Ex eo quod abundabant illa charismata, et ex eo quòd ab Apostolo commemerantur ministeriis sacris « pastorum et doctorum », seu eorum qui « ministrant, exhortantur, præsunt in sollicitudine », &c. (I Cor. XII. 28; Rom. XII. 6, seqq.; Eph. IV. 11), non sequitur, fuisse aliquod tempus, in quo Ecclesiæ ab Apostolis fundatæ relinquerentur directioni extraordinariæ Spiritus, sine discrimine laicorum et sacerdotum, sine hierarchia, sine subordinatione, ut voluerunt colligere multi Protestantes et Rationalistæ hodierni. Nam a) si ita fuisset, sequitur v. g. quòd Eucharistia, de qua ibid. (I. Cor. XI) tam latè tractat Apostolus, fuisset consecrata indiscriminatim à quocumque fideli; ergò postea debuissent laici abdicare hanc potestatem: atqui absurdam esse hypothesim istam abdicationis, demonstravimus supra p. 26. b) Eo ipso quod Apostolus ibid. ministeria ecclesiastica commemorat sono prophetiæ, &c., dicens hæc singula secundùm Dei distributionem esse propria quorumdam non om-

nibus communia, proclamat non confusionem istam pseudomysticam illuministarum, quakerorum, &c. sed ordinem, et distinctionem divinitus institutam pastorum ac fidelium. c) Similitudo membrorum corporis, ab Apostolo evoluta, ostendit, laicos quantumvis inspiratos et prophetantes non potuisse se habere independenter à classe "pastorum" et "ministrorum" Ecclesiæ. d) Ex eo quod omnia illa "munera dicit ad invicem necessaria", non sequitur, pastores et doctores eodem modo dependisse à laicis prophetantibus, &c. sicut hi dependebant à pastoribus et custodibus doctrinæ authenticis: — nam etiam "Apostoli" connumerantur in illo catalogo, tamen nemo dixerit Apostolos non eminuisse potestate, Apostolos subordinatos fuisse v. g. Corinthiis prophetantibus, sicut hi subordinabantur Apostolis. e) Ratio cur hæc omnia simul connumerentur, non est quòd gratia curationum, vel linguarum, &c. sit aliquis gradus hierarchiæ, seu tribuat potestatem aliquam ordinis vel jurisdictionis: sed quòd sibi proponit Apostolus, ibi enumerare non gradus hierarchiæ, sed gratias gratis datas, seu quæ dantur à Deo non directè ad salutem possidentis, sed potiùs ad bonum aliorum et manifestationem extensionemque Ecclesiæ: inter quas non minùs recensentur ministeria ecclesiastica cum potestate sacramentorum, &c. quam dona miraculosa. Apertè enim I. Cor. XII. 31 et XIII, gratias gratis datas opponit gratiæ gratum facienti, seu charitati, ut excellentiori.

Itaque de originibus Ecclesiæ non accurate loquuntur quidam nostra ætate Catholici, optima quidem mente scribentes sed aliquid retinentes ex lectione nimis exclusivâ Rationalistarum et Protestantium, quorum eruditionem pluris faciunt quam par est. Eg. l'abbé

Fouard, St Pierre et les 1res années du christianisme, 1886, ch. 11. p. 268: « Ces Dons... se répandaient sur la communauté entière, fidèles et pasteurs, avec un tel éclat... qu'on y donnait plus d'attention qu'aux divers emplois du ministère » Et citato Paulo, addit: « Pas un mot de subordination ni de sacerdoce. Evidemment, les Dons spirituels étaient alors la vie de l'Eglise et dominaient tout..... Un état si extraordinaire échappait à l'ordonnance d'une hiérarchie », &c.

5°). Questio de majori minorive olim participatione plebis in electione et ordinatione presbyterorum &c. non facit ad rem presentem: sufficit enim, quòd ex lege divina debeant rite ordinari Presbyteri et Episcopi ad sacramenta administranda, ut laici (seu non ordinati) ad eorum administrationem arceantur, et ita vigeat divinitus discrimen quod volumus.

6°). « Apostolos (aiunt quidam Protestantes) fatemur ordinavisse, Deo dictante, episcopos seu presbyteros, quibus sacra committerentur. At probandum esset, hanc institutionem fuisse semper duraturam, semper necessariam in Ecclesia, ita ut laici nequeant tales jam supplere. » — Resp. a) hoc satis probavimus argumentis; b) imò adversariis incumberet onus probandi suum paradoxum de potestate laicorum circa administranda sacramenta, testimoniis perspicuis et claris Scripturæ vel Traditionis, non ambiguis aut obscuris: nullus enim potest sine titulo claro, sine claro mandato Dei, se ingerere in actiones nomine Dei exercendas, ut est administratio sacramentorum: quæ solus dicimus eorum Institutor jus habet committendi quibus velit, et consecratis viris commissa sunt initio Ecclesiæ. Si voluisset Christus ea aliis committere, clarè dixisset. (Cf. Th. de Valenburch,

Controv. de missione Protestantium, c. 53, s. 7, 8, 15). Et quicumque tribuit omni Christiano aliquas vires naturalem ordinem superantes, tenetur probare ejusmodi vires omni Christiano esse datas. – Citantur facta quæ non sunt ad rem: v. g. Judæum Apollo «disputantem» (Act. XVIII. 25, seq.), Priscillam et Aquilam «exponentes ei viam Domini» (ibid.). Nos non negamus laicos potuisse et posse religionem docere, in privato conventu, aut defendere contra hostes fidei in quibusdam cœtibus. «Disputaverit Apollo, et eloquentiam suam Jesus Christo, fervens spiritu, impenderit: non ideò erexit Ecclesias, non ideò administravit Sacramenta, Episcopis et Presbyteris propria, nisi prævie ordinatus et missus.» (Valemb. ib. n. 12.).

7º). Quando dicimus, clericos jure divino distinctos à laicis, potiorem partem clericorum spectamus, quod sufficit ad tuendam duarum in Ecclesia classium distinctionem divinitus institutam: nomen enim «clericorum», «cleri», sæpè jam à Patribus sumitur tanquam synonymum «presbyterorum», «eorum qui Christi corpus sacro ore conficiunt»; cf. Origen. et Hieron. supra p. 23. Non autem spectamus omnes eos, ad quos «clerici» nomen extensum est: v. g. (ut omittam controversias de ordinibus minoribus) tonsura clericalis, quæ sicut ad novitiatum quondam jam annumerata «clericis», est institutionis ecclesiasticæ; ergò «clerici» illi inferiores, qui solam habent tonsuram, non jure divino à laicis discriminantur: nisi consideres non præcisè id quod sunt, sed id quod erunt, sacerdotium ad quod destinantur.

Corollarium. Ergò singulariter abutuntur vocibus usu sæculorum determinatis,

non sine idearum confusione, isti recentiores qui a) quoslibet viros in Deum credentes, praesertim strenuos suae fidei ac religionis defensores, vocant "clericales"; – et b) "laicum" vocant quidquid concordat cum indifferentismi, vel antichristianismi, imo atheismi placitis: v.g. "la morale laïque". – Ad rem Card. Pie, 2de instruct. synod. sur les principales erreurs du temps présent (Oeuvres t. 3. p. 134): « La feuille publique qui avait amené provoqué cette démonstration de l'existence et de l'obligation de la loi révélée, que nous a-t'elle répondu? Des phrases, très polies d'ailleurs, qui se réduisent à ceci: « S'évêque oublie qu'il est évêque et que nous sommes laïques; que les choses de l'ordre surnaturel et révélé le regardent et ne nous regardent pas"... C'est l'arme défensive à la mode chez le monde lettré de ce temps... On répond gravement que l'on est laïque, et tout est fini. Puis, la confusion d'idées s'étendant du particulier au général, de l'individu à la nation, vous rencontrez des hommes, d'ailleurs sérieux, qui s'imaginent avoir résolu les problèmes les plus graves des temps modernes, tranché les cas de conscience les plus délicats de la société et du pouvoir, quand ils ont fait cette remarque magistrale: « Aujourd'hui l'Etat est laïque, le législateur est laïque, la morale est laïque, l'enseignement est laïque"..... Pour que cet argument eût une force probante quelconque il faudrait, ce semble, qu'on pût établir deux choses. La 1re, c'est que la qualité de laïque équivaut à celle de païen ou d'infidèle... Or il n'est personne de nous, Messieurs, qui ne sache non-seulement que laïque ne veut pas dire païen, mais que laïque est un nom de création et d'origine chrétienne... L'Eglise a nommé clercs tous ceux

qui choisissent le Seigneur pour héritage et se vouent par état au service de Dieu et des âmes; puis ne trouvant à sa disposition, dans le vocabulaire antique, que la qualification de profanes qu'elle ne pouvait accepter pour aucun de ses enfants, attendu que le baptême les rend tous saints, elle a fait un mot jusqu'alors inusité, et elle a appelé le reste du peuple chrétien du nom de laïques..... L'Eglise ne se compose pas seulement du clergé, mais encore des fidèles: St. Cyprien (epist 69) définit l'Eglise: "Plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens"... Les laïques forment donc une partie considérable et essentielle de l'Eglise... J'insiste sur ce sujet, parce que vous connaissez comme moi, Messieurs, beaucoup d'hommes de ce temps, même parmi ceux qui font profession de christianisme, qui, acceptant sans trop de réflexion les manières de dire du camp adverse, vont jusqu'à s'autoriser de leur titre de laïques ou d'hommes du monde pour prendre vis-à-vis de la vérité catholique des licences qu'ils savent interdites aux hommes du sanctuaire. Comme si aucun baptisé pouvait licitement s'écarter des engagements de son baptême! Comme si toute atteinte portée à l'intégrité de la foi, tout acte de désobéissance et d'indiscipline envers l'autorité de l'Eglise, n'avaient pas la même culpabilité dans le simple chrétien que dans le prêtre!"

Thesis II.

In Ecclesia Christi existit de jure divino potestas jurisdictionis, – 2) potestas scilicet legifera, – 3) et judiciaria, – 4) et coactiva.

De Ordine. VII. – 1.

St. 2. Potestas «jurisdictionis» dicitur etiam à recentioribus «potestas regiminis», seu «imperium».

«Imperare», seu praeceptum imponere (cui actui respondet alterius obedientia, et per hanc unitas socialis) est actus superioris ad inferiorem — «Non omnis homo (ait Suarez de Legibus l. 1. c. 8. n. 3) potest alteri praecipere, nec aequalis potest aequalem obligare, ut est per se notum, quia non est ulla ratio cur unus magis teneatur parere alteri, quam e converso, essetque bellum justum ex utraque parte: est ergò necessaria specialis potestas superior ad praecipiendum validè et efficaciter.»

Haec autem «potestas praeceptiva (ait ibid. n. 4) quasi generica est; quae in duas species distinguenda est, quas ... potestatem dominativam et jurisdictionis appellare possumus.»

Principia utriusque discrimina, ut explicat ibid. Suarez (cf. Arriaga de Legibus D. 3. s. 4), haec sunt:

1°). Potestas dominativa regulariter est privata, in unam aut alteram personam; ita v. g. potestas patris in filios, viri in uxorem, domini in servum. Potestas jurisdictionis regulariter supponit multò majorem numerum subditorum.

2°). Hinc sequitur 2ª differentia: in potestate jurisdictionis multò major vis ad coercendum et cogendum invenitur: nam ad omnes partes magnae alicujus societatis in officio continendas, major coercitio necessaria est quam in privata domo. Hinc etiam sola potestas jurisdictionis fert «leges» propriè dictas, scilicet quadam perpetuitate gaudentes. Mortuo domino, cessant omnia

ejus præcepta circa filios, uxorem, famulos: non verò mortuo legislatore cessant leges.

3°) Potestas dominativa ordinariè magis est in commodum habentis illam quam ejus in quem habetur: potestas autem jurisdictionis, per se et ex primæva institutione suâ, est propter bonum communitatis in quam datur.

Ex his concludes, jurisdictionem à fortiori differre à dominio proprietatis.

Potestas jurisdictionis plures habet actus, quorum primarius et fundamentalis est, ferre leges. Cæteri actus sunt hujus consectaria: procurare legum executionem, judicare actus individuos qui videntur leges transgredi, transgressores punire. Sine his actibus, inutilis maneret primus, scil. legislatio: potestas jurisdictionis non esset principium practicum ad regimen multitudinis, sed principium speculativum abstractæ theoriæ, sicut quædam philosophia. — Hinc potestas "jurisdictionis" tanquam necessarias sui partes complectitur potestatem legislativam, executivam, judiciariam, coactivam: idemque est, probare has omnes potestates inesse Ecclesiæ jure divino, ac probare in eâ potestatem jurisdictionis de jure divino existere.

Jurisdictio ecclesiastica definiri solet: « potestas regendi baptizatos in ordine ad vitam æternam. » Per hæc à civili jurisdictione distinguitur, quæ nec in solos baptizatos exercetur, nec tendit ad finem spiritualem vitæ æternæ, saltem directè.

Jurisdictio ecclesiastica distinguitur duplex: una in foro interno, altera in foro externo. Prior, quam non spectamus in hoc tractatu, est specialis quædam divina institutio, quæ potuisset alteri non superaddi; nempe

voluit Christus, ut (secunda, post jam quæ est baptismus) remissio peccatorum in Novâ Lege haberet rationem alicujus Sacramenti, cujus Minister haberet rationem judicis, qui, ut omnis judex, deberet accipere determinatos subditos, quod fit per jurisdictionis collationem: cf. tract. de Pœnitentiâ. Sed hic habetur judicium sui generis, semper secretissimum, tendens ad absolvendum reum; jurisdictio voluntaria, quæ exercetur in volentes, non contentiosa quæ exercetur etiam in invitos. — Nos exteriorem et publicam jurisdictionem spectamus, quæ ad magnam societatem regendam requiritur et sufficit, et est magis propriè seu magis principaliter «jurisdictio.» — «L'autre (dit P. Libératore, in opere «Le droit public de l'Eglise», n. 76) concerne plutôt les individus pris isolément et dans le cercle exclusif de leur conscience privée. Il s'ensuit que la juridiction intérieure, si elle n'était pas unie à la juridiction extérieure et ne dérivait pas de cette dernière (eadem enim suprema auctoritas, quæ possidet externam jurisdictionem, communicat etiam internam), ... ne s'appellerait qu'improprement jurisdiction, attendu que toute juridiction proprement dite comprend toujours un rapport avec l'ordre public.»

Adversarii: Post Waldenses, Wiclef, Hus &c. adversarii fuerunt multi Protestantes, vel omnem ecclesiasticam superioritatem rejicientes, vel eam non agnoscentes nisi ut humanam institutionem. Luther in lib. de captiv. Babyl. cap. de Baptismo, ait: «Quo jure Papa super nos leges constituit? Quis ei dedit potestatem captivandæ libertatis nostræ, per Baptismum nobis donatæ, cùm neque Papa neque Episcopus neque ullus hominum habeat jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi fiat ejusdem consensu?» Cf. Bellarm. de Rom. Pont. l. 4. c. 15.

– Plures etiam nostris diebus aiunt, Christum seminavisse doctrinas, "ideas", nullam auctoritatem instituisse. – Vel admittunt potestatem ordinis à Christo institutam, sed non jurisdictionis, saltem externæ; admittunt potestatem quamdam magisterii merè directivam, non præceptivam. Ad rem Liberatore l.b. n. 77: Que l'Eglise, dit le libéralisme moderne, prie, bénisse, administre les sacrements... en d'autres termes exerce le pouvoir de l'ordre, mais qu'elle ne prétende pas exercer la juridiction. La juridiction est de la compétence de l'Etat seul ... " Ses chefs de l'Eglise, écrit Minghetti (l. Egl. et l'Etat ch. 3. p. 79), n'ont ni pouvoir ni empire, mais une autorité toute morale." Il avait dit plus haut: " La souveraineté réside dans l'Etat: il n'y a pas de pouvoir en dehors de lui." Cadorna reproduit la même idée. " L'Eglise n'est pas un pouvoir public ... Dans les questions morales, l'Eglise ne fait et ne peut faire que l'une de ces deux choses: s'il s'agit de doctrine morale, elle définit dogmatiquement la loi, afin d'en maintenir intactes la pureté et l'unité, et dans ceci elle est infaillible; s'il s'agit de l'application et de l'exécution de cette loi par le moyen des actes humains, elle instruit, elle enseigne, elle éclaire, mais elle ne commande pas et ne peut pas commander." Etranges théologiens improvisés, qui ne connaissent pas un mot de la science théologique ... – Alii, quamdam potestatem legiferam divinitus datam Ecclesiæ concedentes, coactivam negant, vel ex integro, vel saltem quoad pœnas temporales seu corporales infligendas: Ecclesia, aiunt, suarum legum executionem urgere nequit nisi persuasione. Ita sæculo XVII° & XVIII° multi Regalistæ, Jansenistæ &c.; et sæculo XIX°. multi Liberalistæ. –

Præcipuæ definitiones Ecclesiæ: – Joannes XXII

in Constit. « Licet juxta » damnat ut « hæreticos », seu hæreticales et erroneos » articulos Marsilii Patavini, inter quos 5us est : « Tota Ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator. » (Denz. n. 427). — Conc. Constantiense & Martinus V damnaverunt hunc 15m articulum Joannis Hus : « Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum ordinationem sacerdotum Ecclesiæ præter expressam auctoritatem Scripturæ. » — Pius VI in Bullâ « Auctorem fidei » : « Propositio (Synodi Pistoriensis) affirmans, abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet à persuasione et corde ... : — quatenus indeterminatis illis verbis extendendo ad res exteriores notet, velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ à Deo, quâ usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplinâ exteriore constituendâ et sanciendâ : hæretica ; — quâ parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media, quæ pendent à persuasione : ... inducens in systema alias damnatum ut hæreticum. » — Pius IX in Encycl. « Quantâ curâ », inter pravas opiniones quas singillatim « auctoritate apostolica reprobat, proscribit atque damnat », hæc enumerat : « Ecclesiæ leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur à civili potestate ; ..... Ecclesiæ jus non competere, violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi. ... Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem à potestate civili ; ... illis Apostolicæ sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ ejusdemque jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedien-

tiam detrectari absque peccato, et absque ullâ catholicæ professionis jacturâ.». — Leo XIII, in Encycl. « Immortale Dei »: « Cum ingenti hominum (fidelium) multitudini Deus ipse magistratus assignavit, qui cum potestate præessent... Hæc societas, quamvis ea hominibus constet non secùs ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis, atque idcirco distinguitur, ac differt à societate civili; et, quod plurimùm interest, societas est genere et jure perfecta, cùm adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui omnia in se et per se ipsa possideat... Revera ej. Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adjunctâ tùm ferendarum legum veri nominis facultate, tùm gemina, quæ hinc consequitur, judicandi puniendique potestate... Itaque duæ hominibus esse ad cœlestia non civitas, sed Ecclesia debet: eidemque hoc est munus assignatum à Deo, ut de iis, quæ religionem attingunt, videat ipsa et statuat;... ut rem christianam liberè expeditèque judicio suo administret.»

Quoniam non est hujus loci tractare quæstiones de relationibus Ecclesiam inter et potestatem civilem, de jure Ecclesiæ in temporalia, de hæreticorum repressione, &c. in hac thesi asserimus tantùm quidquid requiritur et sufficit ad habendam in Ecclesiâ veram potestatem exterioris jurisdictionis saltem quoad spiritualia gubernanda, distinctam à civili (utrùm ab ea præcisè independens, præscindimus): præscindimus etiam ab extensione potestatis coactivæ, utrùm scil. se extendat etiam ad pœnas strictè et directè tempo-

rales, sicut est carcer, mulcta, exsilium, imò ad ipsam sanguinis effusionem: sufficiet nobis considerare poenas spirituales: nam coactiva est illa potestas, quæ bona et jura tollit invitis, quæcumque sint. Cæterum quædam ex illis poenis, ut excommunicatio, clericorum degradatio, &c. sunt simul, saltem indirectè, temporales, propter quamdam infamiam eis inhærentem aliasque naturales consequentias. "Cùm excommunicatio major (ait Joannes XXII. l. cit.) nedùm excommunicatum à perceptione sacramentorum removeat, sed etiam à communione fidelium ipsum excommunicatum excludat, corporalis est à Christo coactio Ecclesiæ permissa." — Præscindimus etiam à subjecto potestatis jurisdictionis, de quo infra: quamvis ex nostris argumentis aliqua jam indicent illud subjectum. Si quis igitur vellet, subjectum illud esse totam multitudinem fidelium, non quidem eo sensu evidenter absurdo quòd omnes et singuli immediatè per se ferant leges, judicent, &c. (id quod ita impossibile est, ut in nulla republica fiat, præsertim si magna sit multitudo), sed eo sensu, quòd Ecclesiæ antistites non sint nisi delegati et mandatarii populi fidelis, — istud pro momento transmittimus. Potestas enim jurisdictionis potest probari præscindendo à forma gubernii, utrùm scilicet sit democratia, monarchia, &c.

Potestatem jurisdictionis duplicitèr probabimus: 1°. argumentis generalibus in 1ª parte, 2°. argumentis specialibus in partibus sequentibus, potestatem illam per partes probando, scilicet quatenùs est legislativa, judiciaria, &c., sed brevius.

Probatur 1ª pars.

I. Scriptura 1°) asserit Spiritum S., i.e. ipsum Deum supernaturaliter ac proinde immediatè

intervenientem (supernaturalia, immediate a Deo provenientia, tribuuntur Spiritui sancto) instituisse episcopatum cum potestate regiminis seu jurisdictionis. Ergo existit in Ecclesia de jure divino potestas jurisdictionis. — Probo Ant. ex Act. XX, 28 : « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. » — Cf. Tit. II. 15 : « Argue cum omni imperio. »

2°) Consequenter exigit à fidelibus obedientiam, quæ superioritati et jurisdictioni est correlativa, Hebr. XIII. 17 : « Obedite præpositis vestris (ἡγουμένοις) et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. »

3°) Variis metaphoris, apud antiquos ad hoc usitatis, idem exprimit, ac primùm metaphorâ pastoris, Eph. IV. 11 (cf. supra p. 15) : « Et ipse dedit, ... pastores et doctores, etc. » — Et Jo. XXI. 15, Christus ait Petro : « Pasce agnos meos ». — Et ipse Petrus presbyteris (Epist. I, V. 1, 2.) : « Seniores ergo (πρεσβυτέρους) qui in vobis sunt obsecro, conseniior (συμπρεσβύτερος) ... : pascite, qui in vobis est, gregem Dei. » Jamvero cum de pascendis hominibus agitur, « pascere, pastor » (præsertim voce græca ποιμαίνω, quam habent nostri textus) dicunt potestatem jurisdictionis, in usu tum profano (sic solet Homerus reges appellare « pastores populorum ») tum sacro (sic apud Isaiam XLIV, 28. Cyrus dicitur « pastor », II Reg. V. 2. rex dicitur « pascere populum Israel ») : cf Palmieri de Rom. Pont. th. 3 p. 293; Passaglia de Prærog. B. Petri lib. 2 c. 17.

4°) Idem præclarè exprimit metaphorâ ligandi et solvendi, Matt. XVIII. 18 : « Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. » — Hic potestas aliqua instituitur immediatè a Christo qui Deus est, ac proinde est de jure divino. Ad sciendum autem quid sit hæc potestas, considera :

a) Vocis in se. « Regere » indicat de se

jurisdictionem obligantem conscientias et cogentem. Sane nulla vox est aptior ad exprimendum effectum legis, quam vox ligandi, obligandi, quam metaphoram in omni lingua adhibemus, moralem illam necessitatem a Superiore inductam concipientes ut „ligamen", ut vinculum voluntatis, ut „obligationem". – Aptissime etiam haec vox indicat impositionem poenae, nam poena est privatio alicuius boni, imposita invito, per modum cuiusdam vinculi: necessitatur ad solvendam poenam, ad eam alligatur invitus. Quod autem haec omnia non tantum possint sed debeant hic intelligi sic probamus: Duplex vinculum morale potest homini ab homine injici, vinculum legis seu obligationis et vinculum poenae; et ex utrisque constat potestas jurisdictionis. Atqui haec potestas utriusque vinculi injiciendi hic a Christo datur Apostolis; nam amplissima et generalis est collatio et promissio: „quaecumque alligaveritis" – ergo comprehendere debet utrumque vinculum. Caeterum apud homines potestas imponendi legem, ut diximus, habet pro necessario complemento potestatem imponendi poenam, sine qua esset inutilis. – Adverte etiam illam relationem terram inter et coelum: „Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo." Ergo cum ligant illi, ligat Deus: nexus est immediatus et necessarius; ergo nulla potestas alia v.g. regum, se intermiscere potest, irritare potest leges eorum, pariter nec a subditorum consensu et voluntate dependet impositio obligationis et poenae: secus, Deus non ligaret quaecumque ligant, non rati haberet quaecumque sanciunt. Ex quo apparet, potestatem Apostolorum tantum certe habere perfectionis et independentiae in suo ordine, quantum requiritur ad veram et plenam potestatem jurisdictionis.

b) Usum vocum ligare et solvere apud antiquos: qui confirmat dicta. – In usu ipsius Novi Test., videmus obligationem moralem ejusque cessationem indicari per voces: „alligari, solvi", v.g. Rom. VII. 2; item

abrogatio legis, actus legitimus in illo qui jurisdictionem habet, exprimitur verbo „solvere" v.g. Matth. V. 17. — quando de aliquo homine praedicatur (ut in nostro textu) hoc utrumque simul solvere et ligare", λυειν και δειν, haec complexa phrasis apud antiquos significat supremam seu regiam jurisdictionem, ut apparet v.g. ex Diodoro siculo (l. I. n. 27), imo ex Flavio Josepho (De bello Jud. I. 5) qui fuit aetate Christi proximus ac proinde optimus testis notus loquendi tunc vigentis: cf. Palmieri ibi. th. I., p. 264; Passaglia de Praerog. B. Petri l. II. c. 9. n. 122. — Ex his patet, sensum illum harum vocum „ligare, solvere", qui saepe invenitur apud talmudicos scriptores (ad quos in nostro textu provocant multi Protestantes, ut Lightfoot etc), scilicet „declarare illicitum vel licitum" theoretice et consultative sine ulla jurisdictione, sicut legem divinam se declarare profitentur Rabbini, vel sicut apud nos theologi et casuistae faciunt — (α) non esse sensum exclusivum; imo nec primarium et magis proprium, nam qui declarat alignem ab altero ligatum dicitur minus proprie ipse „ligare"; caeterum (β) isto sensu intellectus textus noster jam Protestantes refutaret; nam si quaecumque Ecclesia declarat illicita, eadem illicita declarat Deus, affirmatur infallibilitas Ecclesiae quam ipsi negant: cf. Palmieri ibid. — Sed (γ) sensus iste non invenitur nisi in suis scholarum judicariis, non in usu vulgari: ergo cum sermo Christi esset popularis, non potuit sensum istum habere (Passaglia l. c.). — Et praesertim (δ) sensus iste excluditur e nostro textu per contextum. Considera enim:

α) Contextum loci. In versiculo immediate praecedente, agitur de „Ecclesia" judicante inter duos christianos quorum unus alterum offenderit, et quidem publice judicante (nam hoc judicium opponitur correptioni privatae quae praecedere debuit) et additur: „si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus": unde Ecclesia loquitur non sicut-

privatus Doctor vel casuista, cujus sententiam si non sequeris, nulla pœna te manet; sed pœna manet eaque gravissima etiamque temporalis, exclusio nempe a cœtu fratrum, quasi ethnicus fieret ille, qui Ecclesiæ sententiam non secutus fuerit. Ergo ex illo nexu cum versiculo præcedente, demonstratur, verba: „quæcumque alligaveritis„ etc. pertinere ad veram potestatem jurisdictionis, obligantem et exactivam et in foro etiam externo, eamque collatam non solis Apostolis, sed etiam post eos „Ecclesiæ„ in indefinitum.

II. Patribus.

S. Clemens Rom., in 1a Epist. ad Cor, cum seditio nonnullorum in illa regione facta esset contra episcopos, habet pro fine scribendi, ut debitam hierarchiæ obedientiam prædicet idque passim facit. Similitudinem inducit exercitus romani et disciplinæ militaris (ex versione Gebhart et Harnack juxta codicem Bryennii): „Consideremus milites qui sub nostris ducibus merent, quam ordinate, quam obedienter, quam subnisse imperata exsequuntur. Non omnes sunt præfecti neque chiliarchæ (tribuni) neque centuriones neque quinquagenarii et sic deinceps; unusquisque vero in suo ordine et statione quæ a Rege (Imperatore) et ducibus (ὑπουργοῦσιν) imperantur, peragit.„ (Cf. Migne I. 262)

S. Ignatius M. in singulis suis Epistolis hortatur passim ad obedientiam Episcopo. Hoc ante omnia inculcat. Cf. v.g. supra p. 20.

S. Polycarpus Smyrnæorum Episcopus (quem S. Irenæus Hæres. l. III c. 3 testatur „ab Apostolis eruditum et familiariter versatum cum multis eorum qui Christum viderunt„), ait, in sua epist. ad Philippenses n. 5 (Migne V. 1010): „Oportet subjici presbyteris et diaconis, tanquam Deo et Christo.„ Et n. 6: „Presbyteri sint ad commiserationem proni, abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, judicio injusto, ... non cito credentes adversus aliquem, non severi nimium in judicio.„

Supponit ergo eis potestatem judiciariam et coactivam.

S. Irenæus, Polycarpi discipulus, Hæres. l. IV c. 26 n. 2: « Quapropter eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, ... qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris » (institutio ergo divina) « acceperunt: reliquos vero qui absistunt a principali successione, .. suspectos habere, vel quasi hæreticos et male sententive, vel quasi scindentes » (schismaticos) « et elatos et sibi placentes », etc.

Ex illis antiquissimis Patribus si descendamus ad sequentes, præsertim ad magnos Doctores sæculi IV^i et V^i, ad Greg. Nazianzenum, Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum etc. invenimus pariter quod hi Episcopos vocant « magistratus, præfectos, legislatores, judices », quod negant eos esse « privatos », quod obedientiam erga eos postulant, ac proinde multis modis exprimunt potestatem jurisdictionis. Cf. eorum textus allatos et discussos apud Petavium De Ecclesiast. Hierarchia l. III c. 9 segg.

III. Ratio maxime congruentive:

Christus maxime volebat lucem veritatis cultumque virtutum diffundere in mundo per sæcula, simul sapientissimus non ignorabat quam necessaria sit apud homines vis associationis et societas permanens, et certus quidam idearum morumque status conservetur et promoveatur: quantopere autem necessaria sit conservationi societatis, latissime præsertim societatis, auctoritas socialis, seu potestas jurisdictionis; sciebat autem, si institutionem illius societatis religiose hominibus relinqueret, mutabilem et caducam illam fore; si verò ipse auctoritatem socialem ac proinde societatem institueret, eam immutabilem fore, utpote juris divini. Ergo debuit ipse instituere potestatem jurisdictionis.

Ad rem Balmès, Le Protestantisme ch. 30: « Pour former la conscience publique et y faire prévaloir la morale chrétienne, l'apparition de cette doctrine ne suffisait pas; il fallait encore une société

qui non-seulement conservât cette morale dans toute sa pureté afin de la transmettre de génération en génération, mais qui sût aussi la prêcher incessamment aux hommes et en faire une application continuelle à tous les actes de la vie. Observons que les idées, quelle que soit leur force, ont toujours une existence précaire, jusqu'au moment où elles arrivent à se réaliser, à se rendre sensibles pour ainsi dire, dans une institution qui tout en recevant d'elles la vie le mouvement et la direction, leur sert en retour de rempart contre les attaques des autres idées et des autres intérêts. L'homme est formé de corps et d'âme ..., toute idée même la plus grande et la plus élevée, commence à tomber en oubli dès qu'elle n'a plus une expression sensible, un organe au moyen duquel elle puisse se faire entendre et respecter. Elle reste dès lors confondue et étouffée au milieu du fracas du monde et finit par disparaître tout à fait ... Mais, me dira-t-on, vous méconnaissez donc la force des idées, ... qui change fréquemment la face du monde en décidant de ses destinées? Prétendez-vous dépouiller la pensée de l'homme de cette force vitale, créatrice qui rend l'homme supérieur à tout ce qui l'environne? Tel est le panégyrique ordinaire de la force des idées; c'est ainsi que nous les voyons transformées à chaque instant en fées toutes-puissantes, dont la baguette magique est capable de changer tout au gré de leurs caprices ... Les idées doivent être distinguées en deux ordres: les unes flattant nos passions, les autres les réprimant. On ne peut nier que les 1ères n'aient une force immense d'expansion. Les autres ont une difficulté extrême à se frayer un chemin; elles avancent lentement; elles ne peuvent fournir leur carrière sans l'appui d'une institution qui assure leur stabilité. Et pourquoi cela? Parceque ce ne sont point les idées qui agissent dans le 1er cas, mais les passions qui forment un cortège aux

idées et se parent de leur nom dissimulant ainsi ce qu'elles offriraient de repoussant à la première vue... Ceux qui vantent tant la force intime des idées, devraient nous signaler dans l'histoire ancienne et moderne une seule idée, qui sans sortir de son propre cercle, c.a.d. de l'ordre purement philosophique, ait mérité la gloire d'avoir noblement contribué à l'amélioration de l'individu et de l'ordre social... Sans doute il ne s'opère aucun grand changement dans la société, sans que ce changement se soit d'abord réalisé dans l'ordre des idées.... Mais il y a loin de là à supposer que toute idée utile renferme en soi une force conservatrice capable de se passer de toute institution, c.a.d. d'un appui et d'une défense, même à travers des époques de trouble social. Entre ces deux propositions il y a un abime, qu'on ne peut franchir sans se mettre en désaccord avec l'histoire entière. "

Probatur 2a pars

I. Deus instituit potestatem legislativam si videmus hoc asseri, eamque exerceri ab ipsis apostolis qui infallibiles Ecclesiæ doctores constituti, non potuerunt circa constitutionem potestatesque Ecclesiæ decipere fideles. (Protestantes qui infallibilitatem Ecclesiæ negant, Apostolorum infallibilitatem non negant. Infallibilitas etiam Ecclesiæ probatur in tract. de Ecclesia.)

Atqui apostoli illam potestatem sibi et presbyteris (seu Episcopis) tribuerunt, et quidem ut a Deo institutam. — Ergò.

Probo min. ex Act. XV. Cum exorta esset quæstio de Mosaicæ legis ritibus, utrum necessarius illorum esset usus, " Convenerunt apostoli et seniores (οἱ πρεσβύτεροι) videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, " etc. (v.6) — Ex (ait Petav. l.c.) prima magistratûs actio ab Aristotele tradita, deliberare. Sequitur deinde judicium de quæstione, et decretum.

Iacobus enim (v. 19): " Propter quod (inquit) ego iudico non inquietari eos" etc. – Cum communi omnes auctoritate (v. 23 seq.): " Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, etc.. Placuit nobis collectis in unum etc. " Et v. 28: " Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: – ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. " — En exercitium potestatis legislativæ: Nam a) proponuntur multitudini illa quæ ad finem societatis conducunt; et b) non tantum proponuntur sed „imponuntur" ut „onus" conscientiæ, et dicuntur „necessaria" utique illa necessitate morali quæ est obligativa; et c) hæc non est mera declaratio legis divinæ prius existentis, nam aliqua quæ hic præcipiuntur negarent esse nisi leges novæ, tunc factæ. Quod enim fideles tenerentur abstinere „a sanguine et suffocato" negat Christus ipse determinaverat: secus non consensissent Apostoli „ videre de verbo hoc ", non adeo instanter deliberavissent; et mandati Christi mentio facta esset in decreto. Neque lex naturalis id præcipiebat: secus et nos ipsi teneremur, quod neque adversarii admittunt. Nec demum obligatio repeti potest a lege mosaica: nam præmittitur, eam quoad hæc pro fidelibus non valere. Est ergo lex ab Apostolis de novo statuta. (Cf. Palmieri de Rom. Pont., Prælog. n. 19.) — Fontem hujus suæ potestatis legislativæ Apostoli ipsi indicant esse Deum supernaturaliter instituentem: " Visum est Spiritui Sancto et nobis. " — Eandem, quod ultimum fit in legibus, videmus passim promulgari id quod decretum est, exsecutionemque urgeri, ib. v. 40: " Perambulabat (Paulus cum Sila) Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum et Seniorum. " Et paulo post XVI. 4: " Cum autem pertransirent civitates (Paulus et Silas), tradebant eis custodire dogmata (i.e. placita) quæ erant decreta ab Apostolis et Senioribus qui erant Jerosolymis. " His omnibus quid clarius ad asserendam legislativam potestatem?

Objiciunt: Apostoli

hic volunt vitare, ne illorum ciborum manducatione scandalum præbeatur Judæis et judaizantibus ergo nihil aliud faciunt quam declarationem legis divinæ de scandalo vitando; ergo non ipsi ferunt legem, sed declarant legem divinam – Resp. Nego cons. Vitatio scandali hic est finis legis seu præcepti, sed non ideò est (ut supponitur) materia, et sola materia, præcepti. Apostoli propriè non præcipiunt « vitari scandalum »; quod si præcepissent, potuissent fideles ea manducare quoties ipsi judicassent abesse scandalum: sed simpliciter præcipiunt « abstinere a tali cibo ». Ne permisceas finem præcepti, et materiam seu objectum. Finis omnium præceptorum divinorum est charitas erga Deum; et tamen præcepta ipsa particularia, v. gr. de non furando, de non occidendo, dici non possunt mera declarationes præcepti charitatis sed vera sunt ac distincta præcepta, quæ immediate obligant ad abstinendum ab humani sanguinis injusta effusione, et rei alienæ ablatione. – Sardagna t. 2 n. 247.

II. Probata alibi infallibilitate Ecclesiæ quoad fidem et disciplinam generalem, tota disciplina generalis Ecclesiæ, ejusque fides, pro nobis testantur; v. gr. Canones seu leges Conciliorum quæ a remotis temporibus semper habita sunt in Oriente et Occidente, quæ passim appellant ad potestatem sibi divinitùs factam mediante revelatione.

Probatur 3a pars.

I. Apostoli factis et verbis demonstrarunt potestatem judiciariam tum 1°) sibi, tum 2°) suis successoribus esse collatam – Ergo.

Probo min. quoad 1um. Potestas judiciaria est potestas declarandi quid sit jus, et sententiam authenticam ferendi de bonitate vel malitia alicujus actionis individuæ secundum leges societatis: et potestas judiciaria in foro externo et contentioso (id eam

distinguamus a potestate judiciaria in foro interno, in tribunali (Pœnitentiæ, de quâ non agimus) judicat publicè et ex notitiâ delicti non acceptâ per solam liberam confessionem illius qui est reus, sed aliunde. Atqui Paulus I Cor. V, hæc omnia facit. Nam a) declarat authenticè legem, quâ vetitum erat ne quis uxori patris sui conjungeretur (v. 1.); — b) secundum hanc legem judicat malam esse actionem incestuosi Corinthii, et decernit pœnam in reum, v. 3: « Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui hæc operatus est, in nomine D. N. J.-C., congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Nostri Jesu, tradere hujusmodi (hominem) Satanæ, in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. J. C. » Juxta interpretes et ex sensu obvio, excommunicationis pœna hic significatur: nam qui e regno Christi seu ex Ecclesiâ pellitur, reincidit in regnum Satanæ; ad afflictionem et pœnam in præsenti vita naturali, pro salute supernaturali in altera vita; — c) judicium illud est publicum, saltem æquivalenter: judicat quidem absens Paulus, adsignificat tamen judicium hujusmodi solere fieri in præsentiâ (« judicavi ut præsens »), præsente nimirum judice et assessoribus ejus (« congregatis vobis »), et reo. (Palmieri l. c.). — Cæterum d) judicat ex notitiâ delicti acceptâ non per liberam confessionem rei, sed per famam (« Omnino auditur inter vos fornicatio », etc.) Adverte hanc potestatem tanquam ex jure divino, ex institutione divinâ ortam exhiberi: a) negative, quia nulla alia ejus origo potest assignari, nulla alia ab Apostolo indicatur, et deberet indicari si esset; — b) positivè, quia Paulus eam exercens ait se agere « cum virtute Domini Jesu. »

Et confirmatur ex v. 12 ibid.: « Quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicare? Nonne de iis qui intùs sunt vos judicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. » Ergo hæc judicandi potestas, quam

ibi exercet Paulus, minime extenditur ad illos qui simpliciter « foris sunt » scilicet qui ad Ecclesiam nullo vinculo pertinent (quales sunt infideles) ut ex contextu patet. Eos judicat Deus, non Ecclesia; qui vero intus sunt, judicat Deus et Ecclesia. Hinc apparet judicia Ecclesiæ non esse sententias mere theoreticas, sicut si quis philosophus sententiam ferret de malitia incestus, quæ pro omni homine pariter valeret: sed esse veram jurisdictionem, quæ valide non exercetur nisi in proprios subditos, quæ non excurrit extra fines societatis illius, ad quam regendam data est. — Card. Franzelin de Eccl., thes. XIV, in fine.

Probo Min. quoad 2^m^. Paulus I. Tim. V. 19. dicit Episcopo: « Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. » Hæc supponunt in Episcopo potestatem judiciariam: nam accusatore, testibus, judice, reo constituitur judicium quod volumus, scil. in foro externo et contentioso.

II. Christus vult esse tribunal aliquod « Ecclesiæ » publice judicantis et excommunicantis, Matt. XVIII. 17: cf. supra p. 58.

III. Ex constanti et universali praxi Ecclesiæ. Sic v. gr. ipso tempore persecutionum, sub Aureliano imperatore, Concilium Antiochenum judicat excommunicat et deponit ab episcopatu Paulum Samosatensem, et de hac re mittit epistolam synodalem « Dionysio (Rom. Pontifici) et Maximo (Alexandrino), et omnibus per universum orbem comministris nostris Episcopis, Presbyteris et Diaconis, et universæ Ecclesiæ catholicæ quæ sub cœlo est: » quam epistolam habes transcriptam apud Eusebium hist eccl. l. VII c 30 (Migne XX. 710).

IV. Ratione theologica, ex potestate legislativa jam probata: quæ inanis esset, nisi data esset simul potestas invigilandi et decernendi

utrum actiones fidelium sint legibus Ecclesiæ conformes an difformes. Secùs enim unicuique liberum esset, eas leges ad suum sensum detorquere, pro suâ libidine. — Nec dicas, fieri posse ut leges ecclesiasticæ a tribunalibus civilibus authentice declarentur actionibusque fidelium applicentur. Nam ejusdem est cognoscere de actionum conformitate cum vero sensu legum, cujus est verum sensum determinare: et ejus est determinare verum sensum legum, cujus est ferre leges. Cf. 2.2æ q.60. a.6. Sæpe quidem apud homines legislator non per semetipsum potest judicare, sed per alios: non vero per tribunalia societatis diversæ et diversi ordinis, unde fieret ut leges etiam contra legislatoris intentionem, ac proinde contra ipsas leges, definirentur et applicarentur. - Cf. Card. Tarquini, Juris eccl. publici Institutiones, l. I n° 20.

Corollarium. Ergo errat canonista Van-Espen, inter Jansenianos famosus, dum asserit (Juris Eccl. p. 3. c. 1) distinctionem fori ecclesiastici criminalis et contentiosi a foro pœnitentiali et voluntario inductam esse sæculo XI et XII tantùm. Si quid enim tunc innovatum est, id totum ad formam solemnitatesque judicii pertinet. — Objicit (ib. tit. 11. n. 2): «Panas Ecclesia (primitiva) ejusque ministri non infligebant, nisi cum respectu ad forum pœnitentiale.» Nempe illæ pœnæ spectabant ad «pœnitentiam publicam» tunc in usu. — Respondetur, forum pœnitentiale duplex antiquitùs distingui debere: unum sacramentale et prorsùs privatum; alterum canonicum in quo imponebatur pœnitentia publica. Sed hæc impositio dupliciter fiebat: 1°, iis qui ipsi se accusabant et pœnitentiam ab Episcopo vel Pœnitentiario dictatam se sponte subjiciebant; 2°, iis qui ab aliis accusati et in judicio ecclesiastico juridicè convicti fuerant. In 2° casu, verum habebatur judicium contentiosum,

in quo contra invitos, servato ordine judiciario, per veram jurisdictionem contentiosam procedebatur; et ad pœnitentiam publicam ipsis assignatam certorum flagitiorum rei cogebantur sub comminatione excommunicationis et expulsionis ab Ecclesia. Lege P. Zallinger (Instit. Juris Eccl. in l. II. Decret. tit. de Judic. s. 20 et 37), qui de hac re plenissime disserit. — P. Terrien, cod. lithogr. de Ecclesia.

Nota. Actionibus individuis subditorum applicantur leges (ex se generales) non tantum per potestatem judiciariam, sed etiam per varia alia media, quæ recentiores refferre solent ad aliam specialem potestatem quam executivam vocant; hæc sæpe prævenit et impedit legum transgressiones, quas potestas judiciaria commissas reprimeret. Nos, satis usitatam apud Veteres divisionem sequentes, noluimus in thesi specialem partem ponere de potestate executiva: sed, ut facile patet, hæc potestas (qua legum observatio urgetur per alia media quam per judicia) Ecclesiæ non deest. Ad hanc potestatem pertinent v. g. inspectio totius diœcesis ab Episcopo et jus ejus visitandæ, delegatio jurisdictionis ad ministros inferiores, et jus eos examinandi idoneosque seligendi, administratio bonorum Ecclesiæ, etc. Jam vero potestas hæc faciendi probatur, tum quia est necessarium complementum potestatis legiferæ, tum ex constanti Ecclesiæ usu, tum ex praxi ipsorum Apostolorum (Act. XV. 36, 41; — XIV, 22, cf. Tit I, 5; — Act. V. 1-10, VI. 1-6, cf. I Tim. V. 16-18, I Cor. XVI. 1, 2).

Probatur 4ª pars

1º) Ut consectarium ex probatâ potestate judiciariâ: quæ nequit esse mera declaratio veri sensus legis pro casu particulari merumque examen facti, sed insuper ne sit inanis, necessariò importat sententiam pœnalem in convictum reum, seu

coactionem

2°) Apostoli et a) sibi et b) suis successoribus asserunt coactivam potestatem. Ergo

Probo Antec. quoad a) — Paulus excommunicat tum incestuosum Corinthium (supra, p. 66), tum Hymenæum et Alexandrum (I Tim. I. 20; II. Tim. IV, 15; Thess. III. 6); minatur pœnas Corinthiis, I. Cor. XV. 21: « Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis? » Et II. Cor. XIII. 2: « Prædixi » (in priori epistolâ, verbis modo citatis) « et prædico, ... iis qui ante peccaverunt, et omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. » Et infra v. 10: « Ideo hæc absens scribo, ut non præsens duriùs agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem non in destructionem. » Hæc ultima, dum asserunt illam potestatem esse de jure divino, addunt eam esse "in ædificationem"; nam v. g. excommunicatio est medicinalis pœna, tendens in ipsius excommunicati salutem (I. Cor. V. 5); vel, ut interpretatur Chrysost., per « ædificationem » et « destructionem » intelligit duplicem potestatem præcipiendi et puniendi (quarum una magis affirmativa, altera magis negativa) et ait, potestatem puniendi sive destruendi non per se et ex primaria voluntate et intentione Christi datam esse Apostolis, sed in alterius subsidium, et quasi ex accidenti suppposito peccato: quasi diceret: « potiùs in ædificationem quam in destructionem. »: id vero exprimit per negationem (eodem hebraismo quo dicit I. Cor. I. 17: "Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare"): cf. Petav. De Eccl. hier. l. 3. c. 9. — Pariter II. Cor. X. 6-8: « In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam »: dicit impositionem pœnæ etiam invito factam.

Prob. Antec. quoad b). Ne quis putet eam potestatem esse propriam Apostoli, nec ad ejus transire successores, ipse monet Episcopos, ut eâdem

potestate utantur, I Tim. V. 20: « Peccantes coram omnibus arque: ut et coeteri timorem habeant »; Tit. I. 13: « Increpa illos dure » etc.; III. 10: « Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita. » Cf. II. Joan., 10 et 11.

Objiciunt: Etiam paterfamilias filium potest increpare, castigare, à conspectu suo et à communi mensâ removere, etc. quin tamen idcirco habere dicatur jurisdictionem. Ergo pœnæ citatæ nihil probant. — *Resp. Neg. Cons.* Quod habeatur jurisdictio proprie, potius quam potestas dominativa et œconomica patrisfamilias, id non pendet necessariò à genere pœnæ inflictæ, quæ sæpe potest esse materialiter eadem in utroque casu; sed pendet a natura et extensione potestatis, a jure ferendi veras leges, etc. Hunc habemus probandum hoc tantùm, non deesse aliquam coactionem: quæ si penitùs deesset, potestas jurisdictionis complemento necessario careret. Satis ergo probavimus quod probandum erat.

3°) Ex constanti Ecclesiæ praxi: excommunicationes, depositiones, pœnitentiæ publicæ (non semper voluntariæ) ... Cf. hist. eccl.m

Principia ad solvendas objectiones

1° « Libertas naturalis » hominis consistit tùm in immunitate a physicâ necessitate ad unum tùm in jure resistendi illegitimæ coactioni et falso superiori: non verò in immunitate a lege humanâ justè obligante. — « Libertas christiana » quam teste Apostolo habemus, quamque Luther et alii objiciunt, explicata est in tr. de Gratiâ habit. p. 445, 446. — Wirc. de Legibus n. 69, 84, 85, 155.

Instant: Christus ab Ecclesiâ suâ abstulit jugum legum Mosaicarum: ergo multò magis jugum legum ecclesiasticarum, nam hæ sunt plures: confer inter se Pentateuchum, et Corpus Juris! —.

Resp. Nego Cons. ejusque prob. - Leges ecclesiasticæ quæ universæ Ecclesiæ absolute imponuntur (omittendo leges conditionatas, quæ obligent certos tantum status libere susceptos, v.g. religiosos, prælatos), sunt paucissimæ præ multitudine legum absolute impositarum toti populo judaïco, quæ valde onerosæ erant, et sub durissimis pœnis. - Wirc. ib. n. 95.

2°) Solus Deus habet jurisdictionem a nemine acceptam, nemini obnoxiam: non autem excludit humanam jurisdictionem ab ipso participatam et dependentem. Solus potest perducere hominem ad finem supernaturalem, ut causa principalis, infundendo gratiam: nihilominus Ecclesiæ ministri dirigunt et ipsi ad finem supernaturalem, ut causæ secundariæ, tum per potestatem ordinis, ut ministri sacramentorum quibus gratia confertur, tum per potestatem jurisdictionis, quâ vel positivè influunt in cooperationem quam fideles gratiæ et sacramentis dare debent, vel negativè, impediendo pericula, scandala, occasiones ac proinde peccata, in ordine ad æternam salutem.

3°) Marsilius Patavinus, in medio ævo, adulator imperatoris Ludovici Bavari Romanis Pontificibus infensi, plura objicit e Scripturâ (in lib. « Defensorium pacis » p. II. c. 4. segq.), quæ cæteri post eum adversarii plus minùs exscripserunt. — Ac primum: Christus, dum in terris ageret, nullam potestatem regalem habuit: negavit se esse judicem constitutum super duos litigantes de hæreditate (Luc XII. 14), ab iis se subtraxit qui ipsum regem facere volebant (Jo. VI. 15), tributum solvit Cæsari, et ad tribunal Romani præsidis adductus, ejus auctoritatem supra se agnovit (Jo. XIX, 11). Atqui non amplior est potestas Ecclesiæ quam Christi. Ergo -

Resp. a) Etsi major esset vera, quid sequeretur? Nempe Ecclesiam non fuisse a Deo constitutam per se ad judicandum de rebus civilibus, ad gubernandum

Statum, quod nos sponte concedimus; sequeretur etiam fortasse, prælatos Ecclesiæ nunquam posse simul esse principes civiles, quod falsum est, at non contra thesim; item, clericos carere immunitate, scilicet subjici potestati civili quoad causas civiles, quod etiam falsum est, at non est contra præsentem thesim: in quâ de causis ecclesiasticis tantùm agimus, et de jurisdictione Ecclesiæ quoad eas. Debuisset adversarius probare, Christum in terris degentem permisisse civili potestati, ut magistratus sacros in Ecclesiâ institueret, ut leges ecclesiasticas ferret, ut causas sacras judicaret: tunc aliquid contra thesim concluderetur.

Resp. b) Cæterùm falsa est Major: principes sæculi nullam habuerunt potestatem coactivam in personam Christi; persona illa, cùm divina esset, habebat jus essentiale summæ independentiæ et potestatis in omni ordine, quod abdicare non potuit, etsi propter œconomiam redemptionis abstinuit ab usu regiæ potestatis. Tributum solvit sponte, ut vitaret scandalum; agnovit in Pilato supra se potestatem facti (permissum à divinâ Providentiâ), non potestatem juris. — Cf. Palmieri de Rom. Pont. p. 143, segq.

4°) Christus (Joan., XVIII) accusatus quòd se faceret temporalem regem Judæorum, denegat se ad hoc tendisse. At, ut advertit Aug. tract. 115 in Jo., « non ait, Regnum meum non est in hoc mundo, sed non est de (ex) hoc mundo. » Scilicet non negat se habere in terris aliquod regnum, quod est ipsa Ecclesia cum suâ supremâ jurisdictione; sed negat regnum illud originem habere ab hoc mundo, ab hominibus, ab ordine naturali, sicut illud regnum civile de quo tunc Pilatus cogitabat. Ecclesia enim est societas supernaturalis, tùm origine, tùm fine. — Deinde ubi explicat rationem sui regni: « Tu dicis quia rex sum ego. Ego ..... ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati », — tantum ibi loquitur de fine spirituali sui regni, quod ex fine suo est regnum veritatis, tendens ad fidem servandam et propagandam: nihil autem dicit de forma regiminis, quæ non erat ad rem: nihil est hîc, quòd potestatem

coactivam neget. Ceterum tunc Ecclesia magna societas cum omnibus suis proprietatibus, v.g. universalitate complectente gentes, nondùm existebat: sed tantùm erat in præparatione, ac veluti in germine: ergò non poterat nec debebat Christus, ad declarandum quid esset suum regnum, eam tunc cum omnibus suis potestatibus et regiminis formâ adversariis exhibere. — Cf. Palm. ibid.; Wirc. n. 69 in fine.

Instant. Potestas jurisdictionis in foro externo, cum suis tribunalibus, pœnis, administratione, nonnulla supponit media materialia, non mere spiritualia. Atqui finis spiritualis, qualis est finis Ecclesiæ (ex concessis), nequit exigere nisi media merè spiritualia. Ergò. — Resp. Nego min. — « Ecclesia est societas spiritualis quoad finem, sed non quoad materiam seu quoad membra quibus constat, siquidem non meris spiritibus sed hominibus constat. ... Qui planè non desipiat, novit homines (quorum quippe spiritus conjunctus est corpori) moveri, et corrigi, et coerceri, denique ad finem, licet spiritualem, perduci mediis tantùm spiritualibus non posse. » Tarquini, Institut., n. 46. Cf. Taparelli, Droit Nat. n. 1432, qui addit in nota: « Les moyens de gouvernement sont donc, de soi, les mêmes dans toute espèce de société, déterminés qu'ils sont par la nature de l'homme et par la nature de tous les objets créés. Quand donc nous parlons de société, d'autorité, de gouvernement spirituel ou matériel, cette distinction n'est pas prise au point de vue des moyens, mais de la fin spéciale que la société se propose. » Ex multis diversis mediis quæ adhibet Ecclesia, nonnulla proportionantur potius fini generali, qui (idem in omni societate) in eo est ut unitas conservetur et leges (quæcumque sint) non transgrediantur, quam fini speciali, qui est spiritualis et supernaturalis. — « Indoles mediorum, quibus a Societate obtinetur finis, determinatur quidem objectivè à naturâ finis, sed subjectivè determinari debet à natura subjecti utentis illis; sunt enim actiones, vel res circa quas versantur ac-

tiones, hæc vero necessariò dependent à naturâ subjecti agentis.... Manifestum est Societatem hominum religiosam indigere mediis exterioribus.... quæ licet per se temporalia sint, extrinsecè tamen, ratione nempe finis ad quem ordinantur, evadunt sacra.» Palmieri l. cit.

5°) Jurisdictio omnis (objiciunt) versatur circa aliquod determinatum territorium. Atqui Ecclesia territorium non habet, sed habitat in alieno territorio. Ergo. — Resp. Nego Min. Cùm dixerit Christus: «Quodcumque ligaveritis super terram», etc.: patet, terram omnem esse territorium jurisdictionis ecclesiasticæ. Ecclesia est essentialiter catholica seu universalis; aliunde non est minùs excellens, minùs necessaria quam societates civiles, ac proinde non minùs exigit omnia ad suam conservationem necessaria, cujusmodi præsertim est jus exercendæ jurisdictionis, quod jus importat proprium territorium. Ergò quemadmodum territorium pertinet ad magistratus civiles, ut temporalem curent suæ societatis finem, ita quoque pertinet idem ad Ecclesiam, ut finem suum persequatur. Nec repugnat in eodem territorio duas jurisdictiones exerceri, si diversi ordinis sunt. Utrùm subordinari tunc debeant, et quâ ratione, explicare non est hujus loci, sed ubi de relationibus inter Ecclesiam et Statum. — Hùc spectat decretum Congreg. S. Officii, anno 1624, quo schismatica et hæretica dicta est propositio, Summos Pontifices, cùm suas constitutiones in ea loca mittunt, quæ temporali aliorum principum ditioni subjecta sunt, in territorio alieno legem ferre: quam prop.ⁿ iterùm damnavit Clemens XI, Constit. «Accepimus», 1715. — Tarquini et Palm., l.c.

6°) Christus ubi ait, compescens ambitionem discipulorum (Luc. XXII. 25): «Reges gentium dominantur eorum..... Vos autem non sic; sed qui major est in vobis fiat sicut minor, et qui præcessor est sicut ministrator,» — ab Ecclesiâ suâ rejicit non jurisdictionem, sed abusum jurisdictionis, scil. fastum

ac superbiam, despotismum, tyrannidem. Nam a) pro voce «dominantur» habetur in græco κατακυριεύουσι, quæ vox significat «dominationem violentam»: v.g. in versione 70 interpretum, Josue XV. 16, eadem vox adhibetur pro violenta expugnatione urbis; — b) ipsa vox latina «dominari» sæpè malè sonabat in Principe, quia potius usurpabatur de «domino» relatè ad «servum», et significabat «dominium» proprietatis, quod est in bonum domini ipsius, quodque confundi non debet cum jurisdictione, quæ est in bonum subditorum. Quare Augustus, teste Suetonio in ejus vitâ c. 53, «Domini appellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorruit»; et Claudius, teste Tacito, Annal. lib. 12, regem Parthorum monuit, ut «non dominationem et servos, sed rectorem et cives cogitaret.» — c) Quare Christus loquitur de regibus "gentium", qui plerumque tanquam proprietatem suam considerabant bona subditorum, imò subditos ipsos: non autem loquitur de regali potestate in genere, quasi huic nihil analogum responderet in Ecclesiâ suâ. — d) Non negat, fore ut in Ecclesia sit aliquis Major, et præcessor (ὁ ἡγούμενος, quæ vox ducem et rectorem sonat, cf. supra p. et Matt. II. 6. in græco). Imo supponit fore. Nec dicit: Major sit minor, sed: Major fiat sicut minor, nempe suâ voluntariâ humilitate. Et rem exemplo suo declarat, versic. sequentes: «Ego in medio vestrûm sum sicut qui ministrat.» Eamen de se dicit (Jo. XIII. 13): «Vocatis me, Magister et Domine: et bene dicitis: sum etenim. Si ergò ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister,» etc. Sicut ergò Christus non dominabatur sicut reges gentium, et tamen habebat veram potestatem jurisdictionis, ita et Ecclesiæ præcessores vult esse. — Cf. Bianchi, Dell'esterior politia della Chiesa, l. 1. c. 1. §. 8.

Eadem est interpretatio I. Petri. V. 2.: «Pascite qui in vobis est gregem Dei .... neque turpis lucri

gratiâ ... neque ut dominantes (κατακυριεύοντες) in cleris.» «Cleri» in h. l. vel (ita interpretante S. Hieron. ep. ad Nepotian.) significat clericos, et S. Petrus ideò speciatim clericos hic memoravit, quia eis, ut propriis Episcoporum ministris, majus immineba periculum tyrannica dominationis; — vel significat ecclesias particulares, sicut in V. Test. judaïcas tribus saepè "cleros" appellatas reperimus. — Denique, etsi daretur Luthero «cleros» hìc significare singulos fideles, quatenus singuli sunt haereditas Christi, haec vocis extensio, affinis extensioni vocis «sacerdotii» ad omnes fideles, nihil probaret contra discrimen clericorum et laicorum, cf. supra p. 42 — Cercià de Eccl. lect. XI.

7°) "Repugnat, (aiunt recentiores) Status in Statu", h. e. duo societates, quarum utraque habeat veram et perfectam potestatem jurisdictionis — Resp. dist.: si utraque specificaretur eodem fine (sicut si coexisterent duo suprema gubernia civilia in eâdem gente), Conc.; si habent finem diversum, subdist.: si fines utriusque essent oppositi absolutè et per se, Conc.: si sunt oppositi aliquandò per accidens (orto conflictu inter duas potestates), iterum subdist.: si nullo modo fines essent coordinati inter se (ac proinde societates) nec darentur regulae ad terminandum conflictum, Conc.: si societates, sicut fines earum, sunt coordinata, et certis regulis potest vitari perturbatio (nisi ex hominum vitiis perturbatio moveatur), Nego. — Sed de illis regulis et de illâ coordinatione alibi, ubi de relationibus inter Ecclesiam et Statum. Interim cf. si placet, Card. Tarquini. op. cit.

8°) "Ecclesia, (objiciunt), non habet neque habere potest vim materialem, armatos satellites, etc... Ergo non habet potestatem coactivam." — Resp. Trans. Antec., Nego Consec. Nam in potestate coactiva, duo distingue: 1° potestatem juridicam cogendi, cum correlativa obligatione subditi ut subeat poenam, quae obligatio ad

poenam oritur ex lege vel sententia judicis ; – 2°. expeditam facultatem ad executionem poenae. Privatio vis materialis nunquam impedit 1^m, etiam ubi impedit 2^m : – et 2^m non est necessarium in omni casu : nam v. g. si quis reus legitimè condemnatus aufugit à Principis civilis territorio, nequit in ipsum exercere coactionem Princeps, cujus tamen potestas est verè coactiva ; item, si milites aliique custodes ordinis non obediunt Principi. – Utique, si expedita illa facultas exsequendi poenam non deesset tantùm per accidens, sed per se et semper, finis potestatis coactivae non attingeretur, et jurisdictio careret complemento aliquo necessario. At ita non est in Ecclesiâ, etiam supposità sine vi materiali et satellitibus. Etenim exsecutio poenae potest se habere dupliciter. a) Si poena consistit in aliquo malo ad quod inferendum requiritur vis materialis ut causa physica, tunc exsecutio non obtinetur nisi per actionem quorumdam ministrorum physicè cogentium : at b) si poena consistit in privatione alicujus boni spiritualis vel juris quod sine vi exteriori perfectè amitti potest, tunc exsecutionis locum tenet ipsa lex aut sententia judicis quae eam privationem inducunt : talis est poena excommunicationis ; quae coeterum incommoda etiam temporalia, ut diximus, per se inducit. Imò quando excommunicatus, spernens sententiam judicis, se gerit velut non excommunicatus, vel depositus pergit violenter in ministerio ; in eo ipso casu, remanet tamen excommunicatus coràm Deo et Ecclesia, et quidquid agat contrà, bonis caret spiritualibus, quibus excommunicatio privat ; pariter depositus caret revera juribus quae priùs habebat, ita ut amplius non possit licitè, et validè quoque si de jurisdictione agitur, ministerium exercere. – Ergò habemus satis ad id quod probandum suscepimus : memento enim nos hic praescindere à poenis directè corporalibus, sine quibus jam satis potest probari existentia veræ ju-

risdictionis coactivæ in Ecclesiâ.

Alia responsio esset, quod usus vis externæ potest duplici modo esse in potestate Ecclesiæ: 1°. quatenùs ministri quidam ab ipsâ instituti et ab ipsâ facultatem immediatè accipientes exercent vim externam; 2°. quatenùs ipsa Ecclesia jubeat Christianos Principes vim suam exercere in defensionem suam, et sic vim adhibeat mediatè. Etiam omisso 1°, remaneret 2^m. Sed hæc responsio nos introducit in quæstionem de relationibus inter Ecclesiam et Statum, quæ non est hujus loci. – Palmieri l. c.

9°) Adverte etiam, nos hìc non attingere specialem et difficiliorem quæstionem de repressione hæreseos, seu utrùm fides imperari possit ab Ecclesiâ sub variis pœnis. Sufficit nunc considerare potestatem coactivam in aliis materiis, quæ ad disciplinam spectant, v. g. quando reprimit ministrorum Ecclesiæ gradum negligentiam vel abusum potestatis, inobedientiam erga leges et Superiores ecclesiasticos, etc.

10°) Quando Deus (Matth. XIII. 30), jubet ut zizania sinantur crescere usque ad messem, declarat fore ut Ecclesia, regnum suum, non solis sanctis, sed etiam fidelibus peccatoribus coalescat usque ad messem, i.e. (v. 39) finem mundi; et separationem ab Angelis faciendam (v. 41) differt ad illud tempus: minime verò jubet ministros Ecclesiæ, ut malos soli divino judicio semper reservent. Si tamen accommodatur hic locus ministris Ecclesiæ, dicendum est, rejici non potestatem coactivam, sed abusum ejus per zelum intempestivum, "eradicantem cum zizaniis et triticum." (v. 29). – Quod quidem tribus modis contingere potest, (ait S. Thomas Quodlib. 10. a. 15. ad 1.): uno modo, si aliquis præscindetur antequam de ejus malitiâ constaret... Secundò si non esset in malitiâ obstinatus: unde... Tit. III. 10. dicitur: Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita. Tertiò, si simul boni cum malis involvantur... His autem remotis, debent mali, (non

omnes qui mali sunt in corde, sed qui sunt publici peccatores, praesertim in eis sceleris generibus quae damnosiora sunt societati, cf. 1. 2. q. 96. a. 2.) "praescindi, secundum illud (1 Cor. V. 13.): Auferte malum (τὸν πονηρόν, malum hominem, incestuosum illum) ex vobis.".

11°) "Si quis in hac re contingeret abusus, qui tamen facilè supponi non debet, refundere illum non oportet in Christum et Ecclesiam, sed in aliquos Praelatos, ob quorum culpam privari non potest Ecclesia hâc potestate tam necessariâ ad fideles in officio continendos. Profectò, si quid huic adversariorum argumento roboris inesset, sequeretur neque laicis tribunalibus potestatem coactivam temporalem à Deo concessam esse." - Sardagna t. 2. n. 265.

12°) "Quod verò objiciunt de potestate coactivâ quae odiosa est atque ab Ecclesiae indole abhorrens, non afficit nisi modum ejus in praxim deducendae: modus porrò nullatenùs permiscere debet cum jure de quo disserimus; hic autem modus potest accommodari locorum, temporum ac personarum adjunctis, prout semper factum ab Ecclesiâ est." - Berrone, Comp. de locis Theol. p. 4. c. 4.

13°) Textus Patrum qui opponuntur, vel a) agunt de peculiaribus adjunctis (frequentioribus initio Ecclesiae) in quibus, etsi adsit jus cogendi, tamen jus in exercitio suo impeditur, quia coactio esset vel impossibilis, vel imprudens et majorum malorum occasio; in quo casu jus potest esse verissimum, ita ut eo uti non agere valide, et tamen usus juris est illicitus; - vel b) reprobant modum aliquem illicitum, scil. crudelem, superbum, importunum etc. in usu potestatis; - vel c) loquuntur de infidelibus, qui, utpote non subditi jurisdictioni Eccl.ae, non subjiciunt ejus actioni, et solâ persuasione ad fidem et Eccl.am inducendi sunt; - vel d) ex relationibus Eccl.ae ad fideles, spectant tantùm eas quae ad forum internum poenitentiae et directionem animarum pertinent, in quibus relationibus regnant

misericordia et persuasio; — vel e) nolunt Episcopum in terrenis et civilibus litigiis componendis totum absorberi, etc. — Cf. Palmieri p. 149, segg.; - Wirc. de Legibus n°: 95.

Thesis III

Potestas ordinis et potestas jurisdictionis sunt separabiles, — 2) quamvis per se in Episcopis conjunctæ; — 3) et multipliciter distinguuntur. — 4) A potestate jurisdictionis pendet usus ipsius potestatis ordinis, seu facultas licite eâ utendi.

St. Q. — Postquam potestates ordinis et jurisdictionis probavimus separatis thesibus, in hâc juvabit eas ad invicem conferre, ut distinctior earum notio evadat, appareantque earum ad invicem relationes: quod non parum inserviet et ad praxim casuum solvendorum, et ad intelligendum tractatum de Ecclesiâ, quem multi recentiores obscuriorem reddiderunt, duplicem hanc fundamentalem potestatem non satis clarè distinguendo. Praeterea errores graves de inseparabilitate illarum potestatum habemus refutandos.

Etenim distinctionem et separabilitatem utriusque potestatis aliqui ex catholicis impugnârunt, tum olim ut refert Lainez n°: 270, tum etiam in ætate recentiore, ut refert canonista præclarus Devoti, in suis Institutionibus l. I. tit 2: « Monenda hæc esse volui, ut maturè pateat error canonici Georgii Sicardi et aliorum generis ejusdem, qui notissimam hanc receptissimamque potestatis distinctionem falsò et audacter improbant. Eos præter cæteros, solidè refutavit Bolgenius, Della giurisdizione eccles., Romæ an. 1791. » — Sanè inde sequerentur maximi contra fidem catholicam errores. V.g. queret primatus jurisdictionis in Romano Pontifice: nam Romanus Pontifex, ut videbimus,

potestate ordinis non differt ab aliis Episcopis : ergo nec differret potestate jurisdictionis, si utraque potestas idem esset. Item extra catholicam ecclesiam haretici et schismatici, qui possunt esse rite ordinati sicut v.g. apud Orientales, habentes potestatem ordinis haberent pariter et necessario potestatem jurisdictionis, proinde jus haberent sedendi in conciliis oecumenicis ut judices et legislatores, etc — Quare 1a pars nostræ thesis dicenda est de catholicam doctrinam pertinere, nec posse negari a catholicis viris. — Cæterum eam innuit Trident. s. 23. can. 7, ubi in legitimorum ministrorum creatione duo distincta requirit, scilicet ordinationem et missionem, quarum altera confert ordinis, altera jurisdictionis potestatem.

Recentioribus, inseparabilitatem absolutam utriusque potestatis etiam propugnant vel supponunt anglicani, quo facilius suum schisma defendere possint: ut refert Card. Wiseman eos impugnans in op. « Prétentions de la haute Eglise » etc. 4e article (apud Migne, Dém. évang. t. 17 p. 489). « Ces auteurs (les auteurs anglicans des Tracts for the times, publiés à Oxford), dans les passages cités plus haut (tract 5e, 15e, etc), posent en principe que l'ordination ou l'imposition des mains transmet en même temps avec elle la juridiction apostolique. Ils s'imaginent qu'il suffit d'admettre que les évêques de l'établissement (c.a.d anglicans) ont été validement consacrés, pour en conclure qu'ils sont en possession de l'autorité dans leurs sièges respectifs. Que le lecteur parcoure le 7e traité, il y verra le simple fait de succession à un siège par la voie d'une consécration légitime, allégué comme une raison suffisante d'admettre la transmission de la succession apostolique ..... Mon intention est de discuter la question débattue entre les anglicans et nous, indépendamment de tout examen de la validité de leurs ordinations ..... En leur accordant même, par manière de raisonner, que leurs ordinations sont valides, ils n'en ont pas davantage et n'ont jamais eu de droits réels à la succession apostolique. »

De Ordine XI = 1

Non solùm contra Catholicos in hâc re errantes, sed etiam contra Anglicanos utpote Traditionem antiquam admittentes, argumentari possumus ex documentis Patrum et primorum Conciliorum, ut notat idem Cardinalis, ibid: « Comme les théologiens (anglicans) auxquels j'ai affaire ont le plus grand respect pour l'antiquité ecclésiastique, et conviennent, dans le fait, avec moi qu'elle est le juge auquel on doit en appeler dans les questions comme celles-ci, sur lesquelles l'Ecriture ne nous a laissé ni canon ni règle, j'en ferai l'arbitre de leurs prétentions. »

Probatur 1ª pars

1°) Considerando hæreticos et schismaticos. — Potestas ordinis accipitur et retinetur etiam extra Ecclesiam, etiam a Schismaticis vel hæreticis: ita ut presbyter vel episcopus ordinatus in secta (dummodò secta illa se separando servaverit essentiam ritus sacramentalis in ordinando, quod non semper fit) non debeat iterum ordinari, et ubi Ecclesiam ingressus fuerit, potestatem ordinis olim acceptam exercere possit statim ac Ecclesia permiserit.

Atqui potestas jurisdictionis, seu ligandi et solvendi, non existit extra Ecclesiam, inter hæreticos et schismaticos: eorum Episcopi, etiam rite ordinati, nullos habent subditos, quos jure regant.

Ergo potestas jurisdictionis est separabilis a potestate ordinis.

Major supponitur ex tract. de Sacram. in genere; cæterùm admittitur ab adversariis. — Sufficiat hic afferre testimonium S. Aug. c. epist. Parmen. l. 2. c. 13. (Migne XLIII. 70): « Utrumque (Baptismus et Ordinatio) Sacramentum est, et quâdam consecratione utrumque homini datur ..... ideoque in catholicâ (Ecclesiâ) utrumque non licet iterari. » — Deinde loquens de conversione sacerdotum et episcoporum ordinatorum a Donatistis: « Correctò schismatis errore suscepti sunt (ab Ecclesiâ), et, si visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursùm ordinati;

sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra: quia in præcisione (scil. schismate) fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in Sacramentis, quæ, ubicumque sunt, ipsa sunt, et cum expedire hoc judicatur Ecclesiæ, ut præpositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos „. Et infra: "Sicut autem habent in Baptismo quod per eos dari possit, sic in Ordinatione jus dandi „ (hoc jus est ipsamet potestas ordinis): "Utrumque quidem ad perniciem suam, quandiu charitatem non habent unitatis „ — "ad perniciem", quia illicitè administrant sacramenta hæretici vel schismatici, licet validè — Cf et supra p. 41; arg. et diffic. apud Hallier, p.2. s.5-c.5, Wisc. de Sacram. in genere n° 143; de Ordine, n° 147, seq.

Probo Minorem

a) Ex unitate regiminis in Ecclesiâ. — Ecclesia Christi est una societas (Matt. XVI.18, "Ædificabo Ecclesiam meam."), quæ gaudet potestate jurisdictionis sicut aliquod imperium (cf. Th. II), ac proinde, sicut omne imperium unum, debet habere unitatem regiminis (Cf. tract. de Ecclesiâ, ubi de Unitate). — Atqui si jurisdictio ecclesiastica, à Christo derivata, existeret revera in sectis hæreticorum et schismaticorum, quæ de facto singula habent suum regimen omninò separatum ab invicem et a nostro, unitas regiminis deesset prorsùs in Ecclesiâ Christi; auctoritas ecclesiastica, seu potestas jurisdictionis, non esset una in mundo per coordinationem et subordinationem variorum hominum qui eam detinerent, sed esset discepta in variis truncis inter se non cohærentibus, et revera essent plures jurisdictiones ecclesiasticæ, proinde plures Ecclesiæ Christi. — Ergo.

b) Ex Patribus et Conciliis: — Episcopos hæreticos vel schismaticos dicunt "non habere potestatem Episcopatûs „, non esse "veros Episcopos „: quod nequit intelligi de potestate ordinis: ergo de potestate jurisdictionis: quam non dicunt Patres impediri, suspendi quoad usum, sed

simpliciter deesse, et ex illo essentiali defectu, ille qui est Episcopus quoad ordinem, non est simpliciter « vetus Episcopus » sed quasi dimidiatus Episcopus, unum tantum ex duobus Episcopatûs elementis habens. Sta S. Cyprianus ep. 52 ad Antonianum (Migne III. 791): « Episcopatûm tenere non potest (schismaticus) etiamsi Episcopus prius factus à Coepiscoporum suorum corpore et ab Ecclesiæ unitate dessiverit ... Qui se ab Ecclesiæ vinculo atque a Sacerdotum (scil. Episcoporum) collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere nec honorem. » — S. Ambrosius. lib. I de Pœnitentia c. 2. (Migne XVI. 467): « Jus enim hoc (ligandi et solvendi, seu jurisdictio) solis permissum Sacerdotibus (scil. Episcopis) est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quæ vero Sacerdotes habet; hæresis vindicare non potest, quæ sacerdotes Dei non habet. » — S. Optatus l. I, c. 10 (Migne XI. 890): « Vel hæretici omnes neque claves habeant, quas solus Petrus accepit, etc. » Et lib. 2. c. 5. ad Donatistas schismaticos dicit: « Unde est ergo quòd claves regni cœlorum vobis usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri ... militatis? » — S. Augustinus. lib. 4. de Bapt. c. 1. (Migne XLIII. 158): « Baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatæ vitæ nonnisi intra Ecclesiam reperitur, quæ super petram etiam fundata est, quæ ligandi et solvendi claves accepit. Hæc est una, quæ tenet et possidet omnem sui Sponsi et Domini potestatem », scil. non tantum potestatem ordinis, sed potestatem etiam jurisdictionis. — Clara apud Bolgeni, l'Episcopato, t. 2. c. 5; MS., confutazione di Sicardi, c. 1; Lainez n. 279. segg.

Imo qui nec hæreticus, nec proprie schismaticus est, sed tantum accedit ad schisma, quatenus ordinatur Episcopus contra regulas Ecclesiasticas, et debitam subordinationem, cum etiam dicunt « non esse Episcopum », esse « pseudoepiscopum », etc. — Sta Concil. œcumenic. Nicænum I.mum can. 6 (apud Labbe t. 2. p. 41.): « Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus » (supponitur ergo ordinatus, proinde habens potestatem ordinis), « hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere. » — Conc. œcum. Constantinop. I.mum hoc principium applicat ad casum aliquem particularem, sic definiens can. 3. (apud Labbe t. 2. p. 954): De Maximo Cynico, et ejus inordinata constitutione quæ Constantinopoli facta est,

placuit neque Maximum Episcopum esse, vel fuisse, nec eos qui ab ipso in quolibet gradu clerici sunt ordinati. » Advertit de istis Episcopis ordinatis sine consensu Metropolitani, vel contra alias ecclesiasticas regulas ad debitam subordinationem tendentes, non dici eos esse per modum pœnæ privandos exercitio jurisdictionis episcopalis: sed dici, eos non habere nec habuisse unquam jurisdictionem episcopalem, nunquam fuisse quod illam «episcopos»: Deo nolente talibus ullam jurisdictionem communicare. — Pariter S. Leo Magnus, ep. 167 ad Rusticum Narbon. (Migne LIV. 1203): « Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. Unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat, nequaquam istos esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, et ordinatio eorum consensu et judicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent. » Ergo illi, contra leges ecclesiasticas ad electionem spectantes, promoti et ordinati, carent omnino potestate jurisdictionis (« non docetur fuisse collatum ») et ideo « pseudoepiscopi » vocantur: et tamen habent potestatem ordinis, siquidem aliqua ordinatio ab ipsis facta « potest rata haberi », et clerici ab eis ordinati possunt, sub quibusdam conditionibus, sua munera exercere. — Denique Concil. 1. 2um. opponit duo genera episcoporum, 1os quorum electio fuit a Rom. Pontifice probata, et 2os qui sine ejus consensu eliguntur (utrique supponuntur rite ordinari, quæstio hic non est de vero ritu ordinationis, sed de vera vocatione et institutione seu quanam auctoritate visibili eorum auctoritatem recipere debeant): et 2os negat esse veros Ecclesiæ ministros, deficiente tali jurisdictione. Nam act. de primis can. 9: « Si quis dixerit episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed esse figmentum humanum, A. S. » Et de 2is, cap. 4: « Decernit (Sp. Synodus) eos qui tantummodo a populo, aut a seculari potestate ac magistratu, vocati et instituti ad hoc ministerium exercendum accendunt,

et qui ea propriâ temeritate sibi assumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos, habendos esse."

2°) Etiam intra Ecclesiam, et sine violatione legum Ecclesiæ, existere potest vera ordinatio ac proinde potestas Ordinis sine potestate jurisdictionis.

Ergo sunt potestates separabiles.

Probo Anteced. — Exemplum habemus v. g. in actis Conc. œcumen. Ephesini (apud Labbe t. 3. p. 805). Eustathius, metropolitanus Pamphyliæ, propter contradictiones quasdam in suo populo, Episcopatui renuntiaverat; et Theodorus ejus loco fuerat electus. S. Synodus dicit: "Justum rectumque definivimus, ut absque omni contradictione (Eustathius) et nomen retineat Episcopi, et honorem et communionem: eâ tamen lege, ut neque ordinandi ipse auctoritatem habeat, neque in ullâ Ecclesiâ ex propriâ sacrificet auctoritate, nisi id sibi vel adjuvandi causâ, vel concessionis ratione, affectu amoreque Christiano, a Fratre et Coepiscopo, si ita contigerit, liberaliter deferatur." — En Eustathius habet potestatem ordinis, siquidem dignitatem episcopalem servat, et sine nova consecratione, cum solâ alterius Episcopi licentiâ, ordinare potest; cæterum potestas ordinis est inamissibilis: et tamen nullam habet propriam jurisdictionem, sed solum delegatam et precariam, "concessionis ratione": indiget licentiâ ut ordinet et sacrificet licite. Neque id fit per modum pœnæ, sed ut mera consequentia hujus principii, quod una potestas (ordinis) non necessario involvit alteram (jurisdictionis).

Idem Conc. (ib. t. 3. p. 664) loquitur de quibusdam Episcopis, quibus nulla erat jurisdictio; eos vocat "sine urbe, vacantes, non habentes ecclesias."

Sozomenus, hist. eccl. l. 6. c. 34. (Migne LXVII. 1394) refert quosdam in sæculo IV° Episcopos creatos sine ulla jurisdictione: "Apud Edessam... cœleberrimi tunc monachi erant, Julianus et Ephrem, Syrus scriptor... Barsa[illegible] item et Eulogius, qui quidem ambo postmodum Episcopi fuere, non alicujus urbis, sed honoris dumtaxat [illegible] quem ad repensanda præclara ipsorum facinora [illegible]

Monasteriis ordinati. Quo quidem modo etiam Lazarus, de quo supra dixi, Episcopus fuit, » – scil. honorarius.

Plura apud Bolgeni, t. 2. c. 7; Bouix, de principiis Juris can. p. 3. c. 6. s. 1. n. 4; Wiseman, l. c.

Multo magis in presbyteris invenitur quædam potestas ordinis sine ulla jurisdictione: v. g. in sacerdotibus qui non habent curam animarum; – et a fortiori in Diaconis.

3°). Vicissim existere potest jurisdictio episcopalis sine potestate ordinis respondente, seu sine consecratione episcopali.

Ergo.

Prob. Antec. a) Exemplis antiquis. Teste S. Sidonio Apollinari. Epist. l. 4. ep. 11. (Migne LVIII. 516); Claudianus presbyter Viennensis sæc. V° S. Mamertum Episcopum, fratrem suum natu majorem, ita adjuvabat, ut pro ipso Ecclesiam gubernaret: « Antistes fuit ordine in secundo » (quasi dicat: Episcopus fuit in presbyteratu; ordo primus sacerdotii est Episcopatus, ordo secundus est presbyteratus), « fratrem fasce levans episcopali. Nam de pontificis tenore summi, ille insignia sumpsit, hic laborem. »

S. Aug., ep. 213. al. 110 (Migne XXXIII. 967), cum senesceret, proposuit populo suo Hipponensi Eraclium ut coadjutorem suum et futurum successorem: « Presbyterum Eraclium mihi successorem volo ». Nec tamen voluit eum statim consecrari episcopum: « Erit presbyter ut est; quando Deus voluerit, futurus episcopus. » Nihilominus curam gubernationis episcopalis simplici illi presbytero commisit: « Obsecro vos, et obstringo per Christum, ut huic juveni, hoc est Eraclio presbytero quem hodie in nomine Christi designo episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum... Ergo, fratres, quidquid est quod ad me perferebatur, ad illum perferatur » etc.

Plura exempla apud Bolgeni. l. c.

b) Praxi Ecclesiæ. – A pluribus sæculis

in Ecclesia universa pacifice possidet haec disciplina, ut omnis electus episcopus proconisatus in Consistorio a Romano Pontifice, suasque Bullas consecutus, suam Ecclesiam gubernet cum plena episcopali jurisdictione, quamvis nondum consecratus. Simile quid ipsi Romano pontifici posset accidere: « Jurisdictio non solum episcopalis (ait card. Franzelin, de Eccl. th. V, n. III), sed etiam suprema et plena in universam Ecclesiam, quae est Romani Pontificis, inesse potest absque charactere episcopali. Quod quidem reipsa locum habet, quoties Pontifex eligitur qui nec Episcopus et forte nec Presbyter nec diaconus est; ex divina nempe institutione, per legitimam electionem et accedentem ipsius consensum designato Christus continuo totam confert jurisdictionis potestatem eamque divisam a potestate ordinis: haec enim, non illa, confertur per sacramentum Ordinationis seu Consecrationis. » — Praeterea, mortuo Episcopo, Capitulum gubernio illius Ecclesiae succedit, episcopalemque jurisdictionem exercet mediante Vicario Capitulari, secundum Tridentina decreta.

Jam vero Ecclesia in sua generali disciplina errare non potest. — Et adverte in nostro casu, quam funestus esset error: quantum animarum damnum, si Episcopus nondum consecratus, si Vicarii Capitulares non haberent reipsa jurisdictionem illam, quam exercent. Sacramentum Poenitentiae, administratum cum facultatibus datis a talibus Episcopis et Vicariis, invalidum esset: invalida matrimonia facta coram Parochis institutis ab Episcopo nondum consecrato, vel a Vicario Capitulari qui fere semper non est nisi simplex Presbyter, imo aliquando tantum clericus tonsuratus. Errorem tanta damna parientem Christus Ecclesiae assistens permittere non potest. — (Bolgeni, l. cit; Cainez n. 281. segq.)

Probatur 2a Pars.

Si spectamus potestatem ordinis in suo supremo gradu, et potestatem jurisdictionis, videmus Deum eas per se non distribuisse subjectis diversis, sed e contra conjun-

gere voluisse in iisdem hominibus, scil. Episcopis. Nam:
a) supremus gradus potestatis ordinis est in Episcopis, ut jam apparuit ex pluribus Patrum textibus in thesi 1ª, et plenius ostendetur in disputatione 2ª; et simul b) «Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,» (act. XX, 28) scil. jurisdictionem ecclesiasticam exercere: ut etiam magis patebit ex disp. IIIª.

Conjunctionem illam duarum potestatum, seu sacerdotii et regiminis, praeclare asserit S. Epiphanius, Haeres. 29, n. 3,4 (Migne XLI. 391), explicans prophetias de regno Xti in terris, ut Ps. 131: «De fructu ventris tui ponam super sedem tuam», et Luc. I, 32: «Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regni ejus non erit finis,» ait: «Thronus ille Davidis ac regale solium nihil aliud est, quam Ecclesiae sancta sacerdotium, quod, regia simul ac pontificia dignitate in unum contracta, ei Dominus attribuit, transferens ipsi thronum Davidis non perituram in saecula ... Manet quippe sedes illius, et regni ejus non erit finis, atque in Davidis solio considet, propterea quod Davidis regnum transtulit, idque ipsum una cum pontificatu servis suis indulsit, h.e. catholicae Ecclesiae Pontificibus.»

Conjungi per se utramque potestatem in Episcopis inde etiam probatur, quod «Episcopus» est simul nomen ordinis et nomen jurisdictionis. Hinc ille qui habet consecrationem Episcopalem sine ulla jurisdictione, potest quidem dici «Episcopus» (sumendo "Episcopum" ut nomen ordinis), sed potest etiam negari esse "Episcopus", ut negaverunt Patres, supra p. . Et vicissim, electus Episcopus, nondum consecratus et jam regens suam Ecclesiam, potest dici «Episcopus» (quatenus est nomen jurisdictionis), sed potest etiam negari esse Episcopus, quatenus characterem episcopalem (qui sola consecratione imprimi potest) non habet.

Aliunde omnes casus separationis inter potestatem episcopalem ordinis et potestatem episcopalem jurisdictionis

(quos in parte præced. enumeravimus) sunt per accidens. — a) Per accidens est, non per se et ex intentione divinâ, quod episcopi fiant hæretici vel schismatici, et sic habeant potestatem ordinis sine potestate jurisdictionis; — b) per accidens est quod Episcopus abdicet, et ordinem sine jurisdictione servet; — c) quod aliquis ordinetur Episcopus honoris causa sine jurisdictione: immo consilium Sardicense id prohibuit. Item S. Anselmus ad regem Hiberniæ scribebat (lib. III, ep. 117): « Dicitur, Episcopos in terra vestra passim eligi, et sine certo Episcopatus loco constitui. » Idque sic vituperabat (saltem si « passim » fiat): « Episcopus namque nisi certam parochiam et populum, cui superintendat, habeat, constitui secundum Deum non potest; quia nec in sæcularibus nomen vel officium Pastoris habere valet, qui gregem quem pascat non habet. Honor quoque episcopalis non parum vilescit, dum is ad pontificatum assumitur qui, ordinatus, quo divertat, vel cui per episcopale ministerium certo præsideat, nescit. » Cf. Thomassinum, Vetus et nov. Eccl. Discipl., p. 1, l. 1, c. 27, n. 11. — d) Per accidens est, quod Episcopus infirmus egeat coadjutore et quidem simplici presbytero, qui totam et solus jurisdictionem episcopalem sine ordine exerceat; talis coadjutor solet episcopus consecrari et ipse; — e) quod sedes vacet, et Vicarius Capitularis jurisdictionem episcopalem exerceat; — f) quod electus episcopus gubernet nondum consecratus: immo tunc suam consecrationem differre non debet ultra tres menses, ex decreto Tridentini (s. 23, c. 2 de Reform.). — Hæc igitur omnia non sunt casus ille ordinarius et normalis, quem Deus intendebat, et qui per se spectatur, sed potius accidunt ex humana infirmitate, vel ad breve tempus, vel per modum exceptionis.

Ergo illæ potestates sunt per se conjunctæ in Episcopis.

Nota. Ordinarie soli clerici (scil. saltem tonsurati) sunt capaces jurisdictionis, nisi Papa in casu quodam extraordinario concedat jurisdictionem laico. Ideo

potestas jurisdictionis ecclesiasticæ definitur a Lainio l. cit. n54: « prælatio sive superioritas quædam, per quam clericus dirigit sibi subjectum fidelem in vitam æternam, secundum legem divinam vel canonicam, per actus quosdam qui etiam a non consecrato exerceri possunt. » Et addit: « Ad jurisdictionem ecclesiasticam opus est, ut qui præest sit christianus clericus, qui subest sit saltem christianus. » — Nota, clericum mere tonsuratum non habere proprie ordinem, nec proinde potestatem ordinis, aut characterem indelebilem. — Cæterum de subjecto potestatis jurisdictionis disputabitur infra, disp. 3.

3ª Pars.

St. Q. Antequam videamus, in quo præcipue differat duæ illæ potestates, breviter revocabimus (thesibus præcedentibus innixi) in quo conveniant. Conveniunt aliquatenus tum in principio effectivo, tum in fine, tum in subjecto, tum in ipso esse, ut advertit Lainez (op. cit. supra p. 6), n. 186:

« 1º) Conveniunt in hoc, quod ab eodem tandem principio effectivo emanant, nempe a Deo et Christo. Ab ipso enim est potestas ordinis, ut supra probavimus ... Ipse etiam instituit potestatem jurisdictionis in sua origine, cum oves tradidit Petro; ipse etiam Deus in pontificibus vel aliis, qui jurisdictionem ecclesiasticam aliis tribuunt, concurrit principalius quam ipsi; neque natura neque humanæ vires eo per se pertingere possunt, ut spiritualem jurisdictionem concedant; sicut etiam concurrit principaliter cum ministris, qui ad conferendum ordinem Deo subserviunt. »

« 2º) Conveniunt in fine; quia utraque potestas est ad æternam salutem animarum et supernaturalem beatitudinem. Nam potestas ordinis ad conferendam peccatorum remissionem et gratiam per ministerium sacramentorum ordinata est; potestas autem jurisdictionis etiam ad ædificationem animarum est data, quam curare debet per Dei verbum,

præcepta et prohibitiones; excommunicationem indignorum ab Ecclesia et dignorum in eam admissionem et continuationem.»

«3º) Conveniunt in subjecto, quia utraque requirit creaturam rationalem et humanam, in qua sustineatur. Nam angeli, vel bruta et insensibilia, hujusmodi potestates non habent. Exigunt etiam, ut qui illas habent christiani sint; nam non-baptizatus nec ordinis est capax nec jurisdictionis ecclesiasticæ, non ordinis quidem, quia baptismus est janua sacramentorum, sine quo alia non possunt suscipi ex Dei institutione (multò minùs administrari); non-christianus etiam, licet possit præesse christianis civiliter vel despotice, non tamen super illos habere potestatem ecclesiasticam, quia qui non est membrum caput esse non potest.»

«4º) Conveniunt in esse quodam spirituali et, modo suo, supernaturali... Effectus vel omnino supernaturales sunt (v.g. ex potestate ordinis consecrare Eucharistiam), vel certè, licet quoad materiam sint naturales, quoad formam tamen vires naturæ superant (v.g. dirigere per jurisdictionem et præcepta in finem supernaturalem, induit aliquam formalitatem supernãlem, ex directâ ordinatione actionis hujusmodi in finem supernãlem, et sic differt a jurisdictione civili).

Probatur.

Duæ illæ potestates distinguuntur tùm 1º) ex modo quo conferuntur, tùm 2º) ex immutabilitate in potestate acceptâ, tùm 3º) ex effectu qui potestate producitur, vel saltem modo quo producuntur illi effectus.

Ergo.

Probo antecedens quoad 1um. Potestas ordinis, ex ipsa sua definitione, confertur per aliquem ritum sacrum, per aliquam consecrationem personæ, ex quâ consecratione seu charactere potestas illa profluit; nec potest aliter conferri, etiam per modum delegationis; v.g. Episcopus, et ipse Sum. Pontifex, non potest ad conficiendam Eucharistiam etiam semel, delegare laicum, imò diaconum. Cf. dicta in thesi I. — Neque objicias simplicem sacerdotem

delegari posse ad conferendum sacramentum Confirmationis: nam non ipsi propriè delegatur potestas hoc sacramentum conficiendi (quasi eam ante nullo modo inchoatiuè haberet), sed ponitur conditio per quam sacerdos fit capax confirmandi: simplex enim character sacerdotalis indiget hac commissione ut sit sufficiens ad conficiendum hujusmodi sacramentum." Craisson, Manuale juris canonici, t. I, n. 256.

Potestas autem jurisdictionis neque ex suo conceptu, neque ex positiva institutione Dei exigit conferri illo ritu sacro; sed mera qualiscumque expressio voluntatis in Superiore sufficit ad jurisdictionem transmittendam; et jurisdictio potest propriè delegari.

Hoc discrimen assignat S. Thomas, 2. 2. q. 39 a. 3: "Duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis (seu ordinis), alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quæ per aliquam consecrationem confertur. . . . Potestas autem jurisdictionalis est, quæ ex simplici injunctione hominis confertur."

Probo antecedens quoad 2m. — Ex priori illo discrimine sequitur 2m. Nam qui confert potestatem ordinis, eam confert per ritum sacramentalem a Deo determinatam cujus est merus minister, merum instrumentum, ita ut vel nihil faciat (si v.g. ritum substantialiter immutet), vel totum producat quod Deus voluit illi ritui alligare; et quoniam Deus voluit sacramento Ordinis ut effectum alligare quamdam personæ consecrationem seu characterem indelebilem potestatemque semper duraturam ad sacra exsequenda, quæ est potestas ordinis, sequitur potestatem ordinis immutabilem esse, tum quoad tempus, scilicet non revocabilem, tum quoad extensionem, scilicet non limitabilem ab hominibus; v. g. nequit Episcopus, ordinando presbyterum, ei communicare potestatem ordinis ad administrandum sacramentum Eucharistiæ, vel Unctionis, vel quid simile, simulque abstinere a communicanda ei potestate conficiendi Eucharistiæ, vel nihil vel totum ei communicabit.

Homo verò qui confert jurisdictionem, est (vel saltem potest esse) Superior, non merus minister, qui confert id quod suum est, et partem propriæ jurisdictionis delegat alicui pro suo beneplacito, nam in hoc ipso actu delegandi exercet ipse suam auctoritatem seu jurisdictionem (Cainez, n. 287). Consequenter ipse mutare, revocare, limitare potest illam jurisdictionem quam communicat.

Hoc discrimen assignat etiam S. Thomas l. cit.: « Omnes consecrationes Ecclesiæ sunt immobiles... Et ideò talis potestas (ordinis) secundùm suam essentiam remanet in in homine qui per consecrationem eam est adeptus quamdiù vivit, sive in schisma, sive in hæresim labatur.... Tales usum potestatis amittunt ita scilicet quòd non liceat eis suâ potestate uti: si tamen usi fuerint, eorum potestas effectum habet in sacramentalibus; quia in his homo non operatur nisi sicut instrumentum Dei; unde effectus sacramentales non excluduntur propter culpam quamcumque conferentis sacramentum. — Potestas autem jurisdictionalis est quæ ex simplici injunctione hominis confertur; et talis potestas non immobiliter adhæret, unde in schismaticis et hæreticis non manet. » — In aliis etiam adjunctis præter schisma et hæresim, postulat bonum publicum (ad quod ordinatur jurisdictio), ut hæc potestas cesset in eo qui eam detinebat; sæpè etiam potest ab eo homine revocari, mediante quo fuerat collata, quia delegavit tanquam Superior, ut diximus.

Ex illa immutabilitate potestatis ordinis sequitur ejus in individuis æqualitas. « Potestas ordinis (ait Franzelin, de Eccl. thes. X., p. 150 in nota)... gradus quidem habet specificos (in episcopatu, presbyteratu, diaconatu), sed in suis quibusque gradibus est indivisibilis non admittens majus aut minus, adeoque singulis ritè consecratis inest tota ac propterea æqualis. » Omnes v.g. diaconi habent eamdem, etc. — Potestas autem jurisdictionis (ob

rationes datas) habet multos etiam individuales gradus, et est multò magis inæqualis. Gradus habet non tantùm ex jure divino, sed etiam ex jure ecclesiastico factoque humano (elegantis, limitantis etc.)

Sequitur etiam ex dictis, Deum magis immediatè operari in conferenda potestate ordinis, quam jurisdictionis: cf. supra p. 29. Loquor de collatione in individuo: nam institutio jurisdictionis ecclesiasticæ in genere fuit immediatè à Deo, cf. thes. II. — Et excipio unum saltem casum, scil. Romani Pontificis, cui Deus immediatè confert in sua electione jurisdictionem, ut videbimus (Lainez n. 287).

Probo antecedens quoad 3^m. — Fideles duobus modis sanctificari possunt: a) ex opere operato; quod fit tùm per sacramenta N. Legis, conferentia gratiam sanctificantem (vel ejus augmentum) omnibus obicem non ponentibus (cf. tract. de Sacram. in genere), tùm per Sacrificium incruentum N. Legis, conferens pariter gratias actuales et sic mediatè ipsam gratiam sanctificantem, vel ejus augmentum (cf. tr. de Eucharistiâ); — c) ex opere operantis; quatenus actus supernaturales, quos ipsi fideles operantur, sunt dispositiones ad gratiam sanctificantem, vel eam jam adeptam augent meritoriè (cf. tr. de Gratiâ habituali, de Virtutibus).

Jam verò potestas ordinis pertinet ad sanctificandum hominem etiam ex opere operato: nam præcisè virtute hujus potestatis homo potest offerre Sacrificium N. Legis, item administrare Sacramenta. Imò actio illius hominis, quatenus potestate ordinis instructus habet jus repræsentandi ipsum Christum in actibus illis eminentibus, actio (inquam) illius hominis ministerialiter agentis est ipsum Sacrificium seu actio sacrificandi, est ipsum pariter Sacramentum, nam sacramentum est actio aliqua abluendi, ungendi, etc. cum verbis ab eodem ministro pronuntiatis. Ergo idem est si dicas, „Sacramenta sanctificant ex opere operato", vel: Minister legitimus Sacramenti sanctificat ex opere operato", vel „Potestas ordinis, quâ

quis fit legitimus minister quamque exercet in sacrificio et sacramentis, sanctificat ex opere operato."

E contra, potestas jurisdictionis nunquam sanctificat ex opere operato. Inservit utique ad sanctificationem, sed magis indirecte, quatenus impellit Christianos ut virtutes exerceant, et sic gratiam augeant ex opere operantis; quatenus cultum ipsum divinum externum regulat, ac proinde pios actus promovet; quatenus etiam, quod potius negativum est, impedit occasiones et pericula quae obstant sanctificationi.

Ergo duae potestates non producunt eundem effectum, vel saltem eum non producunt eodem modo. Effectus sanctificationis et salutis animarum qui est finis utriusque potestatis, attingitur magis directe et immediate per 1am quam per 2am: "ita ut potestas ordinis (ait Suarez n. 287) conferri merito possit Sancto Sanctorum, in quo erat arca Domini et Deus in illa sedens et propitians; potestas vero jurisdictionis anteriori parti templi, quae Sancta vocabatur, conferatur, quia illa remotior erat ipsi arcae et per eam ad Sancta Sanctorum intrabatur."

Hoc etiam discrimen assignat S. Thomas in 4 dist. 19 q. 1. a 1. q. 3 solut. 3: a Claris est duplex. Una quae se extendit ad ipsum caelum immediate, removendo impedimenta introitus in caelum per dimissionem peccati" (quae remissio peccati fit per interiorem sanctificationem animae, cf. De Gr. habit.:) "et haec vocatur clavis ordinis; et hanc soli sacerdotes habent. ... Alia clavis est quae non directe se extendit ad ipsum caelum, sed mediante militante Ecclesia per quam aliquis ad caelum vadit" (ad cujus regimen visibile directe tendit haec clavis seu potestas) "dum per eam (clavim) aliquis excluditur vel admittitur ad consortium ecclesiae militantis per excommunicationem et absolutionem (ab excommunicatione); et haec vocatur clavis jurisdictionis in foro causarum (seu in foro externo); et

ideo hanc etiam non sacerdotes habere possunt, sicut archidiaconi vel clerici et alii, qui excommunicare possunt ...; sed non proprie dicitur clavis cœli, sed quædam dispositio ad ipsum." – Cf. etiam Card. Franzelin, de Eccl. th. 5 –

Aliud discrimen magis subtile, et ad metaphysicam speculationem potius quam ad praxim pertinens, insuper assignari potest. Potestas ordinis fundatur in charactere quæ est realitas quædam physica et absoluta supernaturaliter animæ inhærens, non mera relatio (Cf. Franz. de Sacr. in genere, th. 13.) Potestas autem jurisdictionis nullam importat in anima entitatem physicam novam sed est relatio ad subditos, quæ fundatur in aliquo extrinseco scil: in actu superioris conferentis jurisdictionem seu deputantis ad tales subditos jure gubernandos. Utrum sit relatio realis an rationis controvertitur: 2um videtur potius tenendum. Hæc evolvit Laynez op. cit. n. 292.

Corollarium. Ergo nobilior et excellentior est potestas ordinis quam jurisdictionis: et hæc est communis Theologorum sententia. Sed vicissim amplioris extensionis est potestas jurisdictionis, cum etiam ad usum potestatis ordinis regulandum se extendat, ut videbimus in parte sequente.

Probatur 4a Pars.

1°) Potestas jurisdictionis Ecclesiasticæ extenditur ad regulanda ea omnia quæ necessaria sunt ut ordo et tranquillitas regnet in societate visibili Ecclesiæ, saltem si agitur de rebus spiritualibus et religiosis quarum regulatio pertinere non debet ad jurisdictionem civilem.

Atqui usus potestatis ordinis est res spiritualis et religiosa ut patet; quare apud omnes gentes, sacerdotibus relinquebatur gubernandus cultus; aliunde est res talis ut periclitetur tranquillitas et ordo publicus in Ecclesia nisi positivè reguletur usus potestatis ordinis, nam quomodo pax et ordo servarentur si v. g. sacerdos eo ipso quod sacer-

dos esset, posset sacra celebrare pro libitu et sine ulla licentia, in quolibet loco, perturbans loci consuetudines, etc vel si nunquam posset legitime impediri a sacris celebrandis, quamvis indignus et scandalosus? Si Episcopus posset quoslibet ordinare, in quolibet loco, etc?

Ergo, etsi jurisdictio Ecclesiastica non possit ita influere in potestatem Ordinis ut ejus usum in quibusdam casibus faciat invalidum seu irritum (obstat enim potestatis ordinis immutabilitas, cf supr. n°. 3°) tamen debet saltem posse ita in eam influere ut ejus usum in quibusdam casibus faciat illicitum seu illegitimum.

Ad rem. S. Thomas 2ª 2æ q. 39. a 3: «Talis potestas (nempe ordinis) secundum suam essentiam remanet in homine qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in hæresim labatur .... Sed quia potestas inferior non debet exire in actum nisi secundum quod movetur à potestate superiori, ut etiam in rebus naturalibus patet; inde est quod tales usum potestatis amittant, ita scilicet quod non liceat eis suâ potestate uti. Si tamen usi fuerint, eorum potestas effectum habet in sacramentalibus.» etc

Nec obstat excellentia potestatis ordinis præ potestate jurisdictionis, ut advertit Laynez n. 288: «Quia perfectioribus præcedere solent quæ imperfecta sunt, hinc etiam congrue accidit ut quis non licite utatur potestate ordinis nisi præcedat licentia ad eum usum, quæ quidem a jurisdictione emanat. Et ideo potestas jurisdictionis est quæ movere debet potestatem ordinis ad legitimum usum suum sicut voluntas movet manum et cætera membra ad sua munia.»

2°) Ex Patribus et Conciliis et constanti usu Ecclesiæ:

S. Ignatius M. jam scribebat ad Smyrnæos n. 8. (Migne V. 714): «Separatim ab Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. Illa rata» (βεβαία, scil. legitima, legitime consecrata

versionem Damus Card. Franzelin th. XV. De Eccl.; apud Migne Versio est: "illa valida", quae impropria vox est, et innuit validitatem consecrationis dependere à licentia Episcopi, quod falsum est, nec dicit Ignatius) "habeatur Eucharistia, quae sub Episcopo peragitur, vel cui Episcopus commiserit.... Non fas est sine Episcopo baptizare, neque agapen facere; sed quod ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut securum ac ratum (ἀσφαλὲς καὶ βέβαιον) sit omne quod peragitur... Qui clam Episcopo aliquid facit, diabolo servit."

Tertullianus de Baptismo supra p. 22: "Non tamen sine Episcopi auctoritate ..."

S. Joannes Chrysostomus apud Socratem hist. eccles. l. 6. c. 14. (Migne LXVII. 705): "Haec Joanni nuntiata sunt; qui postridie Epiphanio ecclesiam jam ingresso per Serapionem ista significavit: "Multa contra regulas (κανόνας) agis, ô Epiphani, qui primum quidem in Ecclesiis sub dispositione meâ constitutis ordinationem feceris; deinde injussu meo, ex tuâ ipsius auctoritate in iisdem ecclesiis missarum solemnia celebraveris" etc.

Cf textus in 1a parte allatos, ex quibus constat Ecclesiam suâ potestate jurisdictionis judicare solere utrùm ordinatis redeuntibus ex haeresi vel schismate permittendum sit ut exerceant suam potestatem ordinis, annon (Cf. v.g. Aug. C. epist. Parmen. l. 2 c. 13 supra p. 83); item de ordinatis contra regulas ecclesiasticas, Cf. Leonem M. supra p. 86); item de Episcopo qui abdicavit, Cf. C. Ephesinum supra p. 87.

Ex eodem principio, haeretici et schismatici dicuntur potestatem ordinis habere "ad perniciem suam" (Aug. ibid.), quia eâ cum utantur illicitè contra prohibitionem Ecclesiae quae usum illius potestatis generaliter ab eis retraxit, sequitur eos graviter peccare quando eâ utantur: at supponuntur haeretici et schismatici formales qui cognoscant illicitatem hujus usûs, non verò eam inculpabiliter ignorent.

Ex eodem principio docet Innocentius I ep. 17 ad Rufum aliosque Episcopos Macedonice, c. 3 (Migne XX. 530) « ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manûs impositionem habere caput. » Quia illi qui ad talem ordinationem recurrunt (et sic de aliis Sacramentis postulatis ab hæreticis vel generatim ab iis qui prohibentur suam ordinis potestatem exercere) cooperantur illicito usui illius potestatis, et sic graviter peccantes in ipsa Sacramenti receptione, dispositionibus quæ debitis carentes, obicem ponunt gratiæ Sacramentali nec proinde possunt eam recipere quamvis in ministro adsit potestas ordinis ad eam conferendam et quamvis ipsi recipiant characterem cum potestate ordinis : imo peccato illo amittunt gratiam omnem sanctificantem quam antea poterant habere et sic « vulnerantur ». At supponuntur in mala fide, neque hic consideratur casus ignorantiæ invincibiliter illiceitatem suæ ordinationis.

Variis modis potest Ecclesia impedire usum potestatis ordinis, eumque reddere illicitum : quos varios gradus similitudinibus expressit Alexander Halensis, in 4ª p. q. 79. memb. 8. a. 2. Est enim, quoad potestatem ordinis, degradatus sicut manus abscissa : quatenus potestas ejus nunquam habebit usum licitum : et hujusmodi status vocatur a Patribus vel Degradatio, vel depositio, vel privatio ab officio absque spe recuperationis. Hæreticus vero (et Schismaticus) se habet ut manus paralytica : privatur quidem usu ordinis, at non perpetuo sed ad tempus, scil. donec sanetur et convertatur. Suspensus autem ab ordine, vel excommunicatus multo minus distat ab usu legitimo : ideo similis est manui ligatæ quæ non habet usum donec solvatur. Est igitur majus et minus impedimentum in usu licito potestatis ordinis, potestate ipsa semper remanente.

3º) Ecclesia habet potestatem liturgicam seu rituales, tanquam partem quamdam suæ potestatis jurisdictionis

Atqui nequit potestatem illam exercere,

liturgiam scilicet gubernare, quin attingat, et ad quasdam conditiones modosque restringat, potestatem ordinis in iis quae hanc habent, ut patet. Ergo.

Probo maj. a) Ecclesia est custos fidei (ut probatur in Tract. de Eccles.) – Atqui periclitaretur fides si Ecclesia non posset regere liturgiam et ab eā abusus et novitates periculosas removere: nam fides cum liturgiā est intime connexa ex ipsā rerum naturā. – b) Ex traditione. Concilium œcumenicum Nicaenum I habet canonem 20^m^ de flectendo genu, et sic plures canones liturgicos edunt Concilia alia Saeculo IV, Eliberitanum, Antiochenum, Laodicenum, Gangrense, etc. – Hinc etiam videmus apud Graecos antiquas liturgias quae non a Christo vel Apostolis sed ab Episcopis ortam et nomen habent, v. g. liturgias S. Basilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. J. Chrysostomi. – Cf. Zaccaria, Bibliothecae ritualis t. I., Prolegom., dissert I, cc. 1, 2, 3.

Scholion I. De definitione et delimitatione utriusque potestatis, ordinis et jurisdictionis.

Ut ex praecedentibus concludi potest, male potestatem jurisdictionis aliqui auctores definiunt discriminantque à potestate ordinis ex eo capite quod „pro objecto non habeat Sacramenta". Utraque enim potestas habet pro objecto administrationem Sacramentorum sub diverso respectu: eam potestas ordinis facit validam, potestas jurisdictionis licitam et legitimam.

Deinde potestas ordinis non habet pro objecto sola „Sacramenta" cum Sacrificio Eucharistico, ut illi supponunt. Nam distinguit cum multis potest duplex potestas ordinis. Una juris divini quando nempe Deus ipse immediatus institutor alicui ordinum alligavit potestatem cujusdam rei Sacrae faciendae, v. g. ordini Episcopali alligavit potestatem ordinandi Sacerdotes. Altera juris ecclesiastici, quando Ecclesia pariter alicui ordinum alligavit potestatem cujusdam rei Specialiter Sacrae faciendae v. g. earum rerum quae, ut contradistinguerentur à Sa-

Cramentis, vocata sunt „ Sacramentalia „ vel „ cerimoniæ „, sicut sunt consecrationes ecclesiarum, altarium, vasorum, et aliæ variæ benedictiones olei, charismatis, aquæ, etc quarum quædam Ordini Episcopali sunt reservatæ, aliæ vero presbyteris permissæ.

Jus talia instituendi est de fide et involvitur in potestate liturgica Ecclesiæ, quam potestatem in 4ª parte probavimus. Ecclesia enim potest usum Sacramentorum regere ad perfectiorem Dei cultum majusque bonum animarum, et liturgias instituere : ergo potest v. g. ut Eucharistia decentius administretur, instituere et præcipere quasdam consecrationes et benedictiones rerum quæ Eucharistiæ celebrandæ inservient v. g altaris, paramentorum, calicis. Similem agendi modum videmus a primis sæculis, et Trid. Sess. 21 cap. 2 definit existentiam illius potestatis : „ Declarat (S. Synodus) hanc potestatem perpetuò in Ecclesiâ fuisse, ut, in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. „ Cf. Sess. 7 can. 13 de Sacr. in genere. — Et Bellarm. de Sacr. in gen. Controv. 6; S. de Augustinis, de Sacr. in gen. th. 14

Potestas autem exsequendi seu conficiendi illa Sacramentalia, et cerimonias, à Canonistis (Cf. Craisson Manuale t. 1. n. 257) solet comprehendi sub potestate Ordinis; quia a) supponit personam ea conficientem consecratam fuisse aliquo ordine, et ab illo ordine derivatur hæc potestas, institutione quâdam stabili; et b) actus talis potestatis, v. g. consecratio calicis, non est actus jurisdictionis sed actus quidam specialiter sacer ad cultum divinum immediate pertinens. — Nihilominus fatendum est „ potestatem ordinis „ hic sumi sensu paulo latiori neque omnes hic inveniri proprietates quæ a gravibus auctoribus tribuuntur potestati Ordinis. Potestas ordinis strictissime dicta, secundum Card. Franzelin th. 5ª de Ecclesia, pertinet ad conferendam gratiam ex opere operato : e contra potestas conficiendi sacramentalia pertinet ad conferendam gratiam

ex opere operantis tantum: licet enim sint stimuli pietatis, Ecclesia non potuit ea instituendo dare eis efficaciam ipsorum Sacramentorum, quae solus Christus instituendi sibi reservavit. – Item potestas ordinis strictissime intellecta est prorsus immutabilis etiam in haereticis, etc.: potestas autem conficiendi Sacramentalia mutari potest ab Ecclesia quae eam instituit: sane potest Ecclesia alicui ordini immutabiliter alligare quamdam huiusmodi potestatem, ita ut benedictio, etc. valeat etiamsi persona benedicens lapsa sit in schisma vel haeresim: sed non necessario ita instituere debet Ecclesia in omni Sacramentali et quamvis ita in quodam prius instituerit, potest etiam suam institutionem postea mutare (Cf. supra p. 39), unde non est ibi tanta immutabilitas quanta est in Sacramentis; quae cum non sint institutionis Ecclesiasticae nunquam potuit etiam Papa impedire quominus sint valida in haereticis et schismaticis. Ad rem Cráisson l. c.: „Quae Ecclesia annexuit ordinibus .... valide semper exercentur ab iis qui ordinem habent. Attamen pendent ab Ecclesia et variare possunt. Unde olim Africanis presbyteris concedebatur potestas olea sacra et S. Chrisma conficiendi, ut videre est ex epist. Joannis Diaconi ad Senatorium, à Mabillonio relatâ (t. 1. Musei Italici); quod hodie non permittitur nisi rarissimè." – Validitas in iis rebus consistit in eo quod consecratio seu benedictio rei non sit iteranda.

Alia distinctio necessario facienda est inter ea quae sunt pure ordinis, et ea quae ordinem aliquem determinatum utique requirunt sed simul jurisdictionem ut sint valida. Quae sunt purè ordinis, nunquam exigunt specialem missionem seu injunctionem Superioris Ecclesiastici, ut sint valida (locus, ut sint licita, cf. 4 past. th.). Eo ipso quod minister est rite ordinatus, valent. Et haec est pura potestas ordinis quae ordini alicui sacro ita cohaeret, ut in omni loco etiam a suspenso, depositio, schismatico, haretico ministro valide exerceatur: exemplum habes in poenitentia quae Sacramentis. – Sed aliter est v. g in Sacramento

Pœnitentiæ. Ex una parte, potestas dimittendi peccata est alligata ordini sacerdotali; è charactere sacerdotali, non aliundè, derivatur efficacia quædam supernaturalis ad sanctificandas animas, necessaria in sacramento Pœnitentiæ, ita ut sine illâ non sufficiat ulla jurisdictio, sicut advertit S. Thomas in 4. Dist. 20. q.1. a.4. q.2: « Potestas concedendi indulgentias sequitur jurisdictionem: et quia diaconi, et alii non-sacerdotes, possunt habere jurisdictionem, vel commissam sicut legati, vel ordinariam sicut electi, ideò possunt indulgentias concedere etiam non-sacerdotes, quamvis non possint absolvere in foro pœnitentiali, quod est ordinis. » At ex alterâ parte, ut definit Trid. s. 14. cap. 7, ad validam absolutionem ordo non sufficit sine jurisdictione, receptâ ab homine, « vel ordinariâ vel subdelegatâ », quia Sacramentum hoc institutum est à Christo in formâ judicii (Cf. et Bullam « Auctorem fidei », prop. 37). Hinc fit ut, præter ordinem, necessaria sit specialis injunctio seu missio Superioris ecclesiastici; quæ, ubi pœnitens est in articulo mortis, tacitè datur omni rite ordinato, etiam excommunicato, hæretico, degradato, etc.; Ecclesia enim, in bonum animarum quas urget tanta necessitas, talibus tunc ad hoc et pro momento confert jurisdictionem, et posset etiam in quibusdam aliis casibus, si vellet, sed de ejus voluntate positivè constare debet. — Pariter, sed ex institutione ecclesiasticâ, quædam functiones liturgicæ vel sacramentalia ad ipsam validitatem postulant simul ordinem et jurisdictionem. « Pro exemplo inserviat (ait Aichner, Compend. Juris eccl, s. 214.) ecclesiarum vel altarium consecratio, paramentorum sacrorum benedictio. Nam ad hujusmodi actus validè ponendos solus ordo non sufficit, sed requiritur insuper jurisdictio. »

Quoad Sacramentum Pœnitentiæ, Suarez qui amplissimè rem explicat, de Pœnit. d.16. s.3, ait: « Est de fide, ad hunc actum remittendi peccata in hoc Sacramento necessariam esse potestatem ordinis et jurisdictionis;

.... ita ut absolutio data per potestatem ordinis sine jurisdictione nulla sit..... Non defuerunt auctores catholici qui dicerent dari illam jurisdictionem in ipsa ordinatione sacerdotis, qui consequenter insinuant, in re non esse distinctam a potestate ordinis, nec separabilem ab ipsâ. Quam opinionem valde probabilem existimat Durandus, d. 19. q. 2, ei tamen adhærere non audet..... Hæc tamen sententia, intellecta de integra ac sufficiente jurisdictione, falsa est, et hoc tempore (scil. post Trident.) nullo modo sustineri potest.» — Imo nec sustineri potest 2a sententia mitior, (vel si benignè explicetur, saltem modus loquendi non est probandus): « potestatem jurisdictionis aliquo modo dari vel inchoari in ipsamet ordinatione, et ut sic nec distingui à potestate ordinis nec auferri aut immutari posse per Ecclesiam; aliqua verò ex parte compleri extra Sacramentum Ordinis per aliquod ecclesiasticum munus vel hominum concessionem, et secundùm eam rationem mutari posse et augeri aut minui vel omnino auferri.» Quam sententiam, secundùm varios modos quibus explicabatur, ibi refellit præclarè Suarezius. — Deveniendum est igitur ad 3am sententiam, quam ipse sic effert: « potestatem jurisdictionis esse distinctam à potestate ordinis tam in essentiâ quam in modo seu tempore quo confertur. Nam potestas ordinis datur ... per ordinationem sacerdotis, et immutabilis ac indelebilis permanet. Potestas verò jurisdictionis..... per extrinsecam concessionem, aut alicujus ecclesiastici muneris collationem, per quam aliquis pastor vel Superior aliorum constituitur, alii verò ejus subditi efficiuntur. Ideòque potestas hæc extra Sacramentum Ordinis datur, et (infra Summum Pontificem) immediatè per hominem confertur.» Secundùm hanc sententiam dicendum est, cum Card. Franzelin de Eccl. th. V. in nota: « In potestate Ordinis et

charactere sacerdotii continetur quidem aptitudo ad hanc jurisdictionem fori interni (jurisdictionem in potentiâ proximâ dixeris), sed nulla jurisdictio in actu.» — Distingue etiam actum quo sacerdos, jurisdictione ad hoc acceptâ, judicat in tribunali pœnitentiæ, et actum quo ipsi jurisdictio illa collata fuit. 1us actus pertinet ad forum internum; sed 2us ad forum externum; nam v.g. conferre alicui sacerdoti parochiam, per quod ipso facto datur ei jurisdictio in foro interno, est actus fori externi. Hinc advertit Franzelin ibidem: «Jurisdictio necessaria.... ad validam administrationem judicii sacramentalis aliunde (quam à potestate ordinis) obtinenda est, à superiore nempe qui eam conferendi hierarchicâ pollet potestate, quæ potestas (conferendi) ipsamet est jurisdictio non interni fori sacramentalis, sed fori externi, ac propterea potest esse in eo qui ipsemet careat charactere sacerdotali et proximâ potentiâ ad jurisdictionem sacramentalem,» v.g. in electo Episcopo nondum consecrato imò nondum ordinato jam gubernante suam diœcesim (cf supra p. 89). Sic jurisdictio in foro interno pendet à jurisdictione in foro externo (cf. supra p. 52).

Redeamus ad puram potestatem ordinis, quæ effectum suum semper et ubique exercet validè, etiam deficiente imò retractâ omni jurisdictione et authorizatione Ecclesiæ. Ex dictis definiri potest cum Aichner l.c.: «potestas sacramenta vel sacramentalia vel quasdam liturgicas functiones respiciens, quæ alicui ordinum gradui immediatè vel à Christo vel ab Ecclesia sic alligata est, ut sine ulteriori missione vel permissione validè semper et ubique exerceatur.» — Quoniam verò sunt duo sacramenta quæ jure divino laici administrant validè sine ulla peculiari missione vel permissione Ecclesiæ, et quidem valide etiam quandò ea administrant illicitè (scilicet 1° Baptismus, quem non possunt licitè administrare nisi in casu necessitatis, sed tamen si extra necessitatem

illicitè administrarent, valeret; 2° Matrimonium, secundùm certam hodiè sententiam, quòd ministri hujus sacramenti sunt ipsimet contrahentes: qui in quibusdam adjunctis validè sibi conferunt hoc Sacramentum, licet illicitè et contra Ecclesiæ prohibitionem), — ad potestatem ordinis quidam voluerunt illam laicorum potestatem reducere, propter quandam analogiam. At impropriè omninò vocatur «potestas ordinis» illa, quæ nulli ordinum gradui est alligata, quæ non fluit ab aliquo ordine recepto: nullum verò laicus recepit. (Aichner, Craisson, Franzelin, loc. citatis). Habes igitur exemplum alicujus potestatis sacræ, quæ neque est potestas jurisdictionis, neque est potestas ordinis. — Quare falsum est quod non pauci supponunt, ad alterutrum reduci debere quamcumque sacram potestatem. Potestas ordinis et potestas jurisdictionis utique sunt præcipuæ potestates in Ecclesiâ, ità ut sæpe per abstractionem considerari possint quasi sola essent; at revera non comprehendunt quidquid sacra potestatis instituit Deus.

Scholion II. Ad solvendas quasdam objectiones, hæc adverte:

1°) Non negamus, jurisdictionem in quibusdam adjunctis conferri posse simul cum ordinatione: tantùm dicimus id non esse necessarium, nec jurisdictionem tunc fluere ex ipsâ ordinatione præcisè sumptâ pro consecratione personæ: nam «ordinatio» sumi potest latiùs, ità ut includat alia elementa. V.g., ut de primis Ecclesiæ sæculis notat eruditissimus Doctor Sorbonicus et Episcopus Hallier, De sacris electionibus et ordinat., Proleg., c. 4 (apud Migne, Cursus Theol. t. 24), «quia nulla olim ordinatio erat absque ecclesiastico titulo et unusquisque restè ad eam promoveri dicitur Ecclesiam cui adscribitur», «ordinatio», quæ promotionem ecclesiasticam significat, pro ipsâ quoque Ecclesiæ alicui adscriptione sumitur. Sic passim

in canonibus legere est aliquem in aliquo loco, in aliquâ plebe vel Ecclesiâ ordinari, i.e., Ecclesiæ vel loco vel plebi regendis in suâ ordinatione adscribi" (ab iis qui jus habent assignandi illam jurisdictionem). Secundum talem modum loquendi, dici potest jurisdictionem ex "ordinatione" provenire, nempe "ordinationem" sumendo non pro ipsâ consecratione, sed pro actu tunc concomitante, quo missio datur v.g. ad talem parochiam regendam: in quâ missione includitur jurisdictio pœnitentialis, quæ tunc non exigit dari per actum novum et specialem, etiam hodie. — "Eodem quoque modo (pergit Hallier) dicimus passim in canonibus ecclesiasticis Patrumque sententiis (v.g. Arelatense I, can. 2 et 21, Carth. III. can. 46, Gelas. can. Si quis monach., 16. q. 1., etc.) quorundam clericorum vel episcoporum ordinatio, utpote illegitima (contra regulas ecclesiasticas), irrita vel nulla fuisse dicitur, de adscriptione ad aliquam Ecclesiam vel plebem regendam "ordinatio" intelligitur, non de ipsâ consecratione." Jus nempe gubernandi illam plebem vel absolvendi sacramentaliter erat tunc nullum seu irritum, etsi character ordinis receptus fuisset. — Pariter vox "ordinatio", ubi agitur de Episcopo ordinando, apud antiquos sæpè complectebatur electionem, quæ præcedebat consecrationem personæ electæ, v.g. in hoc canone Concilii Arelat. II.: "Placuit in ordinatione episcopi hunc ordinem custodiri, ut primo loco, venalitate vel ambitione submotâ, tres ab episcopis nominentur, de quibus clerici vel cives erga unum eligendi habeant facultatem." — Sed si "ordinatio" sumitur sensu hodierno pro solâ consecratione, ex eâ præcisè nulla jurisdictio datur, sed tantùm aptitudo ad jurisdictionem, qualis est illa potestas ordinis ad remittenda peccata in foro interno Pœnitentiæ: porrò collatio meræ aptitudinis sine ulla subditorum designatione, non est ipsa jurisdictionis collatio, quæ essentialiter est subditorum designatio. — Quòd autem "ordinatio" potuerit varios

illos habere sensus, non est mirum, si spectetur ambiguitas vocis « ordo », ex quâ derivatur : cf. supra p. 3 et 4.

2°) Phillips (du droit eccléS. dans ses principes généraux, t. 2., § LXXVI) objicit : Christus in hierarchiâ nullum potuit membrum inutile creare : ergò cuilibet ordini, etiam diaconorum, respondet certa quædam potestas reginiinis (seu jurisdictio) ipsi inhærens. — Resp. Conc. Ant., Nego Cons. et suppositum, quod sine jurisdictione membrum esset inutile : nam satis utile est, si suam specialem potestatem ordinis habeat, per quam obtinet gradum specialem in hierarchiâ ordinis, etsi nullum obtineat in hierarchiâ jurisdictionis. Distinctionem utriusque hierarchiæ acriter ibi, sed sine valido argumento impugnat ille Canonista aliunde nobilis : nimis unitatis amore, tendit ad confundendas potestates quæ sunt conjungendæ sed distinguendæ, imò quæ quamvis per se conjungantur in duplicis hierarchiæ uno fastigio, tamen separabiles sunt vel per accidens, vel etiam per se in gradibus inferioribus. — Duæ hierarchiæ, cum suis respectivis gradibus, in sequentibus disputationibus probabuntur.

Thesis IV

Potestas magisterii non pertinet ad potestatem ordinis, sed suâ indole multum accedit ad potestatem jurisdictionis ; —

2°) tamen à jurisdictione propriè dictâ distingui omninò debet, neque est pars ejus, sed tertia quædam potestas.

St. Q. In tractatibus successivis de verâ Relig. et Eccl., quibus præambula fidei continentur, homo veritatem religiosam quærens deducitur primùm

ad Christum revelantem, deinde ad Ecclesiam, revelationis illius custodem et interpretem per infallibile magisterium suum, seu potestatem docendi. Quare quæstio de potestate magisterii ad tractatum de Ecclesiâ pertinet, ut maximè propria illius: ac proinde non est hujus loci, probare magisterium, contra hæreticos. At illam probationem supponentes, tangere nunc volumus controversiam nostro tempore inter Catholicos exortam, utrùm potestas magisterii includatur in potestate ordinis, an in potestate jurisdictionis, an ut 3ª quædam potestas debeat ab utrâque contradistingui. Sine hâc investigatione, incompleta et obscura remanerent præcedentes, quas dedimus, notiones.

Triplex præcipua sententia hâc de re invenitur apud recentiores:

1ª Sententia, quæ fuit aliquorum in Germaniâ (citantur Schulte, Gerlach, Richter) potestatem magisterii reducit ad potestatem ordinis: quod est contra communem sententiam, et in 1ª parte thesis nostræ refutabitur. — Sententiam istam ex parte tenet Scheeben (Dogmatique, t. 1er n. 111, seqq), singulari opinione.

2ª Sententia docet, potestatem magisterii esse tertiam potestatem à duabus aliis distinctam, eisque irreductibilem, licet intimè conjunctam per se. Tres exprimit his nominibus: ministerium (potestas ordinis), imperium (potestas jurisdictionis), magisterium. Ita non pauci hodiè tùm Canonistæ in jure canonico, tùm Theologi in tract. de Ecclesiâ. Phillips, qui ex primis hanc divisionem potestatis ecclesiasticæ in nostro sæculo divulgavit, eam miscuit erroribus, exprobravitque Scholasticis, quòd potestatem magisterii omiserint, totamque hanc rem obscuraverint. (Du droit eccléS., t. 1. §XXXVI). Hinc quidam Theologi eum reflentes deducti sunt ad ipsammet rejiciendam,

tanquam novitatem et errorem, trimembrem illam divisionem, amplectendamque 3am sententiam.

3a Sententia reducit potestatem magisterii ad potestatem jurisdictionis (stricte dictam), tanquam ejus partem. Una eademque potestas jurisdictionis ex meræ diversitate materiæ subdividitur in potestatem magisterii, quæ fert leges circa fidem seu decreta dogmatica, et alteram jurisdictionem quæ fert leges disciplinares. — Ita Card. Carquini, qui ait, (Juris eccl. institutiones n.4): "Certum potestatis genus, quod Magisterii appellavit, frustra invexit cl. Philipps. Si enim purum sit magisterium, potestas dici nequit; sin autem ita concipitur, ut jus eidem insit inclinandi Fideles in obsequium fidei eorumque assensum imperandi, pars est potestatis jurisdictionis. Non erat igitur discedendum à doctrinâ in scholis catholicis communi." Hanc Carquinii doctrinam secuti sunt alii postea in Collegio Romano professores P. Palmieri (de Rom. Pont., Proleg. §. 20, p. 156) et Card. Mazzella (de Eccl n.756). Item P. Liberatore, "Le Droit public de l'Eglise", n. 72; et alii.

At Card. Franzelin, in tract. de Eccl. th. V, adhæret 2æ sententiæ, melius explicatæ: quem nos sequemur." Il soutient contre ses confrères du Collège Romain (ait D. Vacant, L'Université Cathol., n° de mars 1890) que le ministerium, le magisterium et l'imperium sont trois pouvoirs unis en fait, mais indépendants dans leur essence, et irréductibles l'un à l'autre; ..... que sa doctrine n'est ni nouvelle ni suspecte ..... Il sera difficile de démolir cette solide argumentation, et la thèse 5e du traité posthume de Franzelin semble appelée à exercer une influence considérable dans le monde théologique."

Probatur 1a pars:

Puncta discriminis inter potestatem

ordinis et potestatem jurisdictionis hæc sunt præcipua (ut probavimus in thesi præcedenti 3ª parte): a) Potestas ordinis necessario confertur per ritum sacrum, per "aliquam (personam) consecrationem", numquam alio modo: "potestas jurisdictionis, per "simplicem hominis injunctionem"; ut ait S. Thomas supra p. 94. — b) Potestas ordinis, semel accepta, est immutabilis et irrevocabilis: potestas jurisdictionis potest a Superiore revocari, et omnino tolli — c) Potestas ordinis (scilicet ea quæ strictius intelligitur hoc nomine) pertinet ad conferendam gratiam ex opere operato; potestas jurisdictionis ex opere operantis tantum.

Atqui in omnibus illis punctis, a, b et c, potestas magisterii sequitur modum potestatis jurisdictionis, oppositum modo potestatis ordinis

Ergo -

Probo Min. quoad a). Potestas magisterii non datur, saltem necessario, per consecrationem, sed sicut ipsa jurisdictio. Quod probatur, sive 1°) spectetur magisterium illud excellentius, quo Episcopi sunt judices fidei in Conciliis Œcumenicis, sive 2°) magisterium inferius, quo nihil definitur, sed quo fidelibus immediate applicantur definitiones magisterii superioris, et doctrina fidei apud hæreticos et infideles disseminatur, etc. — Nam 1°), ut notat Franzelin l. cit. n. III, per delegationem Summi Pontificis (sive hæc delegatio fiat lege generali, sive dispositione et actu particulari) homines qui non acceperunt consecrationem episcopalem (sicut v.gr. Præpositi generales ordinum religiosorum) possunt cum Episcopis concurrere in Conciliis Œcumenicis, non modo ad decernendum in rebus ecclesiasticæ disciplinæ, sed etiam ad definiendum in rebus fidei: scilicet per simplicem injunctionem Papæ eis communicat tum jurisdictionem ad ferendas leges disciplinares Ecclesiæ, tum etiam magisterium

ad ferendas decisiones dogmaticas — Cf. discussionem rei in præparando Conc. Vaticano, apud DD. Cecconi. (Hist. du Conc. du Vatican, l. 2. c. I - a. 1.), qui ait : « On connaît cet adage, qui, dans l'Eglise catholique, est l'expression d'un principe admis partout: "Concilia Episcoporum esse", adage reçu dès le temps du Conc. de Chalcédoine. Cela signifie que les seuls Evêques ont le droit naturel (nativum et insitum) et absolu, de siéger au Concile ... Toutefois ce droit n'a jamais été considéré par l'Eglise comme tellement inhérent à l'Episcopat, que même une loi positive ou un usage légitime ne puissent l'étendre à d'autres personnages ecclésiastiques. Dès le 7e Concile Oecuménique, en effet, nous voyons des ecclésiastiques prendre une part active aux travaux de l'auguste Sénat et souvent même émettre un vote décisif, sans être revêtus de la dignité épiscopale. » — 2°) A fortiori magisterium inferius nullam exigit de necessitate consecrationem, ita ut et laici possint illud aliquando exercere. « Respectu magisterii (ait Aichner, Comp. juris eccles. § 57), non solum magistri et litterati laici scientias theologicas excolere, in earum formationem influxum habere, infideles et hæreticos scriptis suis convincere et veritates fidei catholicæ tueri possunt; sed etiam unusquisque paterfamilias domi suæ, ut ait S. Chrysost., quasi episcopi munere fungitur; quin et ipsi mulieri, licet in ecclesia tacere jubeatur (I. Cor. XIV. 34), fidem animis filiorum instillare incumbit, prout etiam, ex more antiquæ Ecclesiæ, Catechumenæ honestis mulieribus informandæ tradebantur (Constit. Apost. III c. 16). Attamen laicis sub comminatione pœnarum ecclesiasticarum interdictum est prædicare (cf. Ferraris sub voce Laicus et fides), necnon cum hæreticis et maxime cum illis, qui magistri sunt erroris et valde pertinaces in errore suo defendendo, de

mysteriis fidei disputare. Suis tamen limitationibus multis hac posteriori prohibitio non caret. Nam haec disputatio in casu necessitatis aut evidentis utilitatis laicis doctis permittitur (Sirhing ad tit. 7. libri V). » — Cf. supra p. 47.

Nota. Hodie in Hispania viget apud quosdam opinio, laicorum incapacitatem quoad magisterium religiosum nimis exaggerans, et catholicorum laicorum, praesertim eorum qui in ephemeridibus contra modernos errores dimicant, conatus laudabiles impediens ac condemnans sub nomine « laicismi ». Istam opinionem exponit et impugnat acriter D. Sarda Sacerdos hispanus, in celebri opere « Le libéralisme est un péché », cap. 39, et ait : « Le catholique laïque a toujours pu, il peut et doit avec encore plus de raison aujourd'hui, étant donné les circonstances, prendre une part très-active à la controverse religieuse, en exposant des doctrines, en qualifiant des livres et des personnes. » — In Gallia etiam, similis opinio non parum invaluit, ut advertit D. Delaporte (L'Univers 16 octobre 1890) : « Un 3e avantage des congrès, c'est le travail en commun du clergé et des laïques. On avait institué entre le clergé et les catholiques la séparation qui là encore est un mal, au lieu et place de la distinction qui est un bien. La théologie, disait-on aux laïques, est un arcane qui vous doit être à jamais célé, comme les mystères des sanctuaires de l'antique Egypte l'étaient aux profanes. Tout récemment encore, il fallait que l'archevêque de Paris déclarât explicitement qu'il n'est pas interdit à des laïques d'enseigner le catéchisme à des enfants, sous le contrôle du curé de la paroisse. Par contre, le clergé devait se cantonner dans la théologie et n'en pas sortir, ... l'étude des questions sociales n'était admise que par tolérance ; --- on reléguait le prêtre

dans le sanctuaire » etc.

(Probo Min. quoad b). Potestas magisterii sequitur modum potestatis jurisdictionis, quoad revocabilitatem : sane episcopi deficientes ad hæresim vel schisma, et servantes potestatem ordinis, sicut amittunt omnem ecclesiasticam jurisdictionem (cf. thes. III. 1ª p.), ita etiam amittunt omnem potestatem magisterii : imò absurdissimum esset et destructivum fidei, si hæretici atque hæresiarchæ (ut fuit v. gr., Nestorius episcopus) servarent verum jus docendi fideles religionem : neque Ecclesia talem eis potestatem unquam agnovit. — Pius IX, in epistola quâ prælatos Orientalium schismaticorum invitavit ad Conc. Vaticanum, eos quidem vocat « Episcopos », quia jus habent ad eum titulum spectatâ potestate ordinis : minimè verò eos convocat sicut alios ad docendum et definienda dogmata, sed tantùm et ante omnia, ut tractetur de schismate cessando, agnoscendo primatum Rom. Pontificis aliaque dogmata sicut in Conc. Lugdun. II et Florentino factum est a Græcis : « Vos obsecramus, monemus atque obtestamur, ut ad eamdem generalem Synodum convenire velitis, quemadmodum majores vestri convenerunt ad Conc. Lugd. II ... et ad Florent. Conc..., ut, dilectionis antiquæ legibus renovatis, etc. (Hist. du Concile du Vatican par Mgr Cecconi, t. 1er, p. 387 et p. 124).

(Probo Min. quoad c) — Prædicatio, et magisterium quodcumque, etiam infallibile, non est unum ex sacramentis N. Legis, quæ per se causant gratiam, seu conferunt eam ex opere operato (cf. tract. de Sacram. in genere), sed revera est mera occasio, seu causa per accidens, ut auditor liberè ponat actus fidei divinæ, caritatis et aliarum virtutum, deinde liberè tunc elevet ejus facultatem ad eos ponendos supernaturaliter, et sic ex opere

operantis seu ex actibus salutaribus impetretur vel augeatur gratia seu interna sanctificatio. Praedicatio non necessariò importat exercitium illarum libertatum, nec ei infallibiliter connectitur gratia, sicut Sacramentis: et etiam quando adducit ad gratiam de facto, causa per se sanctificationis tunc non est magisterium, sed partim Deus intùs agens per gratiam actualem (et « ubi illius inspiratio et unctio non est, forinsecùs inaniter perstrepunt verba » ait Aug. tr. 3 in I Joan. n. 13, cf. tract. de Gratiâ actuali thes. I) partim liberum arbitrium cooperans gratiæ. - Ergò -

Corollarium. - Ergò, propter tantam indolis seu proprietatum similitudinem, admitti potest modus loquendi, quo potestas magisterii reducatur ad « jurisdictionem » generice sed laxius et minus propriè sumptam, quæ sub se comprehendat ut species, tùm jurisdictionem propriè dictam (de quâ in thesi II) tùm potestatem magisterii. Hoc libenter concedimus 2æ sententiæ cum Card. Franzelin: et eo modo loquendi utuntur Scholastici, sicubi divisionem bimembrem in potestatem « ordinis » et potestatem « jurisdictionis » videntur tanquam satis adæquatam considerare. - Eo magis, quod eædem personæ habent in Ecclesiâ jure ordinario potestatem jurisdictionis et potestatem magisterii, atque eo sensu non distinguitur nisi hierarchia ordinis et hierarchia jurisdictionis. - Quod autem potestas magisterii non comprehendatur sub jurisdictione propriè dicta, statim ostendemus.

Probatur 2a pars

Multiplex et essentialis est discrimen inter utramque potestatem. - Ergò

Probo Ant. - 1°) Spectata [illegible]

in subditos. – Potestas ecclesiastica jurisdictionis propriè dictæ non extenditur nisi in membra societatis illius visibilis quæ est Ecclesia Christi (corpus Ecclesiæ), in quam nullus est ingressus nisi per januam Baptismi (cf. tract. de Eccl.): quare, teste Paulo, dantur homines qui adhuc sunt «foris» de quibus nec sibi neque Ecclesiæ agnoscit Apostolus potestatem judicandi seu jurisdictionis (I. Cor. V. 12, supra p. 66). – Potestas autem magisterii extenditur etiam in infideles, quos Ecclesia officium et jus habet docendi, tum postea in catechumenos qui jam credunt sed nondùm baptizati sunt; Matt. XXVIII. 19: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra » (etiam in infideles) « Euntes ergò » (virtute illius meæ potestatis, vobis communicatæ) « docete omnes gentes, baptizantes eos » etc. Docentur gentes cum illâ potestate, antequam baptizentur, imò ad hoc ipsum ut baptismo præparentur atque ad Ecclesiam adducantur. – Quomodo igitur potestas magisterii esset pars potestatis jurisdictionis, cùm ex aliquo suo elemento saltem, ipsa amplior sit quam potestas jurisdictionis? – Jurisdictio non excurrit extra baptizatos, magisterium verò excurrit. Ergò –

2°) Spectato objecto seu munere. – Potestas magisterii declarat jus divinum, divinamque revelationem; nam circa illa jus habet Ecclesia judicandi controversias, interpretandi Scripturas, etc. (cf. tract. de Ecclesia). – Potestas jurisdictionis constituit jus humanum, plane distinctum à jure divino, ut satis explicavimus supra p. 29, sqq.

Hinc sequuntur plura discrimina:

a) Potestas jurisdictionis creat seu constituit suum objectum, leges ecclesiasticas, judicia etc. – « Potestas magisterii (ait Franzelin. l. cit.)

proprium suum objectum, veritatem nempe doctrinæ et legis divinæ, non constituit, sed, eam a Deo revelatam infallibiliter declarando, nihil de suo addit, nihil de divinis detrahit, ut toties SS. Patres monuerunt (cf. tract. de Trad.) »

b) Proinde objectum constitutum per jurisdictionem est recens et mutabile: objectum verò declaratum per magisterium est antiquum, a tempore Christi et Apostolorum habens originem, et immutabile (cf. supra p. 38).

Et hoc confirmatur ipsâ diversitate locutionum in publicis actibus magisterii et jurisdictionis, quæ diversitas v.g. a Patribus Niccenis servatur, ut explicat S. Athanasius (de Synod. Arimin. et Seleuc., n. 5): « De Paschate quidem ita scripserunt: Decreta sunt quæ sequuntur ... De fide autem (nempe de fidei Symbolo et veritatibus in illo definitis) nequaquam dixere: Decretum est, sed: Sic credit Catholica Ecclesia, statimque confessi sunt quidnam crederent, ut declararent non recentiorem, sed apostolicam esse suam sententiam, et quæ scripserunt non ab eis inventa, sed eadem ipsa esse quæ docuerunt Apostoli. »

c) « Potestas jurisdictionis (ait Franzelin ibid.) per se et immediate non ad internos sed ad externos actus in visibili regno Christi refertur; potestas magisterii primum et per se attingit ac obstringit mentem et voluntatem internam. Hinc qui doctrinam infallibilis magisterii potestate definitam negat actu tantùm interno, is coram Deo, et in suâ Deo obstricta conscientiâ, ab unitate fidei et Ecclesiæ deficiens hæreticus est, quamdiù in eo peccato persistit; non jurisdictionis ecclesiasticæ sed Dei et suæ conscientiæ judicio condemnatus. Cum autem hæresim externo actu prodit, subjacet potestati jurisdictionis ejusque judicio de pœnis

secundum ecclesiasticarum legum sanctionem. Hoc discrimen, aliunde theologicè et juridicè certum, in dogmaticâ constitutione (de Immac. Concept. B. V.) expressius declaratum habemus. Post verba definitionis, Pontifex concludit: « Quapropter si qui secùs ac a Nobis definitum est... præsumpserint corde sentire, ii noverint ac porrò sciant se proprio judicio condemnatos naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiæ defecisse; ac præterea facto ipso suo sensu pœnis a jure statutis subjicere, si, quod corde sentiunt, verbo aut scripto vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint. » (« Ecclesia » ejusque « unitas » hic sumuntur sensu antonomastico, considerando simul animam et corpus Ecclesiæ; nam si « Ecclesia » sumitur alio sensu pro solo corpore Ecclesiæ, hæreticus occultus non « deficit ab unitate » illius corporis, saltem ex meliori sententiâ - cf. tract. de Eccl.)

d) Quæ ex potestate magisterii oritur obligatio, est per se universalis et æqualis in omnes. obligatio et jurisdictione per se est minus universalis. Explico. Propositio revelationis divinæ jurisque divini, per magisterium infallibile, non quidem producit illam obligationem credendi Deo et obediendi legibus divinis, quæ jam producta est olim ab ipso Deo dum revelabat et leges ferebat quæque jam existit saltem in actu primo: sed tamen producit certam notitiam illius obligationis quæ notitia sæpe ante definitionem defecerat, præsertim ubi divina revelatio erat obscura et controversa; et sic facit ut obligatio quoad multos homines incipiat existere in actu secundo; et quoniam hæc obligatio ex naturâ suâ (quippe quæ a Deo ipso immediate posita est per obligatoriam revelationem directam per se ad omnes homines)

nullum limitem extensionis habet omnesque homines aequaliter afficit, sequitur, quemlibet hominem sufficienter audientem definitiones magisterii infallibilis, per se teneri ad credendum et obediendum Deo juxtà normam a magisterio assignatam (nisi per accidens excusetur praejudiciis invincibilibus contrà magisterii infallibilitatem, ut fit apud haereticos materiales.) — E contra potestas jurisdictionis per se limites extensionis habet, non solum quatenus solos baptizatos afficit, sed etiam quatenus non obligat omnes baptizatos. V.g. nunquam propriè ipsa obligat S. Pontificem; supremus enim legislator nequit legibus suis ligari, nemo seipsum ligat, (scilicet non obligatur directè seu vi coactivâ, quamvis obligetur indirectè, nec propriè lege suâ sed jure quodam naturali. Cf. Wirc. de Legibus n° 156). Est ergò discrimen inter S. Pontificem et simplices fideles, quoad obligationem jurisdictionis: nullum est, quoad obligationem ortam ex magisterio: nempè obligatio quae in actu secundo esse incipit ex definitione rei obscurae, et consequenter antea libera, posità per magisterium infallibile, "in omnibus (hominibus) aequalis est; cui ipse definiens S. Pontifex ..... subjicitur, non minùs quam alii quicumque homines." Franzelin. ibid.

Aliud exemplum: vel ex naturâ rei, vel voluntate legislatoris ecclesiastici, potest aliquod decretum jurisdictionis attingere tantum aliquam classem christianorum, et tamen fundari illud decretum in aliquâ decisione magisterii quae excurrat ulterius, alios attingens sine ullo actu jurisdictionis ecclesiasticae in illos. Praeclarum exemplum desumit Franzelin ex Suarezio, Defens. fidei contrà Reg. Angliae, l. VI. c. 7, ubi defendit litteras apostolicas, quibus Paulus V, pronuntians circà juramentum impositum a Rege Angliae suis subditis catholicis, potestate magisterii condemnat errores implicatos in regiâ formulâ illius juramenti, et simul potestate jurisdictionis prohibet usum ejusdem juramenti.

1ª potestas condemnat errorem in se spectatum, non condemnat personas sicut faceret judicium jurisdictionis; 2ª potestas fertur in personas, scilicet pro casu dato, in solos subditos catholicos Jacobi I° (non in regem, cui jurandum non erat). Hinc concludit Suarez, falsum esse factum, suppositum ab adversariis, Pontificem exercuisse suam jurisdictionem in Regem (quidquid sit de jure): "Formula juramenti, ait, continet multa religioni et bonis moribus contraria; ergo Pontifex, illam reprobando, legitimam clavium potestate usus est, nimirum clave scientiæ (scilicet potestate magisterii) declarando iniquitatem et malitiam illius juramenti, quod est proprium munus pastoris, ad quem spectat pascere gregem Christi; et clave potestatis (scil jurisdictionis) prohibendo usum talis juramenti .... Ad reprobandam falsam doctrinam non oportet esse judicem competentem auctoris ejus, neque ipsum aliter audire quam per scripta sua; ad prohibendum autem sub præcepto tale juramentum, necessaria quidem est jurisdictio in eos, ad quos fertur præceptum, quam Angli catholici in S. Pontifice, tanquam in suo pastore recognoscunt: recte ergo potuit Pontifex Anglis talem prohibitionem imponere, præsertim cum non talis legem novam fecerit, quam divinam et naturalem de evitando illicito juramento et falsi erroris professione fugiendâ declaravit (ex potestate magisterii), et suo præcepto confirmavit (ex potestas jurisdictionis). Respectu autem Regis, licet verissimum sit, Pontificem esse ipsius judicem competentem, ut supra ostendimus (ex charactere Baptismi), nihilominus in hoc actu nullum judicium jurisdictionis in Regem exercuit." — Et tamen etiam pro Rege sicut pro aliis omnibus exercuit potestatem magisterii, quia Regem sicut et alios ab erroribus retraherat, declarando ei legem divinam, et ab ipso Rege statutam formulam condemnavit; ad hujusmodi judicium magisterii de erroribus in se spectatis non opus est judicis jurisdictionis

in personam errantem, ut advertit Suarez, et post eum Franzelin. Et sic Ecclesia, potestate magisterii, damnare potest doctrinam etiam alicujus infidelis seu pagani (v.g. Alcoranum), licet nullam habeat potestatem jurisdictionis in ipsum.

Solvuntur objectiones contra 2^am^ partem.

Obj. 1ª — Doctrina communis Scholasticorum omnia reducit ad duas potestates, ordinis et jurisdictionis. Ergo. — Sta omnes adversarii, qui praecipue auctoritate videntur adducti ad suam sententiam.

Resp. - a) Non dicit illa doctrina communis, absolute et rigorose sub alterutra comprehendi omnes potestates quas Christus in Ecclesia instituit. Certissime v.g. potestas laicorum (analoga potestati ordinis) administrandi Sacramentum Matrimonii (item, Baptismi) sub neutra rigorose comprehenditur (supra p. 108). — Quod si loquimur modo quodam morali, accommodato et minus rigoroso, admitti potest illa bimembris divisio, cf. Coroll. supra post 1am partem.

Resp. b). Divisio nostra trimembris non est nova: sed indicatur ab ipsis Scholasticis, quando accuratius omnia persequuntur. Ut notat Franzelin, potestatem magisterii et jurisdictionis opponebant sub his nominibus: "clavem scientiae" et "clavem potentiae", sicut jam vidimus supra in Suarezio; qui ait etiam in Tract. de Poenit. disp. 16, s. 4, n 4 et 5: "Theologi distinguere solent ... clavem scientiae et potentiae: quae distinctio solet maxime accommodari ad universalem potestatem spiritualem quae est in Ecclesia; et sic clavis scientiae dicitur in S. Pontifice potestas illa quam habet ad definiendas veritates fidei et interpretandam sacram Scripturam .... Clavis potentiae ... nihil aliud est quam potestas praecipiendi, gubernandi" etc. — Adde potestatem arbitris (quam utique Suarezius non negat licet de ea hic praescindat, quia

hæc non est magis in Summo Pontifice, quem hic considerat, quàm in aliis Episcopis): et habetis divisionem trimembrem. — Potestatem ordinis comprehendit sub ipsâ "clave potentiæ" egregius Theologus Lovaniensis Stapleton (Opp. t. I de Princip. fidei, l. 6. c. 4.), sed semper remanet triplex potestas: "Claves Ecclesiæ dividi possunt in clavem scientiæ et potestatis ... Ad clavem scientiæ pertinet aperire Scripturas (seu universalem doctrinam et legem revelatam), quam Christus exercuit Luc XXIV. 27, 32, et de quâ dixit legisperitis: Tulistis clavem scientiæ, Luc XI, 52. — Potestas vero clavium est vel ordinis vel jurisdictionis. Ipsa jurisdictio est vel in foro externo .... vel in interno. Tota hæc amplissima et adæquata potestas clavium soli Petro hoc loco (Matth. XVI) a Christo Salvatore promissa est."

Obj. 2ª. — "Christus non ità instituit magisterium in Ecclesiâ, ut ... obligatio credendi (id quod ab eo magisterio proponitur) oriretur solùm ex jure naturæ vel divino positivo, eo quod nempe Deo loquenti credendum est, et docente magisterio infallibili constat Deum esse locutum (hæc quidem ratio est cur magisterio Ecclesiæ adhibenda sit fides, at non est sola): sed obligationem credendi ipsum magisterium imponit, præcipit assensum fidei ....., pœnisque positivis punire potest inobedientiam ergo sua decreta fidei." — Ergo "ipsa auctoritas docendi est quædam potestas jurisdictionis." Palmieri, De Rom. Pont., Proleg., § XX.

Resp. — Conc. Antec., quod ab omnibus Catholicis admittitur; nego Conseq. — Deberet tantùm concludi: "Ergo auctoritati docendi intimè conjungitur potestas jurisdictionis, quæ suis legibus et pœnis urget definitiones magisterii; ipsique magisterio est quasi murus et propugnaculum." Aliud est intima conjunctio ordinaria duarum potestatum diversarum, aliud est earum identitas et confusio. Imò non ità sunt semper conjunctæ

ut semper extendantur ad easdem personas, ut vidimus : atque etiam ubi simul afficiunt aliquam eandem personam (v.g. aliquem fidelem attingit simul et definitio magisterii infallibilis, et explicitum vel implicitum anathema supremâ jurisdictione intentatum, ut supra in Bulla Immaculatae Concept.), etiam tunc « sin minus tempore saltem naturâ prior præsupponitur facta per magisterium ..... declaratio veritatis doctrinae, legum, institutorum divinorum » Franz. l.c.

Instant 1°. — Propos. 33 Syllabi, damnata a Pio IX, haec est : « Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam. » Ergo juxta mentem Pontificis, identificatur magisterium (cujus sane est dirigere doctrinam sacram) cum potestate jurisdictionis.

Resp. Nego cons. — asserit Pontifex potestatem jurisdictionis « dirigere theologicarum rerum doctrinam » nos etiam asserimus : nonne potestate jurisdictionis institutae sunt Universitates, prohibitum est ne certae quaedam doctrinae in theologiâ docentur, decretis, poenis, etc. ? asserit Pontifex id pertinere « unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem » : nempe damnat eos, qui v.g. ad civilem jurisdictionis potestatem dicunt pertinere etiam posse directionem studiorum theologicorum, etc. Nos pariter damnamus. Num ipse negat pertinere ad ecclesiasticam potestatem magisterii definitionem doctrinarum theologicarum, antequam ecclesiastica jurisdictio prohibeat et puniat id quod magisterium infallibile declaravit erroneum ? Nullo modo. Ergo theologiam dirigunt et magisterium et jurisdictio, sed non propterea identificantur.

Instant 2°. — Quae versantur circa idem objectum, identificantur. — Resp. dist. : si eodem modo et sub eodem respectu, conc. ; secus, nego. — Sic et potestas ordinis et pars potestatis jurisdictionis versantur circa idem objectum, sacramenta ; et pertinet ad ecclesiasticam jurisdictionem (th. III, 4ª pars), dirigere administrationem sacramentorum ; et generatim quaecumque sunt potestatis

ordinis, jurisdictio (praeter alia) attingit suo modo: num propterea dicemus potestatem ordinis reduci ad potestatem jurisdictionis, esse partem ejus? Stante plura adversariorum argumenta, quae ex intima conjunctione magisterii et jurisdictionis desumuntur, retorqueri possent contra distinctionem potestatis ordinis et potestatis jurisdictionis, quas tamen ipsi admittunt ut irreducibiles ad alterutram, et meritò quidem.

Obj. 3a. — Merum magisterium sumptum praecisive et antecedenter ad jurisdictionem ipsi superadditam non est « potestas » — Ergo non datur distincta « potestas magisterii. » Sta Carpini, supra.

Resp.: dist. ant.: Merum magisterium, sed institutum ab ipso Christo quia distinctum a jurisdictione. (« Euntes, docete omnes gentes, » etiam infideles in quos non est jurisdictio), et exclusivè institutum ut legitimum, atque authenticum, ita ut privilegium habeat docendi ex parte Dei, et in praesenti ordine omne aliud religiosum magisterium publicum reprobetur, imò donatum privilegio infallibilitatis magisterium non est « potestas, » et una ex praecipuis Ecclesiae potestatibus, Nego: aliud magisterium quod concipi posset, Conc. — Nisi forte « potestatem » voces solam facultatem gubernandi homines; sed tunc quomodo ipsa « potestas ordinis », quam admittis, erit « potestas »? — Imo magisterium ecclesiasticum, etiam praecisum a jurisdictione, involvit jus aliquomodo gubernandi actiones hominum, v.g. catechumenorum, qui fidem jam habentes agnoscunt legitimitatem et privilegia potestatis magisterii, nondum tamen subjiciuntur potestati jurisdictionis, utpote non baptizati. Ecclesia catechumenos quâdam speciali regit disciplinâ; quae olim satis severa fuit, praesertim in ultimo stadio catechumenatûs, quando nomina sua dederant ut baptizarentur (tunc dicebantur competentes, i.e. petentes cum aliis baptismum). Sic Augustin., de fide et oper., c.6, n.8, commemorat statutos dies quibus illi « suis nominibus datis, abstinentiâ, jejuniis,

exorcismis purgantur. » Sic conc. œcum. Nicænum I^um, can. 14, ait: « De catechumenis lapsis (i.e. fidem jam professam negantibus in persecutione) verum est sanctae et magnae Synodo, ut tribus annis sint inter audientes tantum (qui gradus erat quasi vestibulum seu limen catechumenatus), post hos vero orent (scil. admittantur iterum ad orationes) ad priorem partem Missae) cum catechumenis » (nempe proprie dictis, qui etiam dicebantur genuflectentes seu prostrati). Cf. Franz. de Eccl. th. 23; qui hujusmodi disciplinam ab Ecclesia determinatam (nimis imperfectam extensione potestatis ut vocatur jurisdictio) notat esse quoddam magisterii complementum necessarium, non vero a potestate jurisdictionis derivari: « Catechumeni .... Ecclesiæ jurisdictioni ac legibus obnoxii non sunt, sed ex lege divina et naturali obligantur magisterio Ecclesiae ejusdemque magisterii disciplinæ. » Et th. 5ª: « Haec videri possent ex potestate esse ecclesiastica jurisdictionis, arte tamen non in hac sed in potestate magisterii suum habuerunt et habent fundamentum.

Obj. 4ª Conc. Vatic., constit. de Rom. Pont. c. 4, ait: « Ipso autem apostolico primatu (jurisdictionis)... supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec S. Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobat, ipsaque œcumenica Concilia .... declaraverunt. » Ergo.

Resp. a). Nego legitimitatem illius additae parenthesis: (jurisdictionis), cujus additio necessaria est ut aliquid contra nos concludatur. — Nam Concilium, post praecedens caput in quo utique ostendit « potestatem jurisdictionis » plenam et supremam contineri in « primatu Romani Pontificis », cujus « primatus » vim et rationem » explicare inceperat, sic exorditur novum caput: « Ipso autem apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tanquam Petri principis apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, etc. ». Nempe docet, in illo speciali et supremo gradu, quem habuit Petrus inter apostolos et Rom. Pontifex

inter Episcopos, qui gradus dicitur « Primatus », comprehendi praeter supremam potestatem jurisdictionis, « supremam quoque potestatem magisterii », et sub nomine « primatus » utramque potestatem in Rom. Pontifice agnitam semper fuisse usu Ecclesiae, declaratione Conciliorum, etc.: minime vero docet, in « primatu jurisdictionis », seu in « suprema potestate jurisdictionis » comprehendi supremam potestatem magisterii. Aliud est, supremum magisterium esse partem « primatûs », quod dogma revera in Ecclesia semper fuit creditum; aliud est, esse partem « jurisdictionis », quae scholastica quaestio non fuit sane « declarata ab oecumenicis Conciliis, comprobata perpetuo Ecclesiae usu », etc.

Resp. b). Imo ex Vatic. novum argumentum pro nobis desumit Card. Franzelin, th. 5, de Eccl.; et quidem duplex:

Nam 1°) Si vera esset adversariorum sententia, « potestas magisterii » identificaretur non quidem cum omni jurisdictione (nam est aliqua jurisdictio mere disciplinaris, quam ipsi distinguunt a jurisdictione in re dogmaticâ), sed cum aliquâ jurisdictione, scil. cum ea quae fidem imperat sub praeceptis et poenis ecclesiasticis superadditis juri divino. Atqui Vaticanum plane distinguit « potestatem magisterii » etiam ab hac secunda jurisdictione quae versatur circa res fidei. Ergo. — Prob. min. — Definit cap. 3 Rom. Pontificem habere supremam potestatem jurisdictionis tum in rebus « quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent », tum in rebus « quae ad fidem et mores » pertinent. Nihilominus postea cap. 4 transit ad asserendam in Primatu « supremam quoque magisterii potestatem », tanquam ad materiam novam et nova definitione indigentem, quam dat in fine. Igitur, ut Franzelin advertit, in Rom. Pontifice « non sufficit credere supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam etiam in rebus quae ad fidem et mores pertinent, sed simul cum illâ credenda est suprema quoque potestas magisterii. Erant inter Catholicos

ante Conc. Vaticani definitionem, qui admittebant sanè Romani Pontificis supremam potestatem jurisdictionis in rebus ad fidem et mores pertinentibus quatenus nempe ex consensu Ecclesiæ vel definitione œcumenici Concilii jam constaret de veritate rerum fidei et morum » (Rom. Pontifice deinde illam veritatem infallibilem urgente et protegente per leges professionem fidei imperantes ex supremâ jurisdictione); « sed negabant, vel in dubium vocabant... supremam et hoc ipso infallibilem potestatem magisterii ..., vi cujus, in definienda doctrina fidei vel morum, infallibilitate pollet, ita ut ejus definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles sint. » Suprema ergò jurisdictio, etiam spectata in materiâ fidei imperandæ, non necessariò supponit infallibilitatem in personâ imperante consideratâ per se solâ, licet in aliquâ infallibilitate nitatur : supremum magisterium, è contra infallibilitatem supponit in eo qui dicitur supremus magister.

Deinde 2°) in cap. 4. ita explicat Vaticanum quid sit supremum magisterium, ut nequeat propriè ad potestatem jurisdictionis reduci. Nam de illo magisterio ait Concilium, quòd « huic pastorali muneri ut satisfacerent » Romani Pontifices « indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terræ populos propagaretur, pariquè curâ vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur ». Igitur (concludit Franzelin) « suprema potestas magisterii etiam ad infideles non baptizatos extenditur; non enim voluntariâ tantùm charitate, quæ potest et deberet esse cujusvis Christiani, sed vi muneris pastoralis suprema potestas magisterii com-

prehendit omnes terræ populos docendos ex mandato et institutione Christi, Docete omnes gentes,.. Ergo ex Christi institutione et jure divino latius extenditur (quam suprema jurisdictio), eoque ipso potestates distinctæ intelliguntur. Sed num forte intra Ecclesiam, ut sincera et pura conservetur doctrina, magisterium non agit sub formali suâ ratione, quâ distinguatur à potestate jurisdictionis? Imò verò, Concilium clarissimè describit, quomodò Romani Pontifices ante omnia et præcipuè sinceram et puram Christi doctrinam conservent non jam potestate imperandi seu jurisdictionis, sed per illam quæ secundùm Christi orationem et promissionem (Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua) est potestas assistente Spiritu S. infallibiliter cognoscendi, exponendi, definiendi traditam ab Apostolis revelationem, atque ita custodiendi fidei depositum: quâ profectò descriptione non aliud enuntiatur nisi illa plenitudo potestatis docendi cum assistentiâ Spiritûs S. et certitudine infallibili, quam veteres «clavim scientiæ» appellarunt (cf. Suarez de Relig. t. 4. l. 3. c. 4. n. 11); Concilium verò aptissimè juxta constantem doctrinam et modum loquendi Scripturæ dicit supremam magisterii potestatem.))

Disputatio ij

De subjecto potestatis ordinis, seu de hierarchia ordinis.

Postquam egimus de multiplici potestate ecclesiastica formaliter in se spectata, quærendum est in quo subjecto, scil. in quibus personis resideat. « Subjectum potestatis », sine addito, intelligitur subjectum activum, habens potestatem, non verò subjectum passivum scilicet homines in quos potestas exerceri potest (« les sujets »).

Ac primùm de subjecto potestatis ordinis. Cùm hæc potestas, ex ipsâ suâ notione ac naturâ, importet aliquod subjectum consecratum, cui ipsa reservetur ad exclusionem subjecti non consecrati seu laici (Cf. supra p. 6, sqq.), sequitur nos in thesi I potestatem ordinis probando exsistere secundùm illam notionem, ipso facto aliquid jam probavisse generaliter de ejus subjecto, scilicet illud non esse personam laicam, sed consecratam.

Hoc igitur solum remanet, ut subjectum

illud jam distinctiùs considerantes, quæramus utrum et qui sint gradus in illâ personæ consecratione: gradus, inquam, specificè distincti. Nam certè potestas ordinis, remanendo in suâ notione et definitione generali, potest suos habere gradus specificos, quatenùs v.g. gradus inferior jus habeat tantùm ad quasdam species sacramentorum administrandorum seu sacrorum faciendorum, gradus autem superior jus habeat ad has et alias etiam species; quod si existit hæc specifica diversitas, pendere debebit ex ritu etiam diverso; cùm enim de naturâ sit potestatis ordinis, ut immediate fluat ex aliquo ritu sacro seu consecratione personæ, oportet ut potestati diversæ amplitudinis respondeat ritus diversus conferens illam diversam potestatem: et hæc omnia sint ex divinâ institutione, si loquimur de potestate ordinis stricte dictâ (cf. supra p. 103).

Talium graduum, qui sint alii aliis perfectiores, collectio tota seu integra scala (ut ita dicam) vocari poterit cum plerisque hodiernis Theologis et Canonistis «hierarchia ordinis» eam opponendo «hierarchiæ jurisdictionis», quæ et ipsa erit collectio specificorum graduum in potestate jurisdictionis.

Probemus igitur (variis thesibus pro variis gradibus) dari hierarchiam ordinis, à Deo institutam: quam existere definivit Tridentinum s. 23. can. 6: «Si quis dixerit, in Ecclesiâ catholicâ non esse hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, a. S.»

Thesis V

Episcopi jure divino majores sunt presbyteris quoad potestatem ordinis.

St. Q. Duo illi gradus hierarchiæ ordinis in hac thesi veniunt primum discernendi, qui Episcopatus & Presbyteratus (nunquam confusis hodie nominibus) vocantur. Semper in Ecclesia duo illi gradus exstiterunt diversi, siquidem probamus eos esse de jure divino, at nomina, quibus hodie modo magis fixo utimur, potuerunt initio esse minus determinata, ita ut, v.g., nomen „Presbyter" utrique gradui esset aliquando commune & quasi genericum, sicut & nomen „Sacerdos": quod non obstabat quominus distinguerentur sacerdotes primi ordinis (quos hodie vocamur semper „Episcopos") & sacerdotes secundi ordinis (quos vocamus „Presbyteros"). Distinguatur ergo cum S. Thoma (2 2. q. 184 a. 6) duplex questio: una de re, altera de nomine. Priorem hic solam tractamus; posterior infra explicabitur, utpote secundaria.

Adversarii præcipui:

Aerius, sæculo IV, de quo ait S. Aug. (de Hæresib. c. 53): „Cum esset presbyter, doluisse fertur quod Episcopus non potuerit ordinari, & in Arianorum hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse, dicens presbyterum ab episcopo nullâ differentiâ debere discerni."

Wicleffus, sæculo XIV, sacerdos Anglus, cum pariter Episcopatum speratum obtinere nequisset, aiebat, teste Thoma Waldensi (Doctr. fidei l. 2. a. 3, n. 60): „Tempore Pauli, sufficiebant Ecclesiæ duo ordines clericorum, sacerdos scl. & diaconus; quia certum videtur, quòd superbia Cæsarea alios gradus adinvenit." Apud Catharos & Waldenses doctrina similis putatur adfuisse.

Calvinus (Instit. l. 4 c. 4 nº 2) exhibet Episcopatum ut adinventionem quamdam humanam, temporum necessitate inductam, ad unitatem servandam in societate, potestatem quamdam merce jurisdictionis seu præsidentiæ & quidem delegatam a Presbyteris uni ex ipsis; nullam admittit in Episcopatu specialem potestatem ordinis, nullum discrimen jure divino.

(Cf. ap. Winc. de Ord. 95)

In Anglia, haec controversia fuit ultimis saeculis celeberrima. Ecclesiam quae propriè dicitur Anglicana seu Episcopaliana (eo quod admittit Episcopatum a presbyteratu distinctum) vehementer impugnarunt homines Calvini doctrinis imbuti, Puritani seu Presbyteriani, (ita dicti ex eo quod solos agnoscant presbyteros). Presbyteriani hodie planè dominantur in Scotia, & cum eis militant contra Episcopalianos multae aliae sectae, quae generali nomine Non-conformista seu Separatistae, seu Dissidentes („Non-conformists, dissenters") vocantur, quae episcopos ipsa non habent, imo pleraeque suum clerum vix ac ne vix quidem distinguunt a laicis. Inter Presbyterianos & Calvinianos contra Episcopatum nonnulli ingentem & indigestam eruditionis molem congesserunt: praesertim Salmasius (Saumaise), quem late refutavit Petavius noster (t. 8, de Eccles. hier. libri quinque) & Blondellus (Blondel), quem inter alios reputavit Dominicanus Natalis Alexander (Hist. eccl., Diss. 44 ad saec. IV) — Ex Anglicanis nobiscum contra Presbyterianos pugnaverunt aliqui magna eruditione ut Hammond, Pearson (cf. ejus Vindicias Ignatianas 2 p. c. 13, ap. Migne Patrol. gr. V. 410), Bingham (Orig. Eccles. l. 2 c. 1).

Graves consequentias illius erroris quo rejiciebat Episcopatus, imprudentemque levitatem primorum Protestantium in eo rejiciendo, sic agnoscit apostata Döllinger, etiam post suum lapsum in schisma „Veterum catholicorum" (La réunion des Eglises, 1880 p. 76) — vir caeterum eruditissimus in historiâ Reformationis et doctrinarum ejus: „Je ne puis passer sous silence une difficulté spéciale qui s'oppose à la réconciliation de l'Eglise protestante d'Allemagne avec les anciennes églises de la chrétienté (intelligit non solum Catholicos, sed etiam Anglicanos & Schismaticos Orientales, quos ipse volebat conjungere:). Je veux parler de l'interruption de la succession apostolique, causée par l'abolition de l'épiscopat & de l'ordination des prêtres (quâ abolitione, ipsa successio materialis seu umbra illa successionis quae apud Schismaticos remanet, penitus destruitur). Luther & ses collègues n'étaient

contraints d'agir ainsi par aucune nécessité extérieure; car dès l'origine quelques évêques catholiques s'étaient rangés de leur côté, mais ils pensaient que, d'après le N. Testament, évêque & prêtre sont synonymes, & que l'épiscopat doit être considéré comme une institution humaine, introduite plus tard dans l'Eglise. Ce fut pour les protestants une perte plus grande que leurs docteurs ne l'imaginaient: le lien qui les rattachait à l'antique Eglise catholique était rompu. C'est ce qui apparut avec évidence dans leurs relations avec l'église anglicane, qui sortait aussi de la réformation..... Tout ministre protestant allemand qui voulut passer au service de l'Eglise d'Angleterre dut recevoir préalablement l'ordination de l'évêque, tandis qu'un prêtre latin ou grec est admis aussitôt, en vertu de son ordination précédente, dont la validité est parfaitement reconnue. Or, c'est de l'ordination épiscopale que dépendent la consécration de la S.te Eucharistie & le pouvoir de donner l'absolution. Tout cela fut sacrifié à une interprétation douteuse de l'Ecriture: bon nombre de théologiens protestants admettaient, en effet, l'institution de l'épiscopat par les Apôtres, & tous sont obligés de reconnaître que, depuis la mort des Apôtres, l'histoire de l'Eglise nous montre partout un épiscopat bien organisé, dont tout l'état de l'Eglise dépend. »

Hinc etiam conatus quos olim fecerunt Protestantes ut a Schismaticis Orientalibus in unitatem reciperentur, semper infructuosi manserunt.

De discrimine Episcoporum & presbyterorum disputantes plerumque miscuerunt duo diversa, scl. excellentiam Episcoporum super presbyteros quoad potestatem ordinis, & quoad potestatem jurisdictionis. Attamen sunt separabilia: concedere quis potest unum & negare alterum. Utraque praeeminentia tenenda est, nos vero in hâc disputatione & thesi solam potestatem ordinis consideramus, & praescindimus a jurisdictione, quod conferet ad claritatem. Sequimur in hoc, v.g., Wirceburgense, de Ord. n.o 96, qui distinctis thesibus probant utramque illam Episcoporum praeeminentiam

Thesis nostra, si non est de fide, est saltem conclusio theologica certa. Trident. s. 23 can. 7 ait: « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem, A. S. » Et cap. 4, antea: « S. Synodus declarat episcopos .... sacramentum Confirmationis

conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.» — Utique, non explicite dicit eas «jure divino» esse superiores; sed implicite hoc dicit, saltem quoad potestatem ordinis; nam potestas v.g. "ordinandi ministros Ecclesiæ" est institutionis divinæ immediatæ, sicut & aliorum sacramentorum ministerium, neque Ecclesia potest eam dare cui Deus non dedit, aut tollere ab eo cui Deus dedit. Atqui, teste Concilio, eam habent Episcopi, non habent alii; ergo Deus ipse immediate discrimen posuit inter Episcopos & alios ea parte potestatis ordinis. — Et can. 6: «Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris & ministris, A.S.» Profecto unusquisque gradus hierarchiæ, sicut distincte enumeratur, ita distincte & in particulari attingitur illa qualificatione: «divina ordinatione institutum», quod ex sensu obvio idem est ac «jure divino»; ergo.

Probatur:

1°) Ille affirmat distinctionem & præeminentiam Episcopi quoad potestatem ordinis, & jure divino, qui in functionibus sacris ei attribuit gradum diversum a presbyteris, sicut & hi habent gradum diversum a diaconis; qui eum «sacerdotem primi ordinis» vocat, vel «summum sacerdotem» scl. summum in sacerdotio (quæ diversitas sacerdotii, sicut & sacerdotium ipsum, nequit esse, nisi ex jure divino); qui comparat eum summo sacerdoti Judæorum, gaudenti speciali potestate ordinis ex jure divino, ut scimus ex V. Testamento, qui in sacris confictionibus dicit Episcopos specialiter successores Apostolis.

Atqui ita loquuntur Patres. — Ergo.

Probo Min. — S. Clemens Romanus (supra p. 18) agens de sacris ritibus christianorum, loquitur de "summo sacerdote" (ἀρχιερεύς), quem opponit «sacerdotibus» (ἱερεῦσι), per quem nequit designare nisi Episcopum. — Ex contextu, comparat eum summo sacerdoti Judæorum, sicut sacerdotes

sacerdotibus, et diaconos levitis: Similem comparationem habent alii Patres citati ibidem p. 18; e.g. S. Hieronymus in illa ipsa epistola 146 ad Evangelum, quae saepe objicitur, ait in fine: "Quod Aaron (summus sacerdos) et filii ejus (sacerdotes) atque Levitae in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri et Diaconi vindicant in Ecclesia."

Tertullianus, de Bapt. c. 17 (supra p. 22) pariter ait: "Summus sacerdos, qui est Episcopus."...

Clemens Alexandr., pariter sub finem saeculi II, clare agnoscit distinctionem et superioritatem gradus Episcopalis super presbyteros, sicut presbyterorum super diaconos (ergo ex parte potestatis ordinis); immit etiam, à Deo ipso immediate esse positos illos gradus, sicut posuit ipse hierarchias angelorum, et sanctorum in coelis; Stromat. l. 6. c. 13 (Migne IX. 327): "Hic quoque in Ecclesia (hic, scil. in terris, opponens terrenam coelesti hierarchiae, de cujus gradibus loquitur in illo capite) progressiones (scil. gradus progressivi, προκοπαὶ) episcoporum, presbyterorum, diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloriae angelicae". Et in sequentibus immediate, agnoscit inter electos ascensionem similem ex diaconatu ad presbyteratum quemdam coelestem, et ex presbyteratu illo ad "virum perfectum" quo Episcopum designat.

Quando Aerius in IV° saeculo confundere penitus Episcopatum cum Presbyteratu primus coepit, Ecclesia contra illam nobilitatem statim reclamavit, eamque pro horrendo errore habuit, scribente tunc S. Epiphanio, Haeresi 75 (Migne XLII. 506): "Est autem illius dogma supra hominis captum furiosum et immane. Ait enim: Quânam in re presbytero episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor ac dignitas. Manus imponit Episcopus, imponit et presbyter; baptizat episcopus, idem facit et presbyter. De Ordine XVIII – 1.

divinum omnem cultum administrat episcopus, non minus id facit et presbyter." Ubi vides agi in primis de potestate ordinis. Praeeminentiam autem illam negabat Aerius asserebatque Epiphanius, quae esset de jure divino: nam ex historia ecclesiastica scimus, tunc temporis certissime aliqua sacra reservari consuevisse Episcopis, nec tam stultus erat Aerius, ut illud factum negaret, ipsamque manifestam Ecclesiae consuetudinem: ergo id unum contendebat consuetudinem illam fuisse introductam ad inventione humana, nullum vero esse discrimen a Christo institutum, nullum de jure divino: ac proinde discrimen de jure divino propugnabat Epiphanius cum Catholicis.

S. Pacianus, Episc. Barcilonensis in eodem saeculo IV, objiciens sibi, solis Apostolis datam esse a Deo potestatem rerum sacrarum (seu ordinis), respondet eam datam esse etiam Episcopis utpote eorum successoribus, nihil dicens de Presbyteris et sic indicans Episcopos gradum habere perfectiorem illius potestatis; epist. 2. ad Sympronianum n. 6 (Migne XIII 1057): "Totum ad nos ex Apostolorum forma et potestate deductum est... Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum (potestas) ad Episcopos inde descendit: et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi. Quod etsi nos ob nostra peccata temerarie vindicamus, Deus tamen illud, ut sanctis (scil., consecratis speciali consecratione) et Apostolorum cathedram tenentibus, non negabit."

S. Optatus, Episc. Milevitanus etiam saeculo IV, de schism. Donat. lib. I. c. 13 (Migne XI. 908): "Terme ante annos sexaginta ... per totam Africam persecutionis divagata est tempestas" (de Diocletiani persecutione loquitur): "quae alios fecerit martyres, alios confessores... quid commemorem laicos?.. quid ministros plurimos? quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices et

principes omnium, episcopi," etc. — Ubi excellentia Episcoporum praeclare asseritur; et in "sacerdotio", scil. in potestate ordinis, memorantur tres species, primum sacerdotium quod est episcoporum, secundum sacerdotium quod est presbyterorum, tertium sacerdotium quod est diaconorum.

Innocentius I, initio saeculi V, in epist. 25 ad Decentium c. 3 (Migne XX. 554): "Nam presbyteri licet sint secundi sacerdotes, pontificatus apicem non habent." Et quod agat de potestate ordinis patet ex contextu, ubi asserit solum Episcopum esse ministrum sacramenti confirmationis.

S. Leo Magnus serm. 48 de Quadr. (Migne LIV. 298): "Non summos tantum Antistites aut secundi ordinis sacerdotes, nec solos sacramentorum ministros, sed omne corpus Ecclesiae, universumque fidelium (numerum, ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatum." Opponit laicis "ministros sacramentorum"; quae distinctio fit secundum potestatem ordinis (cf. thes. I.): ergo "secundi ordinis sacerdotes" dicuntur presbyteri spectata potestate ordinis, ex contextu.

2°/ Ille est iure divino major presbyter quoad potestatem ordinis, qui ex sua speciali consecratione habet potestatem, a Deo ipso alligatam, valide conferendi aliquod sacramentum, quod presbyter non potest conferre valide.

Atqui Episcopus, ex sua speciali consecratione, habet (praeter alia sibi reservata) potestatem a Deo ipso alligatam, conferendi sacramentum ordinationis presbyterorum (et ipsorum Episcoporum), quod merus presbyter invalide attentaret — Ergo.

Patet Maj. ex notione potestatis ordinis, supra p. 6, et praesertim thesi III 3a p., cum scholio I.

Et ipsi adversarii admittunt principia similia: s. g. presbyter est, quoad potestatem ordinis, de

jure divino major diacono et a fortiori laico, quia potest conficere Eucharistiam et sacramentaliter remittere peccata, quod non potest diaconus nec laicus.

Probo min. Quod potestas conferendi ordinationem (si revera sit solius Episcopi) alligata fuerit à Deo ipso Episcopatui, patet ex eo quod ordinatio sit sacramentum (ut infra probabitur) jam vero Deus ipse, sicut est solus auctor sacramentorum ita et solus potest delegare vel designare validum eorum ministrum. (Cf. de sacramentis in gen.). — Quod autem potestas illa sit revera solius Episcopi, Traditione probatur:

a/ Negative; nullius enim alterius ministri praeter Episcopos fit mentio in Patribus et Conciliis, neque ullum in historia ecclesiastica reperitur exemplum ordinationis presbyteri (vel episcopi) a non-episcopo quae habita fuerit tanquam valida.

b/ Positive; nam multa documenta diserte reservant illam potestatem Episcopis, aliosque excludunt.

Antiquissima collectio quae vocatur "Canones Apostolorum" (Labbe t. I p. 26), can. 1.: "Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur"; et can. 2. "Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, et diaconus et reliqui clerici."

Aliud antiquum documentum, quod vocatur "Constitutiones Apostolicae", lib. 3. c. 20 (Labbe t. 1. p. 326, Migne, Patr. gr. I. 803) sic inducit Apostolos loquentes: "Jubemus ut presbyter et diaconus ab uno episcopo ordinetur, et reliqui clerici: utique nec presbyter, nec diaconus clericos ex laicis ordinent; sed solummodo presbyter quidem doceat, offerat, baptizet, benedicat populo; diaconus vero ministret episcopo, ac presbyteris."

Synodus Alexandrina, citata a Sancto Athanasio in Apol. contra Arianos, n. 12 (Migne XXV. 270) probat Ischyram non fuisse valide ordinatum presbyterum, ex eo quod Colluthus, qui eum ordinaverat,

erat simplex presbyter, non verus episcopus: "Unde igitur presbyter (est) Ischyras? Quo ordinante? num Colluthio?... Atqui Colluthum presbyterum obiisse ambasque ejus manus sine auctoritate fuisse, ac omnes qui ab eo schismatis tempore ordinati sunt, ad laicorum statum redactos ita consentibus interea omnibus notum ac nulli dubium est."

Aliud documentum de eodem casu, ab Athanasio relatum ibid. n. 75: epistola scilicet multorum presbyterorum et diaconorum ad Philagrium Ægypti præfectum: "Ischyras ... se presbyterum jactitabat tametsi non presbyter. Ordinatus quippe fuit a Colluthio presbytero: qui falso episcopi nomine gloriabatur, demumque, in communi synodo ab Hosio et sociis ejus Episcopis celebrata, ad priorem presbyteri ordinem redactus est: ac consequenter quotquot a Colluthio fuerant ordinati, ii simul ad priorem refersi conditionem; ita ut ipse quoque Ischyras inter laicos visus fuerit."

S. Epiphanius hæres. 75 n. 4. (Migne XLII. 507.) hinc præcipue refellit, quod presbyter quidem possit Ecclesiæ gignere filios (per baptisma) solus vero Episcopus possit Ecclesiæ gignere patres, scil. presbyteros ipsos: "Episcoporum ordo ad gignendos patres præcipue pertinet: hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter (ordo), cum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? Aut quomodo presbyter Episcopo dici potest æqualis?"

S. Chrysostomus, hom. 11 in 1. Tim. cum dixisset: "inter episcopos et presbyteros fermè nihil interesse" qui locus afferri solet ut objectio ab adversariis Episcopatûs, addit: "Sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum

plus quam presbyteri habere videntur." — Et in hom. 1 in Philipp. 1., probat Timotheum fuisse Episcopum ex eo quod Paulus loquitur de ipsius potestate ordinandi (supra p. 16).

S. Hieronymus, quem praesertim attulerunt contra nos Presbyteriani et Calviniani concedit pariter manifestissime praeeminentiam quam nunc dicimus, epist. 146 (al. 85) ad Evangelum n. 1. (Migne XXII. 1194): "Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?" — Difficultatem facit ille Pater quoad praeeminentiam jurisdictionis (et alibi eum explicabimus), non autem ordinis, de qua nunc solâ agimus.

Gregorius III (initio saeculi VIII^i) ad sanctum Bonifacium apostolum Germaniae scribit, ep. 7. (Migne LXXXIX. 584): "Presbyteros vero quos ibidem reperisti, si incogniti fuerint viri a quibus sunt ordinati, et dubium est eos Episcopos fuisse, annon, qui eos ordinaverunt: si bonae actionis et catholici viri sunt illi presbyteri, et in ministerio Christi omnique lege sancta edocti atque apti, ab Episcopo suo benedictionem presbyteratus suscipiant et consecrentur et sic ministerio sacro fungantur." — Ergo invalida et iteranda habetur ordinatio presbyteri facta a non-episcopo.

Antiquissimi libri rituales constanter exhibent Episcopum tanquam sacramenti Ordinis ministrum: eos vide transcriptos apud Martène, de antiquis Eccl. ritibus, lib. 1. p. 2. c. 8. a. 11.

Schismatici Orientales ipsi concordant in attribuenda Episcopis et deneganda presbyteris potestate ordinandi Episcopos et presbyteros. Cf. Renaudot, Perpétuité de la foi, t. 5. l. 5. c. 8.

3°/ Constat ex praecedentibus, discrimen inter duas illas classes quoad potestatem ordinis extitisse jam in primis saeculis. — Atqui a/ non ex fraudulenta

adinventione hominum; nec b/ ex jure ecclesiastico originem habuit. — Ergo ex jure divino.

Probo min. quoad a/ Si unus ordo institutus a Christo et apostolis cum eadem potestate et sub nominibus plane synonymis Episcopatus et Presbyteratus (ut volunt adversarii) fuisset deinde scissus in duos; si pars una, scil. ii qui postea Episcopi nomen retinuerunt, partem alteram juribus communibus injuste spoliasset (v.g. jure ordinandi alios), reclamationes et controversiæ magnæ fuissent nec talis status rerum in tam multis et diversis locis Ecclesiisque uniformiter, semperque silenter et pacifice, stare potuisset. Atqui potuit. Ergo — C.q. quæ diximus in simili quæstione supra p. 26.

Probo min. quoad b/ Duplici modo potest intelligi discrimen illud fuisse jure ecclesiastico invectum — Vel 1/ quatenus Ecclesia ipsa v.g. determinavit quis foret minister ordinationis, eique contulit ipsa potestatem ordinis, illique ministro reservatum est postea Episcopi nomen cum speciali dignitate. Et (etiam omittendo quod supra diximus, Ordinationem esse Sacramentum, ac proinde Deum solum, pro præsenti Sacramentorum œconomia, potuisse determinare et delegare ministrum ejus), in ista hypothesi explicari nequit cur Ecclesia nunquam possit, nunquam potuerit episcopos hæreticos, schismaticos, degradatos etc. privare potestate ordinandi valide, sicut privantur ordinarie omni jurisdictione omni legum judiciorumque ecclesiasticorum effectione valida: Cf. supra p. 83. — Vel 2/ inferioritatem illam presbyterorum (jure ecclesiastico, quoad potestatem ordinis) sic explicabunt adversarii, quod in uno ordine sacerdotii instituto a Deo cum eadem potestate v.g. ordinandi, Ecclesia deinde fecerit categorias duas, et categoriæ "presbyterorum" abstulerit seu impedierit usum potestatis ordinis,

quæ in eis utpote data a Deo semper remanet, sed semper ligata. At in ista hypothesi non explicatur, cur Ecclesia voluerit hunc usum in presbyteris impedire in perpetuum, atque etiam in casu extremæ necessitatis (v.g. ubi in aliquo remotissimo loco deest Episcopus, et adest presbyter qui indigeret aliis collaboratoribus vel successoribus presbyteris), cum in casu necessitatis soleat Ecclesia concedere quidquid potest, v.g. laicis ut baptizent, imo presbyteris hæreticis et degradatis ut sacramentaliter absolvant etc. Item non explicaretur, cur Deus presbyteris dederit potestatem aliquam semper impediendam et prorsus inutilem.

Cf. Petavium, de eccl. hier. l. 1. c 3. n 7. segq.; l. 2. c. 9.

4° Ratio congruentiæ pro thesi est hæc inter alias, quod cum Deus vellet presbyteros generaliter ab Episcopo gubernari, potestate jurisdictionis (ut infra videbimus), facilior et suavior esse debebat hæc gubernatio, si alioinde ex parte potestatis ordinis jam esset in Episcopo quædam superioritas, imo quædam paternitas respectu presbyteri. "Habet exinde presbyter, quo non gravate sese episcopis subjiciat, a quibus potestatem suam tanquam a fœcundo divinoque parente mutuatus." Hallier, de sacris ord. p. 2. s. 5. c 1. a. 1. n. 12.

Scholion I. Utrum presbyter possit ordinare ut minister extraordinarius — Quidam Scholastici asseruerunt fieri posse ex commissione Summi Pontificis, ut simplex presbyter conferret presbyteratum. Eos citat Morinus, Exerc. 4. de Chorepisc., c. 3: :" multos auctores antiquos et recentiores vix aliud tenuisse dicit. Inter eos est Vasquez, de ordine, disp. 243 c. 4., quem sequitur Sylv. Maurus, lib. 13. q. 283. — Auctores illi omnino sunt distinguendi ab hæreticis

quos in thesi refutavimus. Admittunt enim — (nisi quosdam veteres canonicos Jurisconsultos excipias, seu interpretes Canonum, qui in re doctrinali non debuissent a communi sententia Theologorum discedere, et sic ad quemdam presbyterianismum devenerunt et plura falsa principia fabricaverunt: cf Wirc. n. 141.) — admittunt, inquam, jure divino potestatem ordinis majorem esse in Episcopo, tum quatenus ipse solus est saltem minister ordinarius omnium ordinationum, sicut et Confirmationis (quæ prærogativa pertinet ad potestatem ordinis, juxta Lainium et Petavium, supra p. 6 et 7), tum quatenus ordinare Episcopum ita est absolute Episcopi ut nec a Summo Pontifice possit simplex Sacerdos ad talem consecrationem delegari — Nihilominus errant: quia nullum in omnibus sæculis habetur exemplum commissionis quam dicunt posse fieri: Atqui si Christus hanc potestatem dedisset Ecclesiæ, hæc certe illâ potestate aliquandò usa fuisset, cum plures se offerrent occasiones, idque poscere videretur necessitas et animarum salus, maximè persecutionum temporibus, quibus Episcopi latebant in cryptis, aut rapiebantur ad necem; item ... in remotis regionibus, ubi nulli adhuc erant Episcopi, et in quas mitti non poterant sine magno discrimine et labore » (Wirc. de Ord. n. 136). Exemplum Chorepiscoporum, quod afferunt, non est ad rem, ut videbimus. — Nostra etiam sententia et jam communis est, et sola bene explicat Chrysost. et Hieron. (supra p. 141, 143), qui in solâ ordinatione (præcipuorum ministrorum Ecclesiæ) ponunt discrimen inter Episcopum et Presbyterum: quatenus scilicet hæc est sola functio; quam absolute nunquam possit facere Presbyter; cætera enim omnia, quorum Episcopus est minister ordinarius, possunt extraordinarie fieri a Presbytero, ut Confirmatio, et a fortiori variæ benedictiones quæ non sunt

Sacramenta. (Imo Confirmatio solet a Presbytero conferri apud Græcos, ex immemorabili consuetudine tolerata a Sede Apostolica, quæ sic tacite ac implicite potestatem dare censenda est).

An alios ordines infra sacerdotium possit conferre simplex Presbyter ex commissione Romani Pontificis, quæstio est multiplex, solvenda ex hoc principio generali: quod, si dantur exempla, admittendum est rem fieri posse. « Nam (ut arguit Vasquez l. cit.) Summum Pontificem errasse in re adeò gravi, qualis est administratio hujus Sacramenti, dici nullo modo potest. »

Jam verò de diaconatu magna est controversia. Graves auctores testantur se audivisse privilegium concessum Superioribus aliquorum ordinum religiosorum, ut omnes ordines, excepto sacerdotio, conferre possent: præsertim de abbatibus Cisterciensibus testatur Vasquez (l. cit.) cum aliis, se vidisse Bullam Innocentii VIII, a. 1489. Cf. De Augustinis thes. 8. de Ord. p. 125. — Reponunt alii, ut Hallier, s. 5. de Ministro Ord. c. 2. § 2, Lud. Habert, de Ord. c. 8., Wiec. n. 144, dubitari posse de genuinitate Bullæ; quidquid sit, S. Congregatio Conc. Tridentini declarasse anno 1592 eam fuisse mentem Innocentii dumtaxat, ut abbates Cistercienses cuilibet Antistiti Catholico rite promoto facultatem dare possent ordinandi monachos ipsis subditos absque Ordinarii consensu; nec aliter usos fuisse privilegio illos abbates, quantum sciri potest. — At Berti (de Theolog. disciplinis, l. 36. c. 13. n. 4) non solum testatur et ipse, se in duplici collectione vidisse Bullam Innocentii VIII, sed addit, Generalem Cisterciensium anno 1662 ordinasse monachos suos diaconos Romæ, sciente et consentiente Alexandro VII, et anno 1663 ordinationes similes fecisse Gandavi. — Quæ facta si vera sunt, « dubium videtur satis

sublatum esse (ait P. Lehmkuhl n.593). Verum quum non satis constet, authenticam esse hanc relationem, quæstio sub lite posita manet. Cf. J. Wex., Ariadne ... p.3 tr. 3. controv. 2.»

De subdiaconatu res est clarior: nam præter præcedentia facta, sunt alia specialia et indubia, cf. Wirc. n.145.

De minoribus ordinibus et tonsura res est certissima. Ea suis subditis conferre licet Abbatibus etiam post Tridentinum, cf. sess. 23. c. 10. de Reformatione. Cf. Wirc. ibid.

Quæ commissio a Romano Pontifice quomodo dari possit, facillime intelligitur in sententia asserente quod minores ordines, imo subdiaconatus, sint institutionis ecclesiasticæ. Sed etiamsi ageretur de ordine alicujus juris divini, adhuc posset hoc facere Summus Pontifex ex speciali potestate sibi concessa a Christo: quam ei concessam fuisse declararet ipse usus, sicut v.g. pro Confirmatione administranda a Presbytero ex commissione Romani Pontificis. Cf. Wirc. n. 146; Lehmkuhl. ibid.

Scholion II. Principia ad solvendas difficultates

1°) In his rebus moralibus et positivis quæ pendent unice a voluntate Dei instituentis nihil valent argumenta a priori, vel e rebus physicis deducta (v.g. «Omnis forma, quæ est in actu potest se communicare in eadem specie, sicut ignis producit ignem: ergo habens presbyteratum potest hunc communicare alteri»); vel quæ ex una institutione positiva ad aliam concludunt a pari vel a fortiori (v.g. «Episcopus potest ordinare Episcopum: ergo et presbiter presbyterum»; vel: «Cui potest majus, potest etiam minus: atqui Eucharistiam consecrare est majus, quam ordinare: ergo presbyter potest a fortiori ordinare» Cf. Wirc n. 142, 135, 131.

2°). In ministrorum Ecclesiæ « ordinatione » (quæ vox sumi potest strictius pro solâ consecratione personæ, vel latius, cf. supra p. 109), tria valde diversa contingere possunt: electio, ordinatio stricte dicta seu consecratio, missio. a) Electio seu promotio, nihil aliud est quam designatio personæ idoneæ ad ecclesiasticam functionem; fieri potest (saltem partialiter) ab eo qui neque habet potestatem ordinandi personam, neque habet jurisdictionem quam ipsi communicet; imo à laïco. Sic Act. VI. 3, 5, Apostoli electionem diaconorum concedunt multitudini fidelium: nempe ut tanto melius sedarent murmur (ibid. v. 1), si populo relinquerent electionem. Sed electos ordinarunt soli Apostoli (ibid. v. 6). — b) Ordinatio (stricte dicta) est ritus sacer, quo persona, postquam ex electione constat de ejus idoneitate, consecratur, et accipit potestatem ordinis. — c) Missio est actus non necessario concomitans ordinationem, quo Superior designat subditos, seu confert potestatem jurisdictionis (cf. thes. III). — Wirc. n. 132.

Jam verò potestas « ordinandi », quam Conc. Nicænum I. concedit presbyteris iis, qui Meletii schismatici non adhæserant, intelligenda est de sola potestate electionis, seu jure suffragii. Nam vox græca προχειρίζεσθαι non ea est, quæ consecrationem personæ designare solet, sed potiùs significat « promovere, eligere ». Et Concilium sane concedit presbyteris non-schismaticis illud idem jus, quod in proximam negabat aliis: atqui aliis negabat jus suffragii, ut appareat contextu Epistolæ synodicæ (Labbe. t. 2. p. 251): ergo. — Wirc. n. 133.

Pariter apud Cassianum Collat. 2. c. 1., Paphnutius presbyter Danielem subditum « presbyterii honore provexit », scil. elegit tanquam dignum presbyteratu, idoneum judicavit, promovit, offerens Episcopo ut ordinaretur, non ipse ordinans.

3°) Presbyteri, qui ordinationibus adsunt, ipsi manus imponunt ordinandis ad presbyteratum, ex antiqua Ecclesiæ praxi; sed impositione mere cæremoniali, non sacramentali; impositione, quæ solum significat consensum Ecclesiæ in ordinationem electi, et fraternitatem quam cum neo-presbyteris ineunt ceteri; nihil autem producit, nec propriè ordinat seu consecrat personam. — Quod sic probatur: a) Ritus ille non est essentialis, sed cæremonia superaddita. Nam vg. Concil. Hispalense III. (anno 619) cap. 6 (Labbe, t. 6. p. 1669) dicit „Episcopus sacerdotibus et ministris solus honorem dare potest," scil. eos ordinare sine alterius concursu. Negat in illo Concilio, aut Sacramentaris aut Rituali (ut notat Bianchi, Politia della Chiesa, l. 1. c. 2. § 11.) proscriptum reperitur, quòd debeant necessariò intervenire aliquot presbyteri simul cum Episcopo ad imponendas manus, sicut omnes dicunt ordinationem fieri debere ab Episcopo; hoc solum in eis legitur, presbyteros, qui forte adsunt, quandò Episcopus ordinat, debere vel „manus, seu iuxta manus Episcopi super caput ejus (qui ordinatur) tenere" (ita Conc. Carthagin. IV. can. 3), vel simul cum Episcopo eum tangere (Constit. Ecclesiæ Alexandr. c. 7), vel tenere manus super humeros ejus (ita antiqui Rituales apud Martene, t. 2. l. 1. c. 8. n. VI), vel, postquam Episcopus manus ei imposuit, non simul, sed successivè ebipsi idem facere (ita Pontificale romanum). — b) Hæc ipsa tanta varietas confirmat, nihil hic haberi nisi cæremoniam accidentalem. — c) Illud, quod propriè dicitur „impositio manuum" seu „ordinatio", est proprium solius Episcopi, juxta traditionem: cf. arg. thesis. — d) Presbyteri tunc manus imponunt, sed nullum verbum proferunt: atqui omne sacramentum constat actione tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, et idem minister debet utrumque ponere: ergo ipsi non sunt ibi ministri alicujus sacramenti seu consecrationis.

« Impositio manuum presbyterii », I Tim. IV. 14. (cf. supra, p. 16) eodem modo facilè explicaretur, si vox « presbyterium » hic significaret cœtum simplicium presbyterorum (ut v.g. apud Origenem supra, p. 23). Nulla esset difficultas; nam textus parallelus, II Tim. I. 6. ait: « per impositionem manuum mearum »: unde ipse Paulus, episcopali potestate, ordinavit Timotheum; et id potuit fieri « cum impositione manuum » presbyterorum adstantium: 1a impositio fuit sacramentalis, 2a fuisset cæremonialis.

Cæterùm alia interpretatio est probabilior. « Presbyterium » sonat senatum Ecclesiæ, ac proinde tam benè aliquem cœtum Episcoporum quam cœtum presbyterorum significare potest: eò magis, quod in primis temporibus vox « presbyter » sumi solebat latiùs ac genericè, et applicari Episcopis non minùs quam presbyteris specificè dictis, ut videbimus. — Ex aliâ parte, videtur hic agi de ordinatione Timothei non ad presbyteratum, sed ad Episcopatum, quoniam Episcopatûs munera ei inculcantur, in contextu. Atqui in historiâ nullum vestigium est, quod unquam simplices presbyteri intervenerint in consecratione Episcopi ad imponendas ei manus: dùm e contra antiquissimus et ordinarius modus ordinandi Episcopum est, ut plures sint Episcopi consecratores. Ergò videtur hic designari cœtus Episcoporum cum Paulo consecrantium Timotheum, proinde « impositio manuum presbyterii » hic esset sacramentalis, non merè cæremonialis; et sic eam intelligit (cum Theodoret., Ecumen., Theophylacto) S. Chrysost. dicens (hom. 13. n. 1.): « Non de presbyteris hic loquitur, sed de episcopis; neque enim presbyteri episcopum ordinabant. »

4°) Textus græcus qualem habemus 13ii canonis Concilii Ancyrani (anno 314) est dubius, cùm manuscripta, neque inter se, nec cum antiquis versionibus concordent. Utique significare potest: « Presbyteri

civitatis non possunt sine licentiâ Episcopi ordinare presbyteros et diaconos", quod supponeret in meris presbyteris potestatem ordinis quam negamus. Sed sensu plane diverso intelligunt hunc canonem antiqui translatores. Nam a) Isidorus vertit: „Sed nec presbyteris civitatis (licet) sine Episcopi præcepto amplius aliquid imperare, vel sine auctoritate litterarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere": ubi de ordinatione non est quæstio. — b) Idem ferè habes in antiquissimo romano ms. canonum, qui dicitur „Codex Canonum" (apud Migne, Patr. lat. LVI. 138. n. XIV). — c) Item Fulgentius Ferrandus, diaconus Carthag. sæculo VI, in suâ „Breviatione canonum", sic vertit: „At presbyteri civitatis sine jussu Episcopi nihil jubeant", etc. — Aliam præterea græci textûs lectionem, cum nostra thesi pariter conciliabilem, ex mss. dedit Routh (apud Hefele, Histoire des Conciles, t. I. p. 207).

5°) Philostorgius in Eclogis l. 2. c. 5 narrat, clericos e Cappadocia tempore Valeriani imperatoris, in captivitatem abductos à Scythis, convectisse multos ex barbara gente Gothorum, et christianismum ibi permansisse sine ullo Episcopo circiter 70 annos, ut concludere licet, siquidem ait primum Gothorum Episcopum fuisse Ulphilam, qui ex illâ regione missus in legationem tempore Constantini, ab Eusebio ejusque asseclis (Arianis scilicet Episcopis) ordinatus est. — Ergo (objiciunt) clerici illi captivi, inter quos nullus erat Episcopus, ordinationes facere debuerunt (Objectionem istam, et assertiones Philostorgii male referunt Wirc. n. 137, et S. de Augustinis).

Resp. cum Natali Alexandro (in 4m sæcul. diss. 44 n. 28): „Nego conseq... Etenim licet Ecclesiæ à Presbyteris fundari possint, ... licet ab iisdem possint aliquo temporis intervallo administrari, sicut Japoniorum et Sinarum Ecclesiæ fundatæ sunt et diù gubernatæ absque Episcopis, ... a solis missionariis apostolicis, ... qui tamen Ordinationum celebrandarum potestatem

nusquam sibi arrogarunt: ita Gothorum Ecclesiæ ...; nec inde sequitur, Clericos illos ordinationum sacrarum potestatem habuisse."

Deinde adversariorum argumentum nititur in hac assertione Philostorgii, quod Ulphilas fuerit primus Gothorum episcopus. At Socrates l. 2 c. 41. narrat quod Ulphilas, antequam deficeret ad arianismum, fidem catholicam professus erat, "secutus Theophilum, qui cum Gothorum esset Episcopus, Nicæno Concilio præsens subscripserat". Item Socrates, Sozomenus et Theodoretus ponunt sub Valente legationem illam Ulphilæ, quam Philostorgius ponit sub Constantino. Deserendus ergo Philostorgius, utpote hic contradicens aliis historicis. Cur autem finxerit, Ulphilam fuisse primum Episcopum? Fortasse quia, cum ipse arianus esset, commendare voluit magis Ulphilam (quo duce decepta Gothorum gens transiit ad arianismum), ejusque prædecessores catholicos dissimulare, originemque Gothici episcopatus Arianis tribuere.

Aliæ similes historiæ pariter non concludunt. Cf. Natalem Alex., l. cit.

Appendix de Chorepiscopis.

Una ex præcipuis difficultatibus, a Presbyterianis aliisque allata, hæc est:

"Chorepiscopi, quoad potestatem ordinis, erant simplices presbyteri. — Atqui tamen, juxta Concilia etc., aliquando supponitur in eis potestas ordinandi etiam presbyteros. — Ergo."

Resp. Dist. Maj.: Nomen "chorepiscopi" fuit datum aliquando simplicibus presbyteris, Transeat semper; Nego. — Et contradist. Min.: supponitur potestas ordinandi in illis Chorepiscopis, qui revera habebant characterem episcopalem, Conc.; in illis qui fortasse fuerunt simplices presbyteri, Nego, et hoc adversarii non probant.

Quòd nomen "Chorepiscopi" daretur saltem aliquando hominibus revera consecratis episcopis, evidens est v. g. ex Concilio Antiocheno (anno 332, vel circiter) can. 10 (apud Mansi, Concil. II. 1311). "Ii, qui sunt in vicis et pagis vel dicti chorepiscopi, quamvis episcoporum consecrationem Χειροθεσίαν ἐπισκόπων accaperint" (illud quamvis, εἰ καί, nequit intelligi nisi intelligatur, eos episcopalem consecrationem accepisse) "placuit S. Synodo ut modum suum sciant, et sibi subjectas ecclesias administrent, earumque curâ et sollicitudine gerendâ contenti sint. Constituant autem lectores, hypodiaconos et exorcistas, et eorum promotionem sufficere existiment; nec presbyterum nec diaconum ordinare audeant absque urbis episcopo, cui subjicitur ipse et pagus." Supponuntur ergò Chorepiscopi aliquandò posse ordinare presbyteros, cum licentiâ Episcopi urbis: sed quid mirum? Supponuntur etiam "episcopalem consecrationem accepisse." — Item ex Conc. oecum. Niceno (an. 325) can. 8 (cf. Hefele hist. des Conc. t. I. p. 398), ubi episcopis Novatianis ab haeresi redeuntibus offertur, pro judicio Episcopi loci, vel honor episcopalis, vel "Chorepiscopi aut presbyteri locus." — Ergò locus "chorepiscopi" occupabatur saltem aliquandò ab iis qui consecrati fuerant episcopi.

Haec ad dilucidandam difficultatem ferè sufficiunt. Sed quoniam haec quaestio plura tangit, nec parum difficilis est, juvabit breviter perlustrare ipsam quaestionem historicam de Chorepiscopis: quae potest explicari secundùm duplicem sententiam probabilem.

Utraque sententia convenit in eo quòd a) "chorepiscopatus" non fuit ordo sacer institutus

à Deo intermedius inter Episcopatum et presbyteratum habens diversam ab utroque potestatem ordinis; sed fuit gradus aliquis intermedius jurisdictionis tantùm; – b) neque fuit gradus jurisdictionis institutus jure divino; tum quia nullum vestigium apparet talis rei ante initium saeculi IV^i, et de "chorepiscopis" prima documenta inveniuntur in Conciliis ante citatis (Nicaeno I et Antiocheno) et paulò ante in Ancyrano (anno 314); tum quia pluribus jam saeculis exstinctus est ponitùs in Ecclesiâ ille gradus specialis, quod fieri non potuisset si fuisset juris divini; – c) quòd "chorepiscopus" etymologicè significat "episcopum ruralem" (χώρα, rus, regio), et solet opponi "Episcopo urbis" vel "Episcopo" simpliciter; – d) quòd titulus ille datus est saltem aliquandò iis qui erant verè episcopi quoad potestatem ordinis. His communiter admissis,

1ª Sententia contendit Chorepiscopos fuisse per se et vi suae institutionis, simplices presbyteros quoad ordinem, adauctos tamen aliquo jurisdictionis episcopalis privilegio, ita ut in regendis vicis et pagis vices Episcoporum agerent; insuper ex Ecclesiae commissione ordinantes ad subdiaconatum generaliter et ad ordines minores, sicut facere possunt et hodiè simplices Presbyteri cum privilegio. Pariter ex privilegio subscribebant Conciliis oecumenicis, ut apparet ex subscriptionibus chorepiscoporum in Conc. Nicaeno et Ephesino. – Conceditur quidem, functionem Chorepiscopi datam fuisse aliquandò hominibus qui consecrationem episcopalem recepissent, sede carentes, vacantes, redeuntes ex schismate, &c.: sed hoc per accidens. Conceditur

etiam ab aliquibus hujus sententiæ patronis, Chorepiscopi officium generatim datum fuisse non per simplicem injunctionem seu delegationem Episcopi (sicut nunc creantur vicarii generales), sed per quamdam ordinationem seu ritum sacrum, nam v. g. Conc. oecum. Chalcedonense ait can. 2 (Hefele, Conc., t. 3. p. 101): « Si quis ordinaverit per pecunias Episcopum, aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum ... ». At ordinatio illa specialis Chorepiscoporum, si distinguebatur ab ordinatione presbyterali, erat quidam ritus institutus ab Ecclesiâ, quædam impositio manuum merè cæremonialis; et notanda est magna diversitas hanc inter et consecrationem episcopalem, ad quam tres Episcopi requiruntur et requirebantur antiquitus; e contra ex quibusdam documentis apparet, jus ecclesiasticum fuisse ut unus Episcopus ordinaret chorepiscopum, v. g. ex S. Isidoro, de ecclesiast. officiis l. 2. c. 6: « Chorepiscopi ... à solo episcopo civitatis, cui adjacent, ordinantur. » — Hanc sententiam, inter alios, fusiùs defendunt Petrus de Marca gallicanus (Concordia, l. 2. c. 13), dominicani Natalis Alexander (in Append. ad Dissert. supra cit.) et Drouvenius (de re sacramentaria, l. 8 in fine), duoque ex Oratorio eruditi viri Thomassin (vetus et nova Eccl. disciplina, p. I, l. 2. c. 1 § 2) et Juenin (de sacramentis diss. 9. q. 2.); et post eos, Benedictus XIV (de Synodo dioec., l. 3. c. 3, n. 6), juxta quem hæc est « communior magisque recepta opinio. »

2ª Sententia contendit, Chorepiscopos fuisse veros Episcopos, quorum jurisdictio fuit restricta, subjiciendo eos Episcopo urbis. Ita Peta-

vius (Notæ in Epiphanium, apud Migne, Patr. gr. XLII. 1045; et de eccles. hier. l. 2. c. 11 § 12); Anglicani ut Hammond, Beveridge, Bingham (Origines eccles., l. 2. c. 14); ex Catholicis nostrâ ætate in Germaniâ aliqui ut Phillips (Du droit eccl. dans ses principes, trad. de l'abbé Crouzet, t. 2, § LXXIV), Binterim, &c.; in Galliâ Dom Chamard (les Eglises du monde romain, ch. 6e), &c. - Hæc sententia nobis videtur probabilior. Nam:

a) melius consonat ipsi nomini "Chorepiscoporum": sed præsertim:

b) Facilius explicat originem Chorepiscoporum. Neque enim recurrit ad aliquam ab ecclesiâ factam creationem seu positivam institutionem novi gradûs in sæculo 3° vel 4°, quam (si fuisset) nullum vestigium in historiâ reliquisse, prorsum est probabile. Imititur aliundè existentiæ certæ antecedenti multarum sedium episcopalium in pagis et vicis, ita ut illi episcopi non distinguerentur priùs potestate suâ ab Episcopis urbium, sed tantùm postea (neque tunc ipsis detractus est character episcopalis). - Cf. D. Chamard, qui ait inter alia: "S. Aug. (de Bapt. c. Donatistas, l. 3. c. 4-9, l. 8, c. 1-48) et Zonaras (Mansi, Conc. I. 973) nous ont conservé les actes et les souscriptions du concile de Carthage, de l'an 256. Or bien qu'un grand nombre de prélats qui y figurent ne fussent préposés qu'à des vici et à des pagi, il n'y a entre eux et les évêques des cités aucune différence marquée. On doit en dire autant des évêques des vici dont nous avons constaté l'existence en Italie. Ils signent dans les conciles comme les autres évêques... Eusèbe, dans son hist. eccl. (VII. 30) n'établit pas de distinction entre les évêques des cités et ceux des campagnes. Parlant des évêques que Paul de Samosate

entraîna dans son erreur, il les appelle évêques des villes et des campagnes voisines d'Antioche." — Quando igitur primum facta est distinctio? In Conciliis quæ supra citavimus (4° seculo); tardius verò in Occidente, ex imitatione et auctoritate Conciliorum celebratorum in Oriente. Quid autem fecerunt illa Concilia? Restrinxerunt in Episcopis ruralibus jurisdictionem atque usum licitum potestatis ordinis: nihil aliud. Id fecerunt sive propter abusus, et majorem unitatem habendam, sive ex imitatione administrationis civilis: quemadmodum eadem Concilia Episcopos urbium ipsos subjecerunt multùm Metropolitano." Au IVe siècle, et en Orient surtout, la tendance générale des esprits était de calquer tous les pouvoirs de la hiérarchie ecclésiastique sur ceux de l'administration civile."

c) Faciliùs explicat, et sine gratuitâ suppositione multorum privilegiorum cur Chorepiscopi cum Episcopis subscriberent Conciliis; cur ordinarent subdiaconos &c. cur non simplici delegatione fierent Chorepiscopi, sed "ordinatione" seu "impositione manuum", quæ apparet diversa fuisse à presbyterali; cur in antiquis Ritualibus nullum sit vestigium ritûs specialis ad ordinandos Chorepiscopos, siquidem ipsa erat consecratio episcopalis.

d) Faciliùs explicat textus in quibus dicitur, Chorepiscopos posse ordinare etiam presbyteros, cum licentiâ Episcopi urbis. Nam hoc videtur dici generaliter; adversarii paulò detortiùs hoc explicant de quibusdam tantùm Chorepiscopis quos per accidens fuisse Episcopos admittunt. — Imò quidam ex adversariis inde devenerunt ad opinionem duram, alium-

de non fundatam, hodie rejectam, quòd possit ex privilegio presbyter ordinare presbyterum.

c) Argumenta alterius sententiæ benè solvit. Hæc tantùm sunt, eadem ab omnibus adversariis semper allata:

1°) « Illi non fuerunt veri Episcopi, qui non ordinabantur à tribus Episcopis ». - Resp. Ores episcopi, ex sententiâ multò meliori, non requirunatur nisi jure ecclesiastico, et ab uno consecratio esset valida: cf. probationem apud P. de Augustinis de Ord. thes. 8. - Dices cum Thomassino l. cit.: Sed nulla necessitas explicare potest istam generalem exceptionem à præcepto ecclesiastico, in casu Chorepiscoporum. Resp., præceptum illud ecclesiasticum unde constat? Ex iisdem Conciliis supra citatis, quæ Episcopos rurales Episcopis urbium subjecerunt: potuerunt igitur Concilia limitare præceptum suum ad solos Episcopos urbicos, quos simpliciter « Episcopos » appellant, nomine « Chorepiscoporum » jam aliis dato. Et hujus limitationis habetur ratio. « Cet état de subordination et de dépendance (ait Phillips l. cit.), qui faisait des chorévêques comme les vicaires généraux du pasteur diocésain, explique pourquoi celui-ci leur conférait seul l'ordination sans être assisté par d'autres évêques. Les prescriptions canoniques concernant la présence de 3 évêques ... se rapportaient seulement à la consécration des diocésains (Episcopi urbici). C'était là en effet un acte éminemment d'intérêt provincial, et rigoureusement tous les évêques co-provinciaux devaient y assister (Conc. œcum. Nic., can. 4: « Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in Provinciâ episcopis ordinari. Si autem difficile fuerit ...., tribus » Fc.); - tandis que l'ordination des chorévêques n'intéressaient exclusivement que le diocèse

Deinde nimis facile supponunt adversarii, illud jus ubique viguisse quo Chorepiscopus ab uno Episcopo ordinabatur. Cf. D. Chamard l.c. p. 199 (et præced.): « Ceux qui voulaient se mettre à l'abri des doutes et des objections, avaient soin de faire l'ordination avec le concours de 3 évêques. Ainsi agit, entre autres, Leidarde, archevêque de Lyon, pour l'ordination de son chorévêque et plus tard son successeur Agobard (Chronic. Adonis ad an. 804, Migne CXXIII. 134). Gauziolène évêque du Mans, fit de même pour l'ordination de son chorévêque Mérole (Dom Piolin, hist. de l'Eglise du Mans, t. II. p. 32). » – Imò in Concilio Antiocheno, cujus auctoritas invocatur in hâc re ab adversariis, dicitur quidem, Chorepiscopum ordinandum esse ab Episcopo urbis (quia quidam Chorepiscopi, ut se ab ejus subjectione magis subtraherent, aliunde ordinationem quærebant), non autem dicitur, à solo Episcopo urbis, quasi non adessent alii cum eo consecratores: cf. Petav. l. cit. in Epifob. (Migne 1050, 1051) et D. Chamard p. 177.

2°) « Constans est Patrum traditio Episcopos esse successores Apostolorum. At Chorepiscopi sunt tantum successores 70 discipulorum, ex antiquis documentis. Ergò. » Resp. Nego Min. Illud « tantùm successores » non habetur in Concilio Neocæsar. can. 14, ex quo desumpta est illa theoria, cæterùm priùs inaudita. Concilium illud (anno 314-325) simpliciter facit aliquam comparationem: Εἰσὶ μὲν ἐπὶ τύπον τῶν ἑβδομήκοντα (Hefélé t. I. p. 223): sive tandem intelligat 70 seniores Mosis, sive 72 discipulos à Christo missos. Comparatio autem in eo est, quòd Chorepiscopi essent, quoad jurisdictionem, Episcopis urbicis subjecti, ex jure ecclesiastico illius temporis quo Conc.

loquebatur. Et nota, in hoc ipso loco expressè distingui χωρεπίσκοπους à "presbyteris urbis" ἐπι τῶν πρεσβυτέρων: "Presbyteri urbis (ait litteraliter Conc.) in ecclesia civitatis (la cathédrale), presente Episcopo vel presbyteris urbis ipsius, offerre non possunt (Sacrificium)... Sed chorepiscopi sunti in figurâ septuaginta: ut comministri (συλλειτουργοί, quod eos esse collegas Episcopi indicat), et propter studium eorum erga pauperes, offerunt (Sacrificium) honorem recipientes." Ergò ex hoc textu novum potiùs argumentum est pro nobis.

3º). "Chorepiscopi erant in pagis. Atqui canones prohibuerunt, ne Episcopi in pagis constituerentur. Ergò non erant episcopi." – Resp. Dist. Min. dupliciter. – Canones quidam prohibuerunt ne novae sedes episcopales crearentur in pagis, Conc.: ne pagi qui antea habebant episcopos, eos retinerent. Nego. Ita Conc. Sardicense (an. 343), can. 6 (Mansi III. 10): "In aliquo vico vel parvâ urbe, cui vel unus presbyter sufficit... non oportet episcopum constitui, ne episcopi nomen et auctoritas vilipendatur. Attamen provinciae episcopi debent in iisdem urbibus parvis episcopum constituere, in quibus etiam priùs episcopi fuerunt. Si autem inveniatur urbs aliqua, quae adeò populosa evadat, ut ipsa episcopali digna judicetur, accipiat." – Item Dist.: Canones quidam postea simpliciter in pagis episcopos fieri prohibuerunt – priorem disciplinam mutando, et chorepiscopis substituendo aliam functionem, Conc.: principium illud, "episcopos in pagis nullatenùs esse debere", est antiquum. Nego. Ita Conc. Laodicense (anno 373) can. 57. (Mansi, II. 573): "Non oportet in vicis et pagis episcopos constitui, sed periodeutas (i.e. circumcursatores); eos autem qui priùs constituti fuerunt, nihil agere sine mente episcopi qui est in civitate." – Hinc etiam

novum pro nobis argumentum: "episcopi" dicentur illi, qui ante hanc prohibitionem erant constituti "in vicis et pagis" ἐν ταῖς κώμαις καὶ ἐν ταῖς χώραις: atqui constituti in vicis et pagis erant ipsimet chorepiscopi: ergo. — Hæc autem prohibitio incepit destructionem chorepiscoporum in Oriente, saltem in regionibus quibusdam Orientis (D. Chamard p. 175); in Occidente diutius permanserunt.

4°) Eandem adversarii proferunt Concilia particularia Galliæ sæculo IX, quæ nec infallibilia sunt, nec testimonium historicum idoneum afferunt de iis quæ pluribus sæculis antea fiebant, sed tantum repræsentant opinionem quæ ibi apud multos tunc temporis invaluit: addit tunc fabricatas fuisse falsas Decretales aliaque falsa documenta, quæ plures in errorem induxerunt. « Lorsque par l'avènement des Carlovingiens (dit D. Chamard, p. 204) le clergé eut acquis une influence considérable dans l'État, les plaintes contre les usurpations vraies ou prétendues des chorévêques s'élevèrent de toutes parts. Les clercs du palais, on ne sait pourquoi, se constituèrent leurs adversaires acharnés, et révoquèrent en doute la validité des ordinations faites par eux, prétendant qu'ils étaient dépourvus du caractère épiscopal. Les évêques des provinces de Reims, de Rouen, de Sens et de Tours, réunis à Paris en 829, adoptèrent cette opinion, et formulèrent contre les chorévêques des règles sévères, confirmées en 845 par le concile de Meaux... Cependant les théologiens de la cour carlovingienne étaient parvenus à faire intervenir même le pouvoir civil dans cette question de dogme et de discipline ecclésiastique. De là les divers capitulaires dont le diacre Benoît nous a donné le texte dans sa

compilation si peu digne de foi (Collectio Capitularium, auctore Benedicto Levita). Dans cette guerre à outrance contre les chorévêques, Hincmar de Reims se distingua, paraît-il, entre tous. Il écrivit au pape Léon IV une lettre violente contre tous les chorévêques en général; et il fit si bien que par son crédit le concile de Paris, en 849, décréta la déposition du chorévêque de Sens, Audrade, et l'abolition de l'institution même des chorévêques, ou du moins l'interdiction de toutes les fonctions quasi-épiscopales que ceux-ci avaient jusqu'alors exercées."

"Les auteurs des Décrétales et Capitulaires apocryphes (cit. Phillips l.c.) déclaraient avec une parfaite assurance que les chorévêques n'appartenaient ni de près ni de loin à l'épiscopat (Can. "Chorepiscopi", 5, D. 61; — Bened. Levita Capitular. l. 7. c. 360); que toute l'institution devait être condamnée en masse (Can. "chorepisc." cit.: "Nimis eorum institutio improba, nimis est prava") et que tous ceux qui en faisaient partie devaient être frappés de proscription et d'exil. (Bened. Levita, l. c.: "Omnes proscripti damnari et in exilium debuerunt"). Tel est le langage que l'on mettait dans la bouche de Damase, de Jean III, et particulièrement de Léon III, ainsi que de Charlemagne, lequel était censé avoir reproduit en de pareils termes la réponse qu'il avait reçue de Léon ... C'est avec aussi peu de fondement qu'on produit une prétendue lettre adressée par Léon Ier aux évêques de Gaule et de Germanie, où ce pape se serait prononcé contre les chorévêques (can. "Quamvis", 4, d. 68)"

Nihil omnino eo tempore non potuit sententia illa fieri communis, et miseri Chorepiscopi suos habuere defensores. Doctissimus archiepiscopus

Moguntinus, Rhabanus Maurus, nostram propugnavit sententiam et argumenta adversariorum profligavit in opusculo de Chorepiscopis (Migne, CX. 1195). – Imò Papa Nicolaus I epistolam scripsit quæ non parùm torquet nostros adversarios, epist. CC ad Rodulfum archiep. Bituric. (Migne CXIX. 884): " A Chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes presbyterorum et diaconorum effectas; quos quidam episcoporum deponunt, quidam verò denuò consecrant. Nos verò dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes. Ad formam enim septuaginta chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet episcoporum habuisse officia?" – " Ces deux documents (ait Phillips ib.) seraient déjà plus que suffisants pour rendre au moins suspecte l'authenticité de la lettre de Léon III". – De 70 vel 72 discipulis Christi admittitur quidem non omnes postea episcopos fuisse, sed quosdam secundi ordinis sacerdotes, quosdam diaconos tantùm. At quidquid sit de argumento illo Nicolai Papæ, et de ejus opinione circa illam secundariam quæstionem (ubi voluit refellere aliquod adversariorum argumentum, tunc maximè prolatum), mens ejus circa Chorepiscopos clara est. – Aliqui audaciores ex adversariis, ut Thomassinus, rejicere voluerunt epistolam hanc Nicolai ut apocryphan, sed sine argumento solido, ex merâ exigentiâ sui systematis; nos autem dum vicissim apocrypha dicimus summorum Pontificum documenta huic epistolæ contradicentia, habemus nobiscum omnes recentiores criticos, qui agnoscunt, ab adversariis Chorepiscoporum fabricata esse multa documenta, ut sunt certè epistolæ Damasi et Leonis Magni

contra Chorepiscopos. Imò juxta accuratissimas Criticæ investigationes, eodem tempore (medio sæculo IX°) et in eodem regno Francorum (imò, juxta multos, ab eodem Benedicto Levita) confecta est collectio quæ vocari solet "Falsæ Decretales" vel "Pseudo-Isidorus": quæ notissima est ut præcipuum in totâ juris canonici historiâ exemplum falsificationis.

Thesis VI

Episcopis, initio Ecclesiæ, aliquando datum est nomen presbyterorum, — 2) quæ appellatio non inducebat necessariò confusionem; — 3) presbyteris vero simplicibus nunquam commune fuit nomen episcoporum, saltem probabilius.

St. Q. Presbyteriani, aliique adversarii thesis præcedentis, multùm arguerunt ex identitate nominum ad identitatem munerum. Quare necessaria est thesis præsens ad præcedentem complendam, explicandam, meliùsque defendendam: post quæstionem de re, venit quæstio de nomine.

1a pars est certa. "Nec ullus ambigit (ait Petavius de eccles. hier. l. 1. c. 12. n. 17) quin eadem appellatio (presbyteri) Episcopis olim attributa sit." — "Quamvis certum sit (ait Franzelin, de Eccl. Thes. 16) tres gradus Episcoporum, presbyterorum, ministrorum divinâ ordinatione ac proinde etiam tempore jam Apostolico fuisse distinctos, concedendum est tamen sine dubio, antiquissimâ illâ ætate etiam Episcopis quandoque factum fuisse nomen presbyterorum."

Probatur 1ª pars.

1:) Ex usu Scripturæ.

Act. XX. 17, 28, Paulus "a Mileto mittens Ephesum, vocavit majores natu ecclesiæ" (seu presbyteros ecclesiæ, in textu gr. τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας); qui cùm venissent ad eum et simul essent, dixit eis: . . . Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo." – Vocantur "presbyteri": Atqui tamen hic agitur, saltem directè et præcipuè de summis sacerdotibus seu sacerdotibus primi ordinis, quorum distinctionem ab aliis probavimus in thesi præcedente: nam a) munus quod hic describitur est summum quod possit esse in Ecclesia, "attendere universo gregi", – "regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo"; b) nec deest nomen "episcoporum", quod nomen jam in antiquis Patribus videmus reservatum summo sacerdoti, v.g. apud Ignatium passim, apud Tertull. (supra p. 22): "Summus sacerdos, qui est Episcopus" – &c.; c) Conc. Trid. s. 23, c. 4. disertè locum hunc de Episcopis in oppositione ad presbyteros interpretatur: quod excludit omne dubium et controversiam inter catholicos, ut advertit Franzelin l. cit.

Petrus pariter (cf. supra p. 57) "presbyteros" exhortatur "ipse compresbyter", ut "pascant gregem Dei"; non "ut dominantes in cleris" (cf. supra p. 77) &c. – Vocat eos "presbyteros" atqui tamen agitur, saltem directè et præcipuè de sacerdotibus primi ordinis, tùm ex parallelismo cum præcedente loco Pauli, tùm ex amplitudine muneris quod describitur, tùm quia ipse Petrus, qui certè erat primi ordinis sacerdos, se dicit horum collegam et com-

presbyterum (συμπρεσβύτερος), &c.

Tit. I. 5, segg.: "Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates presbyteros..: si quis sine crimine est, unius uxoris vir, &c... Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem", &c. - Ex ipsâ connexione sententiarum, apparet quod illi "presbyteri" quos debebat constituere Titus in civitatibus magnæ illius insulæ erant Episcopi, quorum necessarias dotes hic enumerat sicut et I. Tim. III. - Et sic intelligunt Patres, v.g. Chrysost. hom. 2. in Tit., n. 1: "Constituas per civitates, inquit: neque enim volebat totam insulam uni committi, sed unumquemque suam peculiarem curam et sollicitudinem habere... ut uni soli Ecclesiæ vacaret et hanc excoleret."

2°) Ex usu aliquorum Patrum.

S. Irenæus ipsos Romanos Pontifices vocat "presbyteros", ad Victorem Papam scribens de diversitate celebrandi Paschatis (apud Eusel. hist. eccl. v. 24, Migne XX. 506): "Sed et presbyteri illi qui, ante Soterem, Ecclesiam cui tu nunc præes, gubernarunt: Anicetum dico, et Pium, et Hyginum cum Telesphoro et Xysto, neque ipsi unquam observarunt (Asiaticum modum celebrandi paschatis)... cùm Anicetus eorum qui antè se fuerant presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret." - Sæpè "presbyterorum" nomen dat Episcopis, v. g. l. cit. supra p. 61: "Eis qui in Ecclesiâ sunt presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis,... qui cum Episcopatus successione" &c.

Papias, in Fragmentis quæ supersunt, "presbyteros" vocat, generico nomine, omnes Majores à quibus traditionem quærebat, discipulos Apostolorum ipsosque Apostolos: cf. textus citatos ab Eusebio, hist. eccl. l. 3. c. 39 (Migne XX. 295).

Imò in ipso saeculo IV et V°, aliqua supererant vestigia illius acceptionis: nam S Chrysostomus, hom. in cap. 1. ad Philipp., testatur usum sui temporis, dicens: "Etiam hodie multi Episcopi ita scribunt: "compresbytero et comministro" (scribentes ad suos collegas Episcopos)

Probatur 2ª pars.

Non inducitur necessariò confusio, si nomen generis, etsi plerumque datum speciei infimae, tamen usurpatur aliquandò loco nomine speciei nobilioris.

Atqui "presbyter" erat prius nomen genericum, respectu "Episcopi" speciei nobilioris. Ergò potuit sine confusione designare aliquandò Episcopos, etsi plerumque designaret sacerdotes inferiores.

Probo Maj. Est modus loquendi usitatus in omnibus linguis, quòd species, etiam nobilior, designetur aliquandò nomine generis. - Ut exemplum in materiâ simili queramus, "clericus" est nomen genericum omnium ordinum, etiam diaconorum &c.: tamen aliquandò usurpatur loco speciebus nobilioribus, v.g. ubi S. Hieronymus ait (supra p. 23): "Clerici ... Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt", &c. - Et hoc valet, etiamsi nomen generis soleat dari speciei infimae: v.g. clerici potius solent intelligi ministri inferiores. - Aliud exemplum: Angelus est nomen genericum, quod tamen reservatur choro infimo hierarchiae Angelicae, quia saepè fit ut species infima non habeat aliud nomen nisi nomen generis: nihilominùs dicetur "Angelus Gabriel", quamvis Gabriel non Angelus specificè, sed Archangelus sit. Itaque eadem vox "Angelus" modò α) totam extensionem generis,

modò b) aliquem de classe infima, modò etiam aliquando c) aliquem de classe superiore, significabit: ex contextu solo res discerni potest: sed distinctio ex contextu rigorosè sufficit, ut confusio possit vitari, ut non inducatur necessariò et inevitabiliter. V.g. S. Irenaeus (supra p. 61) vocem confusam "presbyterorum" determinat ex contextu ad Episcopos significandos, dicens: "Quapropter presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis... qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum... acceperunt."

Probo Min. Vox πρεσβύτεροι nihil habet de se, quod significet potiùs sacerdotes inferioris ordinis, contradistinguendo eos à sacerdotibus superioris ordinis: imò de se, quandò fuit primùm applicata in N.T. significabat generatim præsules, principes, &c. et sic sub se debebat comprehendere etiam, imò principaliter, Episcopos. — Etenim vox illa, ex etymologia notissima, significat antecessionem ætatis: inde translata est ad significandam antecessionem dignitatis, et imperii. "Æquum est enim (ait Petavius de eccles. hier. l. 1. c. 12. n. 16), ut in honoribus ac dignitatibus mandandis grandiores natu junioribus præferantur; quòd ætas illa, propter consilii maturitatem, ad providendum et regendum naturâ sit aptior. Ex quo deinde factum (adverte hanc vocis tranformationem jam antiquissimam) ut πρέσβυς et πρεσβύτερος non tam ætatis, quam gravitatis et dignitatis esset vocabulum. — Aug. (in Ps. 70): "Πρεσβύτης, inquit, dicitur gravis, et γεραιὸς senex." — Hesychius: Πρεσβύται, οἱ ἔντιμοι; i.e. honorati..... Quod et ab Eustathio notatum ex Homero in vocabulo Πρεσβυτέην... Nec aliter senioris vox apud Latinos ab ætatis notione ad honoris

et dignitatis appellationem transiit: siquidem et inferiore sæculo latine "seniorem" vocabant dominum et principem suum, vel eum cujus erant in potestate ac jurisdictione: et vox inde apud Francos et Italos aliosque tralatitia, Seigneur, et Signore. Ita Gen. XXIV. 2: « Senior domus (abrahami), qui præerat omnibus quæ possidebat » (apud 70: τῷ πρεσβυτέρῳ τῆς οἰκίας αὐτοῦ τῷ ἄρχοντι τῶν αὐτοῦ πάντων.) » Hæc Petavius. — Quare vocem Πρεσβυτερος maxime ex græca translatione Veteris Testamenti (a 70 interpretibus) mutuari debuerunt Apostoli et Evangelistæ: ubi respondet voci hebraïcæ זָקֵן, quæ et ipsa primum senectutem, deinde principatum significavit ut apparet ex multis Scripturæ locis, v.g. Genes L. 7: « Senes domus Pharaonis », et] Judic. XI. 5 (ubi « majores natu Galaad » dicuntur iidem qui statim postea v. 8 dicuntur « principes Galaad »), Deut. XIX, 12, XXI, 3 etc. Unde admonet S. Hieron. in Isaiam 3, « in Scripturis Sanctis presbyteros merito et sapientia elegi, non ætate ». Pariter sine ullo ætatis respectu, munus quoddam et dignitas significabatur voce latinâ « senator » (quæ venit à "senex"), et voce anglicâ « alderman », ut notat Bingham (Orig. eccles, l. 2. c. 19)

Ergo « presbyter » est, vel saltem fuit, vox generica. Ergo. Quamvis sæpius designaret sacerdotes secundi ordinis, qui non habebant nomen speciale sicut Episcopi sed recipiebant, ut sæpè fit, nomen generis, tamen potuit sine necessariâ confusione attribui aliquando ipsis Episcopis; nec talis attributis ullatenus supponit, eos, qui ita loquebantur, confudisse et identificasse utrumque ordinem, utramque speciem. —

Adde, tum factam esse illam attributionem, cùm ageretur de Episcopis absolutè in se, non autem comparativè ad secundum ordinem: ut patet exemplis allatis in 1ª parte. Quando verò erat aliqua ratio, ut compararentur inter se et contradistinguerentur duo illi gradus, tunc scriptores (iisdem temporibus).

vocabant Episcopos „Episcopos", et nomen "presbyteri" reservabant ordini inferiori. Sic idem Irenaeus, qui inter Patres maximè nobis objicitur, utique Episcopos absolutè solosque in se spectatos saepè vocat "presbyteros": attamen in lib. III. c. 14. n. 2. cùm occasio sit ei utrumque gradum contradistinguendi, expressè ait: "Convocatis episcopis et presbyteris", &c.

1) Aliquandò etiam, potuerunt duo superiores ordines conglobatim sumi sub nomine generico "presbyterorum", et opponi non inter se sed cum inferioribus ministris: quia tunc spectabantur praerogativae communes consecrandi Eucharistiam, remittendi peccata, ungendi aegrotos, etc.: quas diaconi non habent. Eo modo Clemens Alexandrinus alicubi (Strom. VII, 1) duos tantum ordines distinguit in Ecclesiâ, τὴν βελτιωτικὴν et τὴν ὑπερητικὴν εἰκόνα: qui inde concluderet Clementem negasse triplicem ordinem episcoporum, presbyterorum et diaconorum, duosque priores gradus identificasse, multùm falleretur, cf. clarissimum locum ejus citatum supra p. 137 — Nec aliter Philo Judaeus (de vita Mosis l. 3) enumerat duos ordines (δύο τάξεις) in sacerdotio Judaico, sacerdotes et ministros templi: alibi verò tres ordines, dum memorat summum sacerdotem. (Card. Hergenröther, hist. eccl. t. I, p. 185)

Dicimus in thesi illam designationem Episcoporum nomine « presbyterorum » non necessario et per se induxisse vel supposuisse in mentibus confusionem.

2) sed fatemur, per accidens potuisse inde confusionem apud aliquos enasci, et clariorem esse modum loquendi nostrum. Quare, jam eodem tempore, quo Irenaeus solebat ita vocare Episcopos, plures alii scriptores ecclesiastici, quantum novimus, a simili usu loquendi abstinuerunt. — V. g. S. Dionysius, Corinthiorum episcopus, saec. II, commemorat « episcopos » Atheniensium Publium et Quadratum; dicit de Dionysio Areopagita, quod « primus Atheniensis Ecclesiae

Ordine XXII. 2

episcopatum suscepit »; scribens ad ecclesiam Gortynensium, Philippum episcopum eorum prædicat; et sic de aliis: denique in epistolâ ad Romanos ait: « Quem morem beatus episcopus vester Soter non servavit solum, verùm etiam adauxit », ut refert Eusebius h. eccl. l. 4, c. 23 (Migne XX, 387); nusquam deprehenditur, eum Episcopis dedisse nomen « presbyterorum » — Alios vide citatos apud Pearson, Vindic. Ignat. p. 2, c. 13 (Migne, patr. gr. V, 411, seqq.). Et jam antea S. Ignatius M. episcopos unicè vocat "episcopos", et sæpe eos opponit « presbyteris » qui sub eis erant.

Corollarium. — Ergo falsum est quod asserunt Presbyteriani, ex nomine « presbyterorum », dato episcopis, inferri posse confusionem et identificationem graduum et munerum in unum, donec tandem in sequenti tempore et nomina et gradus separarentur humanâ institutione. Nam eodem tempore nomen « presbyterorum » Episcopis vel dabatur vel non dabatur secundum quod scriptor considerabat Episcopos vel absolute et sine oppositione ad gradum subsequentem, pro intento suo non curans de enumeratione graduum hierarchiæ (Sta Papias et fere semper Irenæus); vel comparative ad gradus inferiores, ex natura rei quam tractabat, ita Ignatius, de quo sagaciter hæc advertit Pearson (l. c. p. 419): « Optima ratio reddi potest, quare cum iis potius loqueretur Ignatius, qui presbyteri nomen non minùs quam episcopi distincte et proprie usurpabant, quam cum illis, qui nomen presbyteri aliquando episcopo tribuebant; quia rei ipsi quam tractabat convenientior multo fuit horum distincta quam illorum confusa istius vocis usurpatio. Confluebant ad eum in itinere ab ecclesiis Asiæ et episcopi, et presbyteri et diaconi complures ordine et munere et nomine et dignitate distincti: de suarum ecclesiarum statu eum certiorem faciebant; ad illorum ecclesias epistolas exarabat, sub martyris auctoritate et summi in Syria episcopi, monita iis dabat. Quod ei maxime necessarium

videbatur, praecipue inculcabat, ut ab haereticis et schismaticis caverent, ne illi latius adhuc serperent. Remedium huic malo maxime opportunum indicabat, ut clero suo omnes adhaererent et christianam unitatem colerent; omnesque cleri ordines sui loci dignitatem obtinerent. Crebro igitur ordines sacros distinguit et enumerat, et singulorum ordinum nonnullos jam suo officio fungentes nominat; haec autem recte fieri non potuerunt, nisi et ordinum nomina distincte enuntiarat.... Quis enim tres gradus enumerans, presbyteros et presbyteros et diaconos diceret? Quis presbyteros presbyteris subjectos esse debere doceret?.... »

3a Pars.

1° Et. qu. — Chrysostomus (hom. 1 in Philipp.) et Hieronymus (in Tit. I, 5) et postea aliqui scriptores ecclesiastici qui ab eis pendent (v.g. Theodoretus qui generatim Chrysostomum sequitur), aliquantulum tempus esse putaverunt initio Ecclesiae, quo nomina episcopi et presbyteri essent synonyma et promiscue pro iisdem personis adhibita.

Ne horum Patrum in hac re auctoritas pluris fiat quam par est, adverte a) ante eorum tempus, scilicet ante finem saeculi IV^i et initium V^i, nullum Patrem, nullum ecclesiasticum scriptorem afferri posse, qui opinionem istam de primordiali « confusione nominum » indicaverit. « Neque enim quemquam nos scimus (ait Pearson l.c., p. 434), neque viri docti, qui a nobis dissentiunt, adhuc quemquam nominarunt, qui idem ante eos affirmaverit. » — Adverte b) Epiphanium, qui paulo ante eos Patres scripsit de illa materia ex professo contra Aerium, contraria docuisse, et aliter explicasse apparentem quandam confusionem nominum in Scriptura; — c) eos ad istam opinionem adductos fuisse unice ut explicarent unum aut alterum textum Scripturae (qui melius aliter explicatur, ut videbimus), ubi in urbe

unâ videntur poni plures episcopi ; atqui tamen (arguebant Hieronymus et Chrysostomus), in unâ Ecclesiâ non est nisi unus proprie episcopus : ergo hic nomine « episcoporum » debent designari presbyteri Ecclesiæ : aliunde scimus nomine « presbyterorum » designatos fuisse episcopos (Cf. 1am p. thesis) : ergo tunc erat omnimoda confusio nominum. — Videbas eos meram facere hypothesim exegeticam, non se dare ut testes traditionis in illo facto asserendo (jam ab ipsis longiùs remoto), neque appellare ad antiquas historias. — d) Inter se non concordant quoad modum rei, sed abit in hypothesim quisque suam. — Chrysostomus admittit utrumque gradum utroque nomine promiscue fuisse donatum : quânam vero formulâ loquendi distingueretur uterque gradus (quem utique admittit etiam tum exstitisse, et de jure divino), non explicat. — De Hieronymo non constat, utrum hoc idem intelligat an potiùs existimet, per aliquod tempus exstitisse tantum unum gradum in plerisque Ecclesiis, illique gradui utrumque nomen promiscue datum esse. Nempe (ut alii Hieronymum explicant contra alios), Apostoli, ante schisma Corinthiacum, cum ipsi haberent et exercerent sacerdotium primi ordinis, plerumque in ecclesiis ordinabant sacerdotes secundi tantum ordinis, qui et presbyteri et episcopi promiscue dicebantur, et illorum presbyterorum collegio plerisque gubernabantur Ecclesiæ, quod mox occasionem dedit dissensionibus : exorto igitur Corinthiano schismate, Apostoli nacti sunt occasionem exsequendi tandem divinum Christi præceptum de creandis ubique pastoribus primi ordinis cùm id postularet necessitas, illisque pastoribus tunc reservatum est nomen "Episcopi". — Theodoretus habet planè diversum ab aliis systema : supponit utrumque nomen datum fuisse simul gradui inferiori, neutrum verò superiori (quem admittit semper simul exstitisse), ita ut aliunde gradus ambo clarè distinguerentur. Abi enim ad I. Tim. III :

"Eosdem olim vocabant presbyteros et episcopos: eos autem qui nunc vocantur episcopi, apostolos nominabant. Procedente autem tempore, apostolatûs nomen reliquerunt iis qui verè erant apostoli: episcopatûs autem appellationem iis qui olim appellabantur apostoli, imposuerunt. Ita Philippensium apostolus erat Epaphroditus: ita Cretensium Titus, et Asianorum Timotheus apostoli."

Ex iis explicationibus etiam appareret a) malè Presbyterianos et Calvinistas pro confusione ipsorum graduum adduxisse illos Patres: b) aliquam concipi posse initio Ecclesiæ confusionem nominum, quæ ita explicetur ut conciliari possit cum dogmate probato in thesi præced. duos gradus esse jure divino diversos. — A fortiori concipi posset, nomen "Episcopi", etsi semper reservatum per se et propriè sacerdotibus primi ordinis, tamen aliquandò per accidens fuisse extensum ad quosdam in aliquo loco presbyteros. Nonne videmus ipsum imperatorem Constantinum sè dixisse τῶν ἔξω ἐπίσκοπον ("l'évêque du dehors"), teste Eusebio in ejus Vitâ l. 4. c. 24 (Migne XX. 1171)? Imò in cujuscumque vocis extensione per accidens proprie non adest "confusio nominum": exceptio enim non destruit regulam; usurpatio extraordinaria vocis non tollit significationem ordinariam et propriam. Sic manet significatio propria tituli "Apostolorum", quamvis hoc nomen in ipsâ Scripturâ datum sit et Christo (Hebr. III. 1), et Epaphrodito Pauli discipulo (Philipp. II. 25), imò et mulieri, Juniæ (Rom. XVI. 7). Manet significatio propria "diaconorum", quamvis hoc nomen dátum sit (in textu græco) et Christo (Rom. XV. 8) et Apostolis (I Cor. III. 5; II Cor. III. 6). Nec aliter voces "episcopus, episcopatus" dictæ sunt de Christo (I. Petri II. 25) et de Juda proditore (Act. I. 20).

His igitur notatis, tanquam probabiliorem defendimus sententiam quæ et simplicior est, et conformior documentis antiquioribus, et magis vitat confusionem, et magis radicaliter argumenta Presbyterianorum convellit: — scilicet nomen "Episcopi" nunquam fuisse commune simplicibus presbyteris (transeat, ad quosdam fuisse extensum per accidens: sed saltem nunquam fuit promiscuè eis attributum). — Nostra sententia, præter quosdam Anglicanos, habet pro se Card. Franzelin (de Eccl. thes. 16), aliosque eruditos catholicos quos citat, Mamachi, Bolgeni, Zaccaria, E.

Probatur.

Si loca Scripturæ, ex quibus tota hæc quæstio orta est, commodè possumus explicare quin confugiamus ad hypothesim confusionis nominum, probabilius est, talem confusionem ne initio quidem extitisse.

Atqui possumus. — Ergò.

Probo Maj. Sclusis illis textibus quos explicabimus, minùs probabilis remanet in se ista confusio nominum initialis. Nam si extitisset difficiliùs intelligitur quomodò tam subitò tamque penitùs cessavisset in tam diversis Ecclesiis et locis. Jam ab initio sæculi II^i, ne vestigium quidem apparet similis confusionis in sermone." Hoc adeò apertè verum est (ait Pearson l. cit.), ut illi ipsi (eruditissimi ex Presbyterianis aliisque adversariis)... ne unum quidem locum ex omnibus illius sæculi (II^i) monumentis adhùc afferre potuerint, quo quispiam, qui presbyter tantùm esset... episcopus diceretur." Imò fatetur nullum invenire ipse Calvinista Dallæus (Daillé), ibi citatus. Abindè in eodem sæculo non desunt clara testimonia, "Episcopi" nomen adhibentia pro summo gradu distincto à presbyteris et diaconis: ita omnes Ignatii

epistolæ; ita vetustissima martyrii ejusdem Ignatii Acta; ita Clemens Alexandr. supra p. 137; ita Tertullianus in fine illius sæculi (supra p. 22): "...Summus sacerdos, qui est Episcopus; dehinc presbyteri et diaconi." — Et confirmatur iis quæ probavimus in 1a parte. Quia initio vox "presbyter" fuerat communis et generica, ideò episcopi aliquandò vocati sunt "presbyteri" et "compresbyteri" non tantùm in sæculo II, sed etiam multò postea. Ergò à pari si vox "episcopus" initio fuisset communis, si presbyteris promiscuè data, deberet postea hujus acceptionis aliquod apparere alicubi vestigium; saltem minùs probabile est, quòd fuerit ita communis sine ullo deinde vestigio.

Probo Min. Duo sunt loca Scripturæ, in quibus, ope ratiocinii, nomen "episcoporum" videri potest attributum simplicibus presbyteris (quia unius civitatis plures Episcopi videntur ibi commemorari, et aliunde scimus non fuisse in unâ civitate nisi unum Episcopum propriè dictum). Atqui uterque locus commodè explicari potest de veris episcopis, non de presbyteris, quod sic probo:

1us locus, Act. XX. 28: "Attendite... universo gregi, in quo vos Spiritos S. posuit episcopos", &c. — Qui dicuntur hic "episcopi", nullâ necessitate intelligendi sunt "simplices presbyteri pertinentes ad unam particularem Ecclesiam scil. Ephesinam", ut volunt adversarii; sed potiùs (accedentibus, si vis, presbyteris quibus directè non fit sermo) "Episcopus Ephesi cum Episcopis siciniarum civitatum, quæ ab Epheso aliquomodò dependebant." — Nostra interpretatio habet pro se a) auctoritatem S. Irenæi, qui in hac re est gravioris auctoritatis quam Hieronymus, Chrysost. et alii, tùm quia multò antiquior, Polycarpi Apostolorum discipuli auditor, tùm quia oriundus ex

illâ ipsâ regione Asiæ minoris, de quâ hic agitur. Quia it, l. III. c. 14. n. 2: "In Mileto convocatis Episcopis et presbyteris qui erant ab Epheso et à reliquis proximis civitatibus." – c) Habet pro se contextum ipsum (ib. 25, 31): quos nomine "episcoporum" alloquitur Apostolus, ii sunt ipsi, "per quos transivit" prædicans, "per triennium" monens unumquemque ipsorum: jam verò si ageretur de presbyteris unius solius urbis, vix intelligi posset illud "triennium" et ille "transitus" ad eos admonendos. – c) Habet pro se Tridentini interpretationem, ut diximus supra p. 165: quod dirimit quæstionem pro Catholicis, ut advertit Franzelin.

2us locus, Philipp. I. 1: "Paulus et Timotheus, servi J.-C., omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus." – "Episcopi" illi, in plurali, commodè possunt intelligi non presbyteri urbis, sed episcopus urbis Philipporum cum episcopis urbium vicinarum, aliquomodo dependentium à Philippis: a) ex analogiâ cum loco præcedente, Act. XX, in quo res similis videtur certa, Sicut Ephesus in Asiâ minore, ita Philippi in Macedonicâ erant prima urbs in qua Evangelium fuerat prædicatum, prima ecclesia ex quâ deinde aliæ ecclesiæ in eadem regione pullulaverant: hinc resultabat aliqua connexio, aliqua subordinatio tanquam filiarum ad matrem. – Ecclesiæ enim priùs fundatæ personaliter ab Apostolis (ut Ephesus, Philippi &c.) dicebantur "Apostolicæ", et ab eis ecclesiæ vicinæ et filiæ quærebant traditiones, ut fusiùs explicat Tertullianus, de Præscriptionibus c. 32 et præsertim c. 36 ubi ait: "Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem et repræsentantes faciem uniuscujusque."

cujusque, Proximè est tibi Achaia, habes Corinthum, Si non longè es à Macedoniâ, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est" &c. – c) Hinc omnes ecclesiæ vicinæ considerabantur tanquam una, et Episcopus ecclesiæ "apostolicæ" dicebatur eorum omnium Episcopus, ita Eusebius, l. III. c. 4, ait: "Titus insulæ Cretæ Ecclesiarum episcopus fuisse memoratur": ipse Chrysost., hom. 15. in I Tim., n. 2, ait: "Hinc autem palam res est, quia Timotheo Ecclesia (Ephesina) concredita fuerat, imò tota ferè gens asiatica." Et ideò Apostolus cum Tito et Timotheo tractat de electione et institutione Episcoporum, ut de re pro ipsis practicâ. S. Dionysius Corinthius in II° seculo, referente Eusebio l. IV. c. 23, "Ecclesiæ Gortynensium et reliquis simul Ecclesiis Cretæ litteras scribens, Episcopum ipsorum Philippum magnopere prædicat... In epistolâ verò, quam scribit ad Ecclesiam Amastrianorum et cæteras simul ecclesias Ponti..., Episcopum ipsorum Palmam nominatim appellans &c." Unus Episcopus pro tot Ecclesiis nominatur et prædicatur, scil. Episcopus Ecclesiæ principalis. Alia exempla habes apud Bolgeniun, "l'Episcopato", c. II. n. 52. – c) Confirmatur eò quod aliud habetur exemplum, in quo Paulus scribens ad aliquam ecclesiam apostolicam et principalem, dirigit explicitè suam epistolam seluti encyclicam ad totam regionem seu omnes ecclesias et Episcopos à principali dependentes: scil. II. Cor. I. 1.: "Paulus apostolus... et Timotheus frater, ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia."

De hoc 2° loco remanet alia difficultas, cur scilicet nominentur tantùm "episcopi et diaconi", omisso gradu presbyterorum? – Respondet Phillips (du Droit eccl., t. I § XXV), post Mamachium, Döllinger, &c.: "Tout en

adressant cette épître aux fidèles de Philippes, l'Apôtre la destinait à d'autres églises de Macédoine, qui ne possédaient pas encore de collège presbytéral, parce que le besoin ne s'en était pas encore fait sentir. De là, tout naturellement, le silence de l'épître relativement aux prêtres." - Hæc responsio desumpta est ex præclaro loco S. Epiphanii, hæresi 75. n. 5 (Migne XLII. 510), appellantis ad antiquas historias: "Illud objicit (Aerius), Apostolum scribere... episcopis et diaconis, ita ut idem episcopus et presbyter esse videatur. - Sed minimùm veritatis iste seriem ignorans, nec in reconditiore historiâ versatus, non intelligit Apostolum, cùm recens adhùc esset christiani dogmatis propagatio, pro re natâ (pro circumstantiis) scripsisse... Ubi necessitas postulabat" (utimur versione Card. Franzelin) "et episcopatu digni inveniebantur, constituebantur Episcopi; cùm verò copia non suppeteret, non reperiebantur qui crearentur presbyteri, unde solo Episcopo per loca singula contenti erant. Sine diacono autem Episcopum esse non decet: quare in id Apostolus incubuit, ut ministrandi gratiâ Episcopo diaconi suppeterent. Itaque cùm nondum Ecclesia suis omnibus functionibus expleri posset, per illud tempus istiusmodi singulorum locorum status exstitit. Neque enim ulla res est, quæ ab initio suis omnibus numeris absoluta fuerit." - Imò etiam multò tardiùs, videmus v. g. in quâdam Diœcesi Italiæ, ubi bello defecerat sacerdotium, jussu S. Gregorii Magni ordinandum esse pro urbe unum presbyterum cum duobus diaconis, et pro aliis parochiis tres presbyteros, si inveniantur digni (S. Greg. l. 1. epist. 15, Migne LXXVII. 460); presbyteri enim longè pauciores, quam hodie, ordinabantur. - Adverte aliud esse aliquam imperfectionem facti in hierarchiâ, aliud, deesse jus Divinum distinguens duos gradus episcoporum et presbyterorum.

Pariter explicari possunt quæ Clemens Romanus ait (supra p. 19), quòd Apostoli cùm primùm evangelizarent "regiones et urbes", primos neophytos ab iis benè probatos "in episcopos et diaconos eorum qui crediturí erant, constituerunt". Quòd Clemens à Presbyterianis non possit invocari, patet ex textu ibid. p. 18. — Cf. Franz. de Eccl. thes. 16; et Bouix, de Episc. t. 1. p. 21. — Pariter etiam explicari posset I. Tim. III. 2. 8, ubi Paulus tantùm Episcopi et diaconorum dotes enumerat, ut Timotheus sciat quos constituere debeat, — nisi etiam dicas, ideò ibi omitti presbyteros, quia eis ferè aptari possunt, quæ de virtutibus Episcopi dicuntur, et hæc est explicatio Chrysostomi in I Tim. hom. XI. n. 1. (Ubi Chrysost. supponit, nomen "Episcopi" revera solum Episcopum designare posse, ac proinde deserere videtur suum systema confusionis nominum).

Corollarium. Ergò, ad explicandos illos duos textus, Act. XX. 28 et Philipp. I. 1, refellendumque sytema confusionis nominum, necesse non est confugere ad hypothesim quam excogitavit Petavius (Dissertationum ecclesiasticarum l. I. c. 2), et deinde non pauci secuti sunt: "Cùm religio christiana progressionem in dies faceret (inquit), perque civitates et populos propagaretur, increbrescente multitudine, opus fuit, paratam esse copiam episcoporum, qui ad urbes et provincias, christiano partas nomini, cum potestate mitterentur, ut ea, quæ ab solis episcopis administrabantur, præstare possent, ejusmodi sunt clericorum ordinatio, &c.... Hâc de causâ videntur plures in eadem Ecclesiâ, velut Ephesinâ, episcopi fuisse, qui apostolis, tanquam majoris gradus pontificibus, adeoque summis, obsequebantur. Hoc tùm simplices recens ortæ mores Ecclesiæ ferebant... Postea quam verò pristina illa charitas, et imitandi Christi amplecten-

deque modestiæ et humilitatis refrixit amor, tum quod Hieronymus scribit, ad tollendas simultates, et in schismatis remedium, unum aliquem è turba presbyterorum (scil. episcoporum ita coexistentium) eligi placuit, qui præesset reliquis: atque ita desiere pari non solùm dignitate, sed etiam ordine ac potestate plures creari ... Quocirca nunquam non fuit in Ecclesiâ potestatum gradumque discrimen, hoc est episcopatûs et presbyteratûs simplicis, sed in eadem capita passim ambo conferebantur.»

Petavius igitur nobiscum consentit, nomen «Episcopi» nunquam fuisse commune simplicibus presbyteris. Sed ejus hypothesis, quatenus asserit, initio plures simul episcopos eamdem omninò Ecclesiam gubernavisse, ut minùs probabilis merito rejicitur à Card. Franzelin ibid. — Nam a) contradicit unanimi veterum sententiæ, qui unicum episcopum ad regendam unam Ecclesiam asserunt tanquam axioma sacrum: v. g. S. Ignatius ad Philadelphenses ait n. 4 (Migne v. 699): «Una est caro D. N. Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ejus, unum altare, sicut unus Episcopus, cum presbyterio et diaconis.» Talet ubique principium: «Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus» (apud Theodoret. hist. eccl. l. 2. c. 14. Cf. Cyprian. de unitate Ecclesiæ, &c. — Et b) contradicit argumentis aliis quæ afferemus ubi de regimine Ecclesiæ ab initio, seu de subjecto potestatis jurisdictionis, in Disp. sequente.

Posset hypothesis Petaviana modificari et mitigari, supponendo, ex illis pluribus episcopis quod potestatem ordinis, unum habuisse plenam episcopalem jurisdictionem, cæteros cum eo convixisse tanquam ejus coadjutores et vicarios, paratos (utpote «episcopos missionarios») ad novas in vicinitate fundandas et regendas ecclesias. Ita rem intelligit eruditus-

Doctor Lovaniensis Christianus Lupus (Wolff) in dissertatione proœmiali quam præmisit suis Scholiis in Concilia c. 5: « Primis illis Ecclesiæ exordiis nemo dumtaxat in presbyterum, sed omnis presbyter completè in Episcopum ordinabatur; qui mos diutius perseveravit in quibusdam ecclesiis, præsertim Alexandrina. Hunc esse Hieronymi sensum, facile et lucidè posset ostendi... Plura sunt antiqua monumenta quæ evincunt, cunctos multarum Ecclesiarum Presbyteros in primitiva Ecclesiâ fuisse consecratione Episcopos: non tamen omnes erant etiam jurisdictione. Etenim Apostolicus Canon omninò mandat, cuique Ecclesiæ non esse nisi unicum Episcopum (jurisdictione). Proinde inter istos consecratos Episcopos unus semper præsidit, ac præfuit aliis, ac singulari insuper nomine ho orabatur. » Scilicet unus erat episcopus jurisdictione propriâ et ordinariâ: alii cum charactere episcopali habere non poterant nisi jurisdictionem precariam et delegatam abeo (sicut in exemplo Eustathii, supra p. 87), et constituebant ejus presbyterium, scilicet senatum consiliariorum, respondentem præsenti Capitulo ecclesiæ cathedralis. "Presbyteri" erant, spectatâ carentiâ jurisdictionis episcopalis propriæ, "Episcopi", spectata potestate ordinis. — Hæc hypothesis (quam approbat Bolgeni l.c.), præsertim si intelligatur de quibusdam casibus particularibus non de generali statu rerum, est in se satis probabilis, illamque fortasse nimis despicit Franzelin l.c.; — quidquid sit, illa minùs probabiliter explicabit Act. XX. 28, ubi plures congregati, qui "episcopi" dicuntur, actualiter "regunt Ecclesiam Dei" et debent "attendere universo gregi", quod satis indicat eos omnes episcopalem jurisdictionem ordinariam exercere.

Scholion I. De voce "sacerdos". — Vox illa, quæ vi nominis indicat hominem sacris faciendis

addictum (et præsertim sacrificio offerendo) respondet voci græcæ ἱερεύς, quæ similem habet etymologiam. Vox ἱερεύς cùm jam designaret sacerdotes Judæorum, propterea videtur initio fuisse exclusa (claritatis causâ) à designandis eis qui habent sacerdotium N. Legis: certè eis non datur hoc nomen in Scripturis N. Testamenti, ubi tantùm agitur de "presbyteris" et "episcopis" (quamvis fiat allusio ad sacrificium in N. Lege, v. g. Hebr. XIII. 10; cf. tract. de Euchar.). — Clemens Romanus (supra p. 18) applicat vocem ἱερεύς presbyteris, et vocem ἀρχιερεύς Episcopo, sed tantùm per allusionem ad Vetus Testamentum; neque apparet hæc nomina tunc frequentata fuisse; nunquam inveniuntur in Ignatio, &c. —

Quandò verò hæc vox incæpit esse in usu, dubium est non tantùm presbyteris, sicut hodie plerumque, sed etiam et præsertim Episcopis: quod facile ex vi nominis intelligitur, siquidem "sacra facere" non minùs, imò magis Episcopo quam Presbytero competit.

Ita Origenes, in Num. hom. 2. c. 1 (Migne XII. 591) duas tantùm categorias facit: ex unâ parte "eos qui sacerdotio funguntur et in sacerdotali ordine gloriantur", ex aliâ "diaconos": et duos tantùm ponit ordines, "sacerdotalem vel leviticum ordinem." Nomen "sacerdotis" ergò attribuit et Episcopo et presbyteris qui certè tunc erant distincti, et quos alibi distinguit ipse (supra p. 23).

S. Cyprianus sæpissimè Episcopos vocat "sacerdotes", v. g. epist. 45 ad Cornelium Papam, n. 5 (Migne III. 802), ubi perpetuò "sacerdotes", ex contextu, sunt potiùs Episcopi: "sacerdotalis auctoritas... sacerdotalis censura...; neque aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam dùm sacerdoti Dei non obtemperatur," &c.

S. Greg. Nazianz. orat. 25. n. 12. Petrum episcopum Alexandriæ vocat ἱερεύς.

S. Ambrosius in libro de dignitate sacerdotali,

c. 3., "Sacerdotem" pro Episcopo sumit, et ab eo presbyterum distinguit.

S. Greg. M. in suis epistolis passim vocat ipsos episcopos "sacerdotes."

Imo in saeculo 9°, in Capitularibus Caroli Magni, lib. 5. c. 34, saepiùs "Episcopi, et reliqui sacerdotes" nominantur. — Item cap. 61: "Non est permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium provehendi." Ubi "sacerdotium" episcopatum significat, ut et titulus capitis indicat, et caput antecedens. — Idem Carolus in edicto, quod Capitulis ecclesiasticis praefixum est, Pontifices vocat "sacerdotes", quos à "presbyteris" secernit. Et in iisdem Capitulis 1. cap. 2.: "Volumus, ut omnes suis sacerdotibus, tam majoris ordinis, quam et inferioris ... obedientes existant." — Plura apud Petavium, de eccl. hier. l. I. c. 12. n. 14, 15; l. IV. c. 5. n. 8.

Hinc argumentum contra Presbyterianos: Si communitas nominis "presbyter", saeculo I vel etiam II°, probaret quod volunt Presbyteriani, scil. tunc extitisse confusionem graduum in unum, à pari communitas nominis "sacerdos", reliquis deinceps saeculis, probaret tunc extitisse confusionem graduum, etiam v. g. tempore Caroli Magni. Atqui hoc evidenter falsum est, ipsis adversariis concedentibus: ergò et illud. (Petav. ibid.).

Sed quomodò communitas et ambiguitas vocis "sacerdos" confusionem non necessariò generabat? Resp. explicationem fuisse tùm in contextu, tùm aliquandò in illis determinativis "sacerdotes primi ordinis", "sacerdotes secundi ordinis", "sacerdotium primum" et "secundum", &c. quorum exempla jam dedimus ex S. Optato, Innoc. I, Leone Magno, supra p. 138, 139. Ipse Hieronymus ep. 108 (al. 27) ad Eustochium n. 28 (Migne XXII. 904): "Aderant Jerosolymorum et aliarum urbium Episcopi, et Sacerdotum inferioris gradûs ac Levitarum innumerabilis multitudo."

In Gallicâ linguâ, unam tantùm vocem habemus « prêtre », quæ simul respondet et presbytero » et « sacerdoti. »

Scholion II. Utrùm vox πρεσβύτερος, « senior », aliquandò laicos significaverit? — Etsi generatim hæc vox non ætatem (Cf. supra p. 168) sed dignitatem significaverit, quæ dignitas in Ecclesiâ non ætate solâ, sed positivâ quâdam deputatione conferebatur (« Constituas per civitates presbyteros », supra p. 17), imò interveniente ritu sacro, « Manus citò nemini (presbytero) imposueris », supra p. 16, cf totam Traditionem: tamen non negamus, eamdem vocem aliquandò potuisse per accidens significare laicos ætate venerandos, et præsertim eos qui speciali munere temporalia Ecclesiæ bona curabant. « Utin parœciis — (ait Petavius de ecd. hier. l. 3. c. 6. n. 9.) honesti cives, et ætate usuque maturi deliguntur, quos matriculatios (« marguilliers ») vocant, qui Ecclesiæ commodis et impensis aut compendiis præsunt. At istorum curatio neutiquam spiritalis est, ... sed in externarum, ut dixi, rerum administratione sistit. »

Exemplum hujus rei habemus in Africâ, sæculo IV°. — Mensurius episc. Carthaginensis, ubi ecclesiam suam tempore persecutionis Diocletiani relinquere coactus est, hæc fecit teste S. Optato (l. I. n. 17, Migne XI. 918): « Erant Ecclesiæ ex auro et argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat. Quæ, quasi fidelibus, senioribus commendavit, commemoratorio (« un inventaire ») facto, quod cuidam aniculæ dedisse dicitur: ita ut si ipse non rediret, redditâ pace Christianis, anicula illi daret, quem in episcopali cathedrâ sedentem inveniret. »

Item exstant plures epistolæ citatæ in

" Gestis apud Zenophilum consularem ", anno 320 (apud Migne XLIII. 795), in quibus mentio fit de illis "senioribus" occasione Silvani, qui lucernas argenteas et alia similia Ecclesiæ bona tradiderat (semper in Africâ). V. g. Nundinarii libellus: " Silvanus à Cirtâ traditor est, et fur rerum pauperum. Quod omnes vos episcopi, presbyteri, diaconi, seniores, scitis ", &c. (Eadem citantur a S. Aug. l. 3. contra Cresconium c. 29, Migne ibid. 513). — Item epistola Purpurii ibid.: " Purpurius episcopus clericis et senioribus Cirtensium ... ". Item epistola episcopi Fortis: " Fratribus et filiis, clero et senioribus, Fortis, in Domino æternam salutem. " (A clero contra-distinguuntur).

In eâdem Africâ postea S. Augustinus, epist. 128 (al. 137), Migne XXXIII. 487: " Dilectissimis fratribus, clero, senioribus, et universæ plebi Ecclesiæ Hipponensis, ... Augustinus in Domino salutem. "

Videbatur confusio (ut appareat his exemplis) tùm a) contextu, tùm b) Ordine enumerationis: " Seniores " illi semper nominantur separatim à clero et post " clerum ", immediatè ante " universam plebem " seu laicos alios; semper post " diaconos ". E contra presbyteri propriè dicti semper nominantur ante diaconos, et sunt pars " cleri. " Tùm c) distinctione idiomatum. Vox græca originis, " presbyteri " omninò reservabatur iis solis " senioribus Ecclesiæ ", qui erant personæ consecratæ et sacerdotes secundi ordinis. — Hinc vides, nihil posse inde seriò objici contra nostram thesim I^am.

Thesis VII.

Supra Episcopatum nullus est gradus in hierarchiâ ordinis.

St. D. Aliqui recentiores videntur sibi

fingere, Romanum Pontificem obtinere gradum specialem non tantum in jurisdictione et magisterio, sed etiam in potestate ordinis, jure divino collatum. Id sequitur v.g. ex opinione istâ Doctoris Phillips (cf. supra p. 110), unicam esse in Ecclesiâ hierarchiam, cujus singulis gradibus convenit speciali gradu triplex potestas ordinis, jurisdictionis et magisterii: cùm enim Romanus Pontifex habeat jure divino specialem et summum gradum hierarchicum jurisdictionis et magisterii, sequeretur eum habere pariter specialem gradum potestatis ordinis.

Sed contradictoria sententia est certa, ut apparebit ex argumentis, et communiter admittitur: « Quoad characterem episcopalem (seu potestatem ordinis) S. Petro æquales fuerunt cæteri Apostoli, et Episcopi omnes Romano Pontifici æquales sunt; de hoc nulla controversia » ait Bolgeni, l. Episcopato, p. 2. c. 1.; - cf. Bouix de Episc., p. 1. c. 5. prop. 7.

Probatur.

Supra Episcopatum nullus est gradus quoad potestatem ordinis, si ipse Rom. Pontifex non differt ab aliis Episcopis quoad illam potestatem.

Atqui non differt. - Ergò.

Probo Majorem. α). Si ipse Romanus Pontifex non differt ex hâc parte, à fortiori nec gradus jurisdictionis ei inferiores qui citari possunt (præsertim cùm hi non sint juris divini) ut Patriarchæ, deinde Metropolitæ, &c. - β). Cæterum illos gradus et ipse possidet, cùm sit Patriarcha Occidentis, &c.: ergò si darent majorem potestatem ordinis, ipse haberet.

Probo Min. γ). Patres hoc dicunt: Vel α) explicitè: ità S. Hieronymus epist. 146 ad Evangelum (Migne XXII. 1194): « Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii (quæ parva

erat urbs Italiæ), sive Constantinopoli... ejusdem est et Sacerdotii." Ex hoc textu adversarii Primatûs jurisdictionis desumunt objectionem: respondent autem passim defensores, Hieronymum hic agere de solâ potestate ordinis, ut patet tùm hac voce "sacerdotii", quæ potestatem ordinis indicat, tùm contextu totius Epistolæ, quæ agit de hierarchiâ ordinis, scil. de discrimine Episcopi, presbyteri et diaconi. Ergò qui maximè defendunt jura Romani Pontificis, tamen occasione hujus textûs communiter concedunt nostram thesim.

Vel c) implicitè: nam Patres Episcopum quemcumque vocant "Summum Sacerdotem" (Clemens Rom., Tertull., &c. supra p. 137.); - presbyteros dicunt "in secundo sacerdotio constitutos", "secundos sacerdotes", "secundi ordinis sacerdotes" (Optat., Innoc. I, Leo M., supra p. 139; Sidonius p. 88), respectu Episcoporum: dùm deberet dici presbyteros esse in sacerdotio tertio, Episcopos in secundo, et Papam in primo, si Papa specialem haberet gradum sacerdotii, seu potestatis ordinis. - Item Patres, enumerantes gradus jure divino institutos quoad sacramentalem potestatem ordinis, semper numerant tantùm "ejus Episcopos, presbyteros et diaconos", semper tacent Romanum Pontificatum; ita Ignatius (supra p. 20), Tertullianus (p. 22), Clemens Alexandr. (p. 137), Conc. Trident. (p. 132), &c.

Probo Min. 2°). Conc. Vaticano, Constit. "Pastor æternus", ubi definit et explicat ex professo et adæquatè "Primatum Romani Pontificis". Docet, in illo Primatu contineri specialem et supremum gradum jurisdictionis (cap. 3), supremum quoque et specialem gradum magisterii (cap. 4; cf. supra p. 127, seqq.); - nullum verò specialem gradum potestatis ordinis asserit, imò ne levissimâ quidem innuit.

Probo Min. 3°) ex ipsis elementis potestatis ordinis. Potestas illa essentialiter α) fluit ex consecratione personæ, et novus gradus potestatis illius exigit novam consecrationem; v. g. diaconus habet suum gradum in potestate ordinis (ut probabimus in thesi sequente), sed ut novum gradum assequatur, possitque conficere corpus Christi &c., debet recipere novam consecrationem nempè presbyteralem: et presbyter ut novum gradum in potestate ordinis assequatur, possitque v. g. ordinare presbyteros, debet recipere novam consecrationem, nempe episcopalem. β) Potestas ordinis stricte dicta, quam hic consideramus, pro objecto habet actus quosdam eminentes et specialiter sacros, quos Deus ipse alligavit alicui speciei personarum consecratarum: proinde hujus potestatis gradus novus non habetur, nisi habeatur potestas, à Deo ipso alligata, prorsus si consecrationis novum quendam actum hujusmodi, qui a speciebus inferioribus personarum consecratarum poni non potest.

Atqui Romanus Pontifex α) non recipit novam consecrationem præter episcopalem. Utique, si nondum est consecratus episcopus cùm eligitur à Cardinalibus, postea consecratur episcopus à Decano Cardinalium qui est episcopus Ostiensis, cooperantibus duobus aliis Episcopis ut fit in omni consecratione episcopali: sed si jam est episcopus (ut sæpè fit), tunc post electionem nulla fit ejus consecratio: tantùm habetur cæremonia "Coronationis" quæ non est consecratio personæ, nec fit in sanctuario sed in porticu S. Petri, nec fit intra missarum solemnia ut fiunt omnes ordinationes, neque ab episcopis fit, sed à primo Cardinalium Diaconorum, et consistit in impositione tiaræ, quæ regnum et jurisdictionem significat, non præcisè potestatem ordinis, imò tiara nunquam

geritur à Romano Pontifice in divinis (ex Cæremoniali Romano), sed tantum eundo ad templum, et redeundo: – neque illud ornamentum, aut cæremonia coronationis, fuit in primis temporibus; ergò non est juris divini. – Cf. Ferraris, art. "Papa"; – Bouix, de Curia Rom., ubi de elect. Rom. Pontificis, et alios. – c) Nullus autem est actus specialiter sacer, quem Deus ita alligaverit Romano Pontificatui, ut ab aliis episcopis præstari non possit.

Ergò.

Objectio. Rom. Pontifex sibi reservata habet, ad exclusionem Episcoporum, multa quæ ad cultum et sacramenta spectant, ut sunt jus celebrandi in universo terrarum orbe, summa potestas liturgica, beatificatio et canonizatio Sanctorum, jus instituendi et abolendi dies festos, &c. – Ergò.

Resp. Hæc pertinent ad potestatem jurisdictionis, non ad potestatem ordinis: cf. thes. III. 4ª p., supra p. 98, secq. – Rectè igitur Aichner, Compend. juris, §. 97: « Summus Pontifex, pro ampliore non quidem ordine sed jurisdictione, quâ episcopis antecellit, relatè ad sacrum ministerium ejusque exercendi modum diversa habet jura, quæ eò tendunt, ut ubique dignus Deo cultus exhibeatur, unitas in ritibus omni meliori modo servetur, si quæ verò exceptiones desiderentur, diversitas non officiat unitati, eaque nonnisi S. Sedis auctoritate inducatur. ». Quæ omnia deinde explicat et enumerat.

Corollarium. Ergò meritò dicitur, Episcopum habere plenitudinem sacerdotii, seu, ut ait Guilielmus Parisiensis de Ordine c. 13, « Episcopatum plenum et perfectum esse sacerdotium. »

Thesis VIII.

Diaconi habent jure divino gradum in hierarchiâ et potestate ordinis.

St. D. Adversarii sunt multi Protestantes, qui primos diaconos, ab Apostolis constitutos, dicunt fuisse destinatos tantùm ad ministerium temporale et profanum (quod genus ministerii sanè non pertinet ad potestatem ordinis, quæ maximè spiritualis est et sacra): quòd si deinde aliquæ functiones sacræ fuerunt eis commissæ, id factum est adinventione humanâ, non jure divino. Sic Calvinus, Instit. l. 4. c. 3. n. 9: « L'Ecriture nomme spécialement Diacres ceux qui sont constitués par l'Eglise pour dispenser les aumônes, et qui sont comme receveurs ou procureurs des pauvres; desquels l'origine, l'institution et la charge est décrite aux Actes (c. 6) par S. Luc... Voilà quels ont été les Diacres du temps des Apôtres, et quels nous les devons avoir à l'exemple de l'Eglise primitive. » Et c. 4. n. 5: « L'état des Diacres n'a point été autre pour ce temps-là, qu'il avait été sous les Apôtres... Car ce que les Canons ordonnent, que l'Evêque soit dispensateur des biens de l'Eglise, il ne le faut pas prendre comme si les Evêques eussent eu cette charge pour l'exécuter par eux-mêmes... Et au Concile d'Antioche, il fut décrété qu'on corrigeât les Evêques qui prenaient le maniement des biens de l'Eglise, sans avoir les Prêtres et Diacres comme adjoints. » Et c. 5. n. 15, « Ils (les Catholiques) ne créent pas leurs Diacres à cela: car ils ne leurs enjoignent autre chose sinon de servir à l'autel, à chanter l'Evangile,

et je ne sais quels autres fatras." Cf. c. 19. n. 32.

Olim aliqui Catholici dubitaverunt de institutione divina diaconorum, quales eos habemus; vel saltem, eorum institutionem non putaverunt eandem esse, quæ narratur Act. VI. - Sta, post Durandum (in 4. d. 24. q. 2) Card. Cajetanus, qui ait (t. 1. Opusculorum, tract. 11): "De minoribus quidem ordinibus et subdiaconatu Magister Sent. in 4. d. 24. dicit institutos esse ab Ecclesiâ. De diaconatu verò ambiguum magis est, quia non constat ex Actibus Apost. diaconos altaris, sed diaconos mensarum et viduarum institutos esse ab Apostolis, Act. VI: quin potius oppositum ibi dicitur... Quocirca, licet tunc non fuerint diaconi altaris instituti, videntur tamen ab Apostolis instituti, licet nesciatur quando, et ubi." Addit quædam argumenta pro institutione divinâ, ex modo quo Paulus, et Dionysius, loquuntur de diaconis. Subjicit tamen novam rationem dubitandi, quam non solvit, et concludit: "Hæc autem sint collecta, non eâ ratione, ut novam velimus ingerere doctrinam de Sacramento ordinis, sed ut doctus quisque percipiat incertitudinem materiæ, de quâ est sermo, et non velit plus sapere quam oportet sapere", &c.

Durandi tamen et Cajetani opinionem præclarissimi Doctores aiunt, sine temeritatis notâ defendi non posse (Wirc. n. 76), saltem post Trid. Etenim Trid. (supra p. 132) definit "ministros" (inter quos comprehenduntur saltem vel præsertim diaconi, quorum nomen græcè significat "minister") cum episcopis et presbyteris componere "hierarchiam divinâ ordinatione institutam": "hierarchia" autem, ex contextu totius capitis (in quo agitur de gradibus qui participant de sacerdotio seu de sacrâ potestate ordinis), intelligitur collectio personarum præditarum potestate ordinis.

Utrùm ritus, quo confertur diaconatus, sit propriè Sacramentum, nunc non examinamus: quanquam ad eam quæstionem, quæ infra tractabitur, viam parabit præsens controversia, quæ tota est de institutione divinâ et de objecto muneris diaconorum.

Probatur.

I.) Scripturâ.

1°). Act. VI, 1 seqq. — Etsi occasio illos septem ordinandi fuit, quod Apostoli "mensis" scilicet agapis per se non possent satis invigilare, et quòd indigerent fidis hominibus ad distribuendas cum majori æquitate eleemosynas ac cibos, sedandumque "murmur" exortum tamen inde non sequitur (ut fingunt adversarii) homines, qui tunc ordinati sunt, duntaxat præfectos fuisse mensis et eleemosynis: imò contextus contrarium indicat: nam:

a) Apostoli, exponentes populo quænam dotes requirantur in eligendis, non dicunt: Quærite viros industrios et fideles in distribuendis eleemosynis, sed (v. 3) «plenos Spiritu Sancto et sapientiâ». Atqui non requirerent tam eminentes tamque supernaturales dotes, si tantùm ageretur de profanis mensarum administris. Ergò. — Nec viros tam egregiè in doctrinâ fidei instructos (ut erat v. g. Stephanus, ex fine hujus capitis et capite seq.), proinde ad majora idoneos ac necessarios, Apostoli merè profanis officiis præfecissent: ut notat Estius in 4. dist. 24. n. 17.

b) Apostoli illos electos à multitudine et ab ipsis approbatos consecrant eodem genere ritûs sacri, quo presbyteros sive episcopos; quo ritu ordinationis nullum aliud magis solemne, magis sacrum apparet in N. Test.: «Et orantes imposuerunt eis

manus." – Quomodò intelligeretur talis assimilatio, si diaconi profanis tantùm ministeriis fuissent destinati? Quale periculum confusionis! Fuerunt olim in Africâ (supra p. 185), sicut adhùc sunt in ecclesiis, homines fidi, quibus sola administratio bonorum Ecclesiæ committeretur: sed nunquam factum est, ut ii sicut ministri cultûs ordinarentur.

c). Ex iis quæ sequuntur in Scripturâ, videmus illos homines, post suam ordinationem, spiritualibus vacasse. Stephanus prædicat, et solenniter disputat cum infidelibus: utique potestas magisterii sacri non est idem ac potestas ordinis (cf. thes. IV.), at non est quid profanum et temporale, quod sufficit ad refellendam interpretationem hujus loci Actuum, quam dant adversarii. – Philippus, "descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum." (VIII. 5.), explicat Scripturas (ib. 35), baptizat eunuchum reginæ Æthiopum (ib. 38). – Quòd hic sit Philippus è septem unus (VI. 5), non autem Philippus Apostolus, probatur tùm ex VIII. 1, 4, 5: "Omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter apostolos ... Igitur qui dispersi erant pertransibant, evangelizantes verbum Dei. Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat", &c. Et ex v. 14, seqq., cùm Apostoli, qui, ut dictum est, Hierosolymis remanserant, audivissent Samariam recepisse verbum Dei per Philippum, et plures baptizatos esse, eò miserunt Petrum et Joannem, nempe ut hi baptizatis Samaritanis darent Spiritum S. per impositionem manuum (designatur Confirmatio), quod non poterat facere Philippus ipse utpote gradûs inferioris. Denique (v. 40) Philippus, postquam ut missionarius "evangelizaverat civitatibus multis", venit Cæsaream, ibique mansit: jam verò XXI. 8, Paulus et Lucas ibi eum inveniunt: "Veniemus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi evangelistæ, qui erat

unus de septem, mansimus apud eum." Expressè dicitur illum Philippum, qui ita evangelizaverat discurrendo, fuisse unum de septem, non unum ex duodecim.

d) Illud "ministrare mensis" (VI. 2.), quod Apostoli propter alias occupationes relinquunt illis septem, ab adversariis gratuitò, imò falsò supponitur esse quid merè profanum. Illis enim temporibus fideles utramque mensam, mysticam et communem conjungebant: utramque simul cœnam, ad exemplum Christi, celebrabant, vulgarem scilicet ad corpus reficiendum, et mysticam ad nutrimentum animæ. Nam primi christiani hierosolymitani, de quibus ipsis agitur in nostro textu, quotidiè per singulas domos privatas alternantes cœnam communem habebant, cui mysterium eucharisticum (fractio panis) erat annexum (Act. II. 42, 46). Idem factum est alibi, v. g. Corinthi, ut patet ex I. Cor. XI. (Adverte insuper, vocem "mensæ" designavisse etiam mysticum convivium. Nam I. Cor. X. 21, ut avertat eos à comedendis idolothytis: "Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum": ubi vocat "mensam" id ipsum, quod antea vocavit "altare", v. 18: "Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?") — Ergò illud "ministerium mensarum" non tantùm includebat distributionem ciborum pauperibus et viduis — (Act. VI. 1.), sed etiam distributionem Eucharistiæ per domos in quibus agapæ illæ celebrabantur: et similem distributionem videmus factam à diaconis in antiquissimis documentis Ecclesiæ, v. g. in Apologia Iæ Justini, supra p. 21.

e) Etsi Act. VI. illis septem viris non detur nomen "diaconi", tamen aliquomodo implicitè et æquivalenter dicitur, ex eo quod debent juxta Apostolos, "ministrare mensis", in textu διακονεῖν

τραπέζαις. Deinde sicut illi septem creati sunt ad adjuvandos Apostolos, ita videmus in epistolis Pauli viros qui pariter adjuvant successores Apostolorum Episcopos, sub ipso nomine ac titulo "diaconorum." (Philipp. I. 1., &c.). Ceterum aliud est munus, quod potuit non dari à primo die, aliud est gradus et res.

f] Ex eo quòd Apostoli, non Christus, ordinaverint illos septem, non sequitur hanc esse humanam institutionem: nam potuerunt Apostoli id facere ut promulgatores juris divini (cf. supra p. 32), de diaconis ordinandis habentes præceptum à Christo, occasionemque exsequendi illud præceptum sumentes ex adjunctis, ut ait Innocentius III l. 3. de Missa, c. 5 et 56. — Fatemur, ex Scripturâ non efficaciter probari jus divinum; sed neque negatur: et ex Traditione, optimâ Scripturæ interprete, habetur tùm eos divinâ institutione fuisse ab Apostolis ordinatos, tùm eos fuisse idem institutum cum "diaconis altaris" seu cultui ministrantibus, quos videmus jam à primis sæculis Ecclesiæ:

Ita S. Cyprianus ep. 68 (cum aliis Episcopis Conc. Carthaginensis), Migne III. 1125: "Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur... Quod postea secundùm divina magisteria observatur in Actis Apostolorum (Act. I. 15). Nec hoc in episcoporum tantùm et sacerdotum, sed et in diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus, de quo et ipso in Actis eorum scriptum est: Et convocaverunt, inquit illi duodecim totam plebem, &c. (Act. VI. 2). Quod utique idcircò tam diligenter et cautè, convocatâ plebe totâ, gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem

locum indignus obreperet... Propter quod diligenter de traditione divinâ et apostolicâ observatione servandum est, et tenendum", &c. — Ergò ex S. Cypriano, et ex illo Concilio III^i saeculi, illi septem fuerunt "diaconi", et ad "altaris ministerium" ordinati, et divinâ institutione.

Concilium Neocaesareense in Oriente, initio saeculi IV^i (Hefele t. I. p. 224) can. ultimo: "Diaconi septem debent esse juxta regulam, licet magna sit civitas: hoc enim probat liber Actuum Apostolorum." Asserit igitur illos septem, de quibus agitur Act. VI, fuisse idem institutum ac "diaconi" posteriores Ecclesiae. — Regula illa antiquior, ad quam appellat Concilium illud, apparet servata Romae in medio saeculo III°, in epistola Cornelii Papae apud Eusebium h. eccl. l. VI. c. 43 (Migne XX. 622), Cornelius ibi ait, esse in urbe Româ "presbyteros quatuor et quadraginta, septem autem diaconos."

S. Chrysostomus (qui perperam nobis objicitur ab adversariis, cùm tantum hoc velit, nomen "diaconorum" non fuisse datum ab initio), hom. 14 in Acta., n. 3, describens illam ordinationem ab Apostolis factam, ostendit Deum immediatè operantem, sicut in aliis Sacramentis quae sunt juris divini: "Manus viri superponitur, totum verò Deus operatur, ejusque manus est quae tangit caput ordinati."

S. Hieronymus (qui pariter ab adversariis objicitur) agnoscit illos septem fuisse diaconos, et ministros calicis Domini, ep. 14 (al. 1.) ad Heliodorum, n. 8 (Migne XXII. 353). Postquam enim exposuit dotes quas Paulus requirit ab Episcopo et à Diacono, et pericula tantorum munerum, addit: "Sicuti qui bene ministrat, bonum gradum sibi acquirit, ita qui indignè ad calicem Domini accedit, reus

erit Dominici Corporis et Sanguinis. Non omnes episcopi, episcopi sunt: attendis Petrum, sed et Judam considera. Stephanum suspicis: sed et Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi suâ damnat sententiâ... Probet se unusquisque, et sic accedat."

Liturgiæ antiquæ testantur septem illos ad Apostolis fuisse ordinatos ad idem officium, sicut nostri diaconi. Cf. apud Morinum, parte 2da, nonnullos Codices Pontificalium Græcorum, qui in forma ordinationis diaconi hæc habent verba: "Da quoque illi gratiam, quam Stephano protomartyri tuo donasti, quem et primùm vocasti ad opus ministerii tui (διακονίας). Similia Syri Maronitæ in ordinatione Archidiaconi, ibid.; et Ægyptii. Etiam apud Latinos, in admonitione præmissa ordinationi diaconorum Pontifex ait: "Cogitate beatum Stephanum... ad officium istud electum." — Idem habes in Constitut. Apostolicis, l. 8. c. 18 (Migne, P. gr. I. 1115).

Ergò Scriptura et per se, et maxime quatenus completur interpretatione Traditionis (cujus alia etiam documenta cf. apud Berti de Theol. disc. l. 36. c. 6.), nobis certò exhibet in hoc loco, Act. VI, originem diaconorum quales eos intelligimus, scilicet cum ministerio sacro, deinceps à ritu sacro ordinationis, per institutionem divinam: nec potest sustineri quod dixerunt pauci commentatores v. g. Calmet, agi in Actibus de quâdam institutione non sacrâ, de alia re quam de nostris diaconis (etsi, juxta illos commentatores, eâdem sciamus nostros diaconos esse institutionis divinæ). Illi opinioni si demas eos Patres qui falsò pro eâ allati sunt, inter Veteres — "manet unius Œcumenii nudum ac miserrimum patrocinium" ut notat Berti l. c.

2°) Confirmatur thesis alio loco Scripturæ, scil. ex I. Tim. III. 8, seqq., ubi Apostolus immediatè post Episcopum subjungit diaconos, et ab eis —

ferè easdem virtutes requirit, quas antea ab Episcopo. Quod notavit Hieronymus in l. cit. ad Heliodorum; nam postquam citavit dotes, quas Apostolus exigit ab Episcopo, subdit: „Non minorem in tertio gradu (scil. in Diaconis) adhibuit diligentiam, dicens: Diaconos similiter pudicos"; &c. — Atqui haec essent inexplicabilia, si diaconi essent meri procuratores bonorum temporalium, ut volunt Calvinus et alii. — Ergò.

II. Traditione.

Praeter documenta spectantia ad interpretationem capitis VI Act. Apost., quae jam attulimus, multa alia possunt afferri, v. g.:

Clemens Romanus (supra p. 19) testatur quòd Apostoli, in quâcumque urbe ab eis evangelizatâ, „primitias" neophytorum, postquam „Spiritu eos probassent", constituebant „episcopos et diaconos eorum qui crediturі erant." Ergò antequam essent multi qui crederent, antequam proinde esset notabilis difficultas in distributione eleemosynarum et administratione bonorum temporalium Ecclesiae, in omni civitate, diaconi constituebantur tanquam institutum magni momenti, simul cum episcopis, adhibitâ spirituali probatione et magnâ diligentiâ ad eos eligendos. — Ab eodem Patre comparantur Levitis S. Test. (supra p. 18): qui et sacris functionibus cultûs vacabant, et jure divino erant instituti (cf. librum Levitici). — Ibidem divinam institutionem illorum graduum asserit Clemens.

Eandem comparationem diaconorum cum Levitis habet Origenes (supra p. 183), Hieronymus (supra p. 137), et multi alii Patres. — V. g. Ambrosius, de Officiis l. I. c. 50 (Migne XVI. 96) per totum caput assimilat Diaconos Levitis; et citatis iis quae à Diacono exiguntur I. Tim. III, addit: „Ut qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, Dominum veneretur", &c. Deinde Diaconum sic

alloquitur: "Tu ergò electus es ex omni numero filiorum Israel inter sacros fructus quasi primogenitus vestimatus, proepositus tabernaculo, ut protendas in castus sanctitatis et fidei, ad quae si alienigena accesserit, morte morietur", &c.

Ignatius Martyr tùm divinam institutionem diaconorum proclamat, dùm eos vocat "mandatum Jesu-Christi" (supra p. 20), dùm diaconos dicit "justa sententiam Christi designatos", &c. (supra p. 41): tum indolem sacram ministerii eorum asserit, dùm eos dicit "non esse ciborum et potuum ministros", sed esse "diaconos mysteriorum Jesu-Christi" (supra p. 20).

Justinus Martyr (supra p. 21) testatur in solemni liturgiâ diaconos distribuere eucharistiam praesentibus, eamque perferre ad absentes.

Liber nuper inventus, Διδαχὴ &c. diaconos sicut episcopos connectit cum celebratione eucharistiae (supra p. 21).

Tertullianus (supra p. 22) testatur eos, eo modo quo episcopi et presbyteri i.e. solemniter, baptizare posse cum licentiâ episcopi. Quod pertinet ad potestatem ordinis (cf. Petavium supra p. 7).

Clemens Alexandrinus eos numerat ut gradum sacrae hierarchiae, quae imago est hierarchiae angelicae et caelestis (supra p. 137).

Dionysius de eccl. hierarchia c. 3. n. 2. (Migne III. 426) describens celebrationem Eucharistiae, ait de diaconis: "Qui autem in ministrorum ordine primas tenent, una cum sacerdotibus (ἱερεῦσιν) divino altari panem sacrum calicemque benedictionis imponunt... Ad haec divinus Pontifex (ἱεράρχης) sacram peragit precationem", &c.

Concilium Ancyranum (anno 314) apud Hefele, t. I. p. 197, dicit in can. 2°, diaconos in persecutione lapsos

jam cessare debere ab omni sacra functione (ἱερᾶς λειτουργίας), neque exercere posse ministerium offerendi panem et vinum (celebranti et communicantibus), aut prædicandi. — Cf. et Conc. Illiberitanum anno 306 (Hefele I. p. 147).

S. Laurentius Martyr, ut refertur in Actis ejus martyrii, et à multis Patribus (cf. Breviarium in ejus Festo et Octava), v.g. à S. Ambrosio de Officiis l. I. c. 41 (Migne XVI. 84), « cùm videret Xystum episcopum suum ad martyrium duci, ... his verbis appellare cœpit: Quò prægrederis sine filio, pater? Quò, sacerdos sancte, sine diacono properas tuo? Nunquam sacrificium sine ministro offere consueveras. Quid in me ergò displicuit, pater? num degenerem probasti? Experire certè utrum idoneam ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem » (alii, dispensationem; sed et consecratio intelligi potest de aliquâ participatione analogâ ad actum consecrandi, cf. notam in edit. Migne ibid.), « cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas? »

S. Optatus (supra, p. 138) dicit diaconos esse « in tertio sacerdotio constitutos »; quâ voce nulla est vividior et efficacior ad ministerium sacrum et potestatem ordinis significandam; imò hic paulò latiùs intelligenda est, nam « sacerdotium » strictè non comprehendit nisi Episcopos et Presbyteros.

Ipsæ tamen usurpationes diaconorum in quibusdam regionibus ostendunt, diaconos ex suo munere habuisse aliquem gradum in potestate ordinis: secùs fuisset nimis difficile, ut transire possent v.g. usque ad attentandam consecrationem corporis Domini (fortasse ex defectu sacerdotum, sæviente Diocletiani persecutione), sicut apparet ex Concilio Arelatensi anno 314, can. 15. (Hefele, t. I. p. 198): « De diaconibus quos cognovimus « multis locis offerre, placuit minimè fieri debere. » Ubi « offerre » intelligendum est de celebratione sancti sacrificii, tùm ex modo absoluto quo res reprobatur, tùm

ex sequente canone 19. ejusdem Concilii, ubi certò in hoc sensu „offere" adhibetur; atqui eamdem vocem in sensu valdè diversissimo fuisse adhibitam ab eodem Concilio sine ullâ explicatione, admitti negavit (cf. Hefele l.c.).

— Item Conc. oecumenic. Nicaenum, can. 18. (Hefele I. p. 414, vide ejus notas) reprobat hunc abusum, quòd „in quibusdam locis et civitatibus, Presbyteris Eucharistiam Diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant." Nempe, quod apud nos adhuc fit in Hebdomada Sancta, feria V in Cœna Domini, scilicet ut Presbyteri Eucharistiam accipiant de manu celebrantis, id in primis Ecclesiæ temporibus usitatum est in omni Missâ solemni, Episcopo celebrante: sive Presbyteri unâ cum Episcopo celebrarent (cujus rei vestigium habemus quando ipsi ordinantur), sive simpliciter adstarent. „Et quia Episcopus aliquandò defatigabatur, concedebat diacono, ut Corpus Domini cæteris clericis porrigeret. Unde factum est, ut consentientibus vel dissimulantibus Episcopis, diaconi Eucharistiam Presbyteris etiam ministrarent: quem abusum tollendum è medio Concilium curavit, quòd hinc Diaconi insolentiores effecti sese audebant Presbyteris anteponere." Azor, Instit. Moral. t. I. l. 11. c. 33).

Scholion ad solvendas difficultates

1°) Objicitur Hieronymus, qui in epistolâ ad Evangelum (al. Evagrium), Migne, XXII, 1193, vocat „diaconos mensarum et viduarum ministros", ad eosque humiliandos rememorat occasionem primæ ordinationis diaconorum: „Sciant quare Diaconi constituti sint; legant Acta Apostolorum, recordentur condotionis suæ."

Resp. a) Quia tunc diaconi Romæ nimia sibi arrogabant, v.g. o in domesticis conviviis benedictiones Presbyteris dabant", ut ipse hic narrat, ideoque hic omisso fine principali et nobiliore institutionis diaconorum,

attingit tantùm finem secundarium, qui occasio fuit Apostolis exsequendi mandatum Christi illo tempore potiùs quam alio, urgente necessitate (nam fieri sæpè ex adjunctis potest, ut finis secundarius sit urgentior quam primarius). Quemadmodum oratores solent, Hieronymus id seligit, quod suo proposito faveat, et ad frangendam insolentiam, contemptum adhibet.

b) Cæterùm in ultima phrasi corrigit et complet ante dicta, asserens: „Quod Aaron et filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri et Diaconi vindicent in Ecclesiâ." At Levitæ habuerunt functiones sacras altaris. Cf. alia verba Hieronymi supra p. Et ipse Hieronymus in sua ecclesiâ ad præsepe Domini in Bethleem commiserat diacono Sabiniano, ut pro munere suo diaconali in functionibus sacris Evangelium legeret, sicut narrat ipse in epist. ad Sabinianum n. 6 (Migne XXII. 1200): „Evangelium Christi quasi diaconus lectitabas."

2°) Cyprianus scribens ad Rogatianum episcopum, à quodam diacono arrogantèr tractatum, et quærens varias considerationes quæ possint aliquid facere ad illam arrogantiam retundendam, hanc inter alias profert: „Meminisse diaconi debent, quoniam Apostolos, i.e. Episcopos et præpositos, Dominus elegit, diaconos autem post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatûs sui et Ecclesiæ ministros." — Scilicet Christus ipse personaliter „elegit" et ordinavit primos Episcopos, neminem autem diaconum elegit et ordinavit ipse in terris degens. Hinc quidem habetur aliquod accidentale discrimen (cf. supra p. 33.) in favorem Episcopatûs, quo ampliùs commendatur et nobilitatur (quod sufficit ad scopum Cypriani); nihilominùs de jure divino, imò de institutione Christi ipse diaconatus et potest esse (cùm Apostoli ordinantes diaconos potuerint esse meri executores rei præfixæ et institutæ à Christo), et est, ex argumentis traditionis quæ attulimus. — „Non magis

hunc sequitur, Diaconatum divinâ institutione destitui, quam si quis effutiret Confirmationem aut Extrem. Unctionem vera ideò sacramenta non esse (ex defectu institutionis per Christum), quia ea per se Christus non legitur contulisse." Droven, de re sacram. l. 8. p. 2. s. 4.

3°) Nullius est auctoritatis doctrina Concilii Quini-sexti seu Trulloni (anno 692), duo esse diaconorum genera, unum merè destinatum mensis et eleemosynis, institutum ab Apostolis Act. VI, alterum sacris mysteriis destinatum. Nam a.) nititur falsæ interpretationi S. Chrysostomi, qui solum nomen diaconorum dicit initio defuisse; b.) Concilium istud constabat ex Episcopis schismaticis, non fuit receptum nec à Summo Pontifice Sergio confirmatum; c.) apertè dicit Synodus se hæc docere "adversùs doctrinam antea expositam"; quare non est in hoc testis Traditionis.

4°) Anacletus et Damasus dicunt esse duos tantùm ordines, scilicet in sacerdotio stricte dicto, Episcopatum nempe et presbyteratum, ad exclusionem Chorepiscoporum, ut ex contextu apparet: nihil inde contra diaconos. Cæterùm illa documenta sunt spuria, fabricata multò postea ab adversariis chorepiscoporum (cf. supra p. 162, segg.).

5°) Obj. "Potestas ordinis ea est, quæ vi consecrationis personæ tenditur ad faciendos aliquos actus sacros, quos non-consecrati facere non possunt. Atqui talis actus nullus assignari potest in diaconis. Ergo."

Resp. Nego Min. Nam a.) quoad baptismum, etiam omissâ sententiâ minùs recepta minùsque probabili, quæ cum Cellotio docet, aliquo sensu diaconos dici posse baptismi ministros ordinarios (cf. Berti de theol. disciplinis l. 31. c. 11), saltem hoc ab omnibus admittitur, diaconos vi sui ordinis posse extraordinariè ex delegatione episcopi vel parochi, baptizare solemniter; et jam in primis Ecclesiæ temporibus id factum esse, testatur Conc. Illiberitanum (anno 306,

cf. Hefele t. 1. p. 166), can. 77: "Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit", scil. confirmationem tantùm addere, quæ olim solebat administrari simul cum baptismo, ut perfectivum seu complementum baptismi. Testatur ipse Hieronymus, dial. contra Luciferianos n. 9 (Migne XXIII. 164): "Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè à majoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem S. Spiritûs manum imposituros excurrat", scil. confirmaturus eos. Et vetus "Ordo Romanus" ostendit, Diaconos in Sabbato Sancto præsertim baptizasse, quod fortasse eis indulgebatur propter multitudinem quæ illâ die ad baptismum solemnem confluebat. — Ex aliâ parte, nunquam concessum est, ut alii inferiores ministri, qui consecrationem diaconalem non haberent, baptismum solemniter administrarent. — Pariter c) de distributione Eucharistiæ; ex antiquissimis documentis apparet hoc munus fuisse diaconorum cf. Justinium (supra p. 21), Pc. Sanè hoc habent secundariò nec sine aliquâ delegatione, ac proinde potuit hoc munus multùm restringi ab Ecclesiâ. Itaque (ut observat Azorius, l. cit.) "procedente tempore, Diaconis abrogata est facultas (generalis) corpus Domini cæteris etiam laicis porrigendi, quamvis sit illis potestas relicta distribuendi sanguinem: hic enim cùm ministraretur in calice, necesse non erat ut a Diacono tangeretur, ut necesse erat corpus dominicum ab eo tangi cùm illud cæteris præbebat." Hæcque remanserat veluti quotidiana potestas diaconorum, jam non potuit remanere,

abrogato usu calicis quoad laicos aliosque non sacerdotes. Remanet tamen semper, quod ex delegatione possint in ecclesiâ distribuere corpus Domini ut ministri extraordinarii: quod nemini unquam concessum est, consecrationem diaconalem non habenti. — Et tandem generatim in ministerio altaris, solus Diaconus est quasi proximus et immediatus sacerdotis minister; alii possunt quidem ministrare sed remotius tangere vasa sacra sed non quandò in eis actualiter Eucharistia continetur.

Dices: Non probatur, hoc fuisse consecrationi diaconali alligata ab ipso Deo, potuerunt alligari ab Ecclesiâ: ergo non probatur illa potestas ordinis, quæ est de jure divino (cf. supra p. 102). — Resp. Nego ant.: nam argumenta thesis jam probarunt, diaconatum de jure divino distingui ut aliquod ministerium specialiter sacrum, ut participatio aliqua sacerdotii, sicut olim in Sextis. Ergò debent esse actus aliqui specialiter sacri, qui jure divino diaconis reservantur. Sed nulli magis possunt assignari, quam ii quos assignavimus circa Baptismum et Eucharistiam: qui actus et antiquissimè in diaconis, et nunquam in aliis (nempè inferioribus diacono) apparent. Alii sunt actus, qui fuerunt reservati diacono ab Ecclesia, quod appareret ex ipsa eorum posteriori seu tardiori introductione aut reservatione (de quâ historicè constat), vel ex eorum totali deinceps abrogatione. Alii tandem possunt esse diaconorum antiquæ prærogativæ, quarum origo sit dubia; sicut et in aliis ordinibus.

Ait Durandus: Ordo institutus est ad consecrandum corpus Christi, seu, potestas ordinis est potestas ad consecrandum corpus Christi. Atqui diaconi non possunt consecrare corpus Christi. Ergò non habent veram ordinem, veram potestatem ordinis. — Resp. Dist. Maj: ad hoc etiam. Conc.; ad hoc tantum,

Nego. Ipse Catechismus Romanus, qui dicit p. 2. c. 7. n. 11: "Ordinis potestas ad verum Christi Domini corpus in sacrosanctâ Eucharistiâ refertur", — addit tamen: "Verùm ordinis potestas non solùm consecrandæ Eucharistiæ vim et potestatem continet: sed... cætera omnia complectitur quæ ad Eucharistiam quovis modo referri possunt." Atqui v. g. distributio Eucharistiæ, cujus potestatem habent diaconi, sanè refertur ad Eucharistiam. — Cf. supra p. 6.

Instat: Potestas ordinis spectat ad Sacramenta validè conficienda. Atqui nullum est sacramentum quod validè conficiat diaconus, ad exclusionem ministri inferioris, vel laici. Ergò. — Resp. Dist. Maj.: spectat ad hoc etiam et præcipuè, Conc: ad hoc tantùm, Nego. Quandò agitur de conficiendis Sacramentis, quoniam ibi habet partes suas ipsa jurisdictio (cf. thes. III, 4ª p.), tunc ad distinguendas in eâ re partes jurisdictionis et partes potestatis ordinis, dicitur, jurisdictionem spectare tantùm ad Sacramenta licitè conficienda, potestatem verò ordinis spectare etiam ad validè conficienda. Sed non debemus restringere ad hoc objectum potestatem ordinis propriissimè dictam, seu potestatem sacri ministerii quam Deus alligavit alicui speciei personarum consecratarum, seu alicui gradui consecrationis.

Demonstravimus, esse tres gradus sacros Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum, jure divino institutos; nullum dari supra in hierarchia or-

dinis. Utrum detur alius gradus infra de jure divino, melius examinabitur in ultimâ disputatione, et est questio minoris momenti. Sufficiunt quæ probavimus, ut certò constet de existentiâ hierarchiæ ordinis: ad alteram hierarchiam festinemus.

Disputatio iij

De subjecto potestatis jurisdictionalis in Ecclesia, seu de hierarchia jurisdictionis.

Quemadmodum in hierarchia ordinis incepimus a supremo gradu, scilicet episcopali, ex quo ad inferiores postea descenderemus, sic in hierarchia jurisdictionis incipiemus à supremo gradu, qui est Romani Pontificis. Primatum jurisdictionis, seu supremum jurisdictionis gradum quem habet ipse solus in Ecclesiâ, vindicabimus: summam autem potestatem magisterii, quæ in Primatu etiam includitur, ac proinde quæstiones de infallibilitate Pontificiâ, prorsus omittemus utpote distinctas & separabiles, et ad tractatum de Ecclesiâ pertinentes: cf. thesim IV. supra. — Ordinem sequemur Concilii Vaticani, in constit. " Pastor Æternus": primùm de institutione primatûs jurisdictionis in Petro Apostolo, deinde, de perpetuâ duratione primatûs illius in Petri successoribus, Romanis Pontificibus; denique,

de vi et ratione illius primatûs, de modo quo concipi debet, de quibusdam ejus consectariis. Plures theses versabuntur circa hanc materiam, cùm sit summi momenti, sicut advertit Bellarminus (præfat. in lib. de Sum. Pont.): « De quâ re agitur, cùm de Primatu Pontificis agitur? Brevissimè dicam, de summâ rei Christianæ. Id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutiùs consistere, an verò dissolvi et concidere. Quid enim aliud est quærere, an oporteat ab ædificio fundamentum removere à grege pastorem, ab exercitu imperatorem, solem ab astris, caput à corpore, quàm, an oporteat ædificium ruere, gregem dissipari, exercitum fundi, sidera obscurari, corpus jacere? Porrò adversarii, i.e. hæretici, cùm in aliis fere dogmatibus non minùs inter se quam à nobis dissentiant, in hoc tamen omnes conveniunt, ut totis viribus summaque animi contentione Romani Pontificis Sedem oppugnent. Nulli fuerunt unquam hostes Christi atque Ecclesiæ, qui simul cum hac Sede bellum non gesserint. »

Thesis IX.

Ex Scripturâ demonstratur, B. Petrum jure divino primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam accepisse – 2) directè et immediatè.

St. 2. In hac thesi, præscindimus utrùm primatus in Petro institutus debuerit esse perpetuus in quibusdam successoribus post mortem Petri, et utrùm hi successores sint Pontifices Romani.

« Primatus » est primus gradus: si primus

gradus in Ecclesiâ datur alicui individuo v.g. Petro, eo ipso omnes ceteri, etiam Apostoli, pronuntur post eum. Primus autem gradus potest intelligi in diversis ordinibus seu liniis. Hinc v.g. distingui potest "primatus jurisdictionis", scilicet supremus gradus jurisdictionis seu auctoritatis socialis (cf. supra p. 50, segg.), et merus "primatus honoris"; quo quis praestet aliis non auctoritate seu potestate praecipiendi et obligandi, sed tamen aliquâ praeeminentiâ quoad actus honorificos, v.g. si privilegium habeat primum occupandi locum in sedendo, incedendo, &c., ita ut ipsi major debeatur reverentia, etsi non obedientia.

Jam verò cum Concilio Vaticano (Constit. "Pastor aeternus c. 1."), ex quo thesis nostra est de fide definita, dicimus "B. Petrum Apostolum esse à Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput"; eum scilicet "non honoris tantùm sed verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem D.N.J.C. directè et immediatè accepisse." Ut notat Card. Mazzella de Eccl. n. 849, "in doctrinâ catholicâ uterque primatus Petro est asserendus; at in primatu honoris vindicando non est cur immoremur: ex primatu enim jurisdictionis tota ratio primatûs etiam honoris in Petro exsurgit, seu potiùs haec in illo continetur: qui enim supremam in omnes jurisdictionem habet, eo ipso prae omnibus supremum teriet honoris ac dignitatis locum."

Adverte, ad primatum honoris (seu ordinis, ut aiunt alii) reduci posse alios quosdam primatus qui pariter possunt esse sine ullâ jurisdictione: talis est v.g. primatus auctoritatis merè directivae, non praeceptivae, cujusmodi prae

eminentiam in negotiorum directione habent in aliquâ communitate seniores et prudentiores; vel primatus excellentiæ, illius proprius, qui superioritatem ingenii vel eruditionis habet in aliquâ materiâ, quo sensu Demosthenes dicitur princeps oratorum. Itaque protestans scriptor Spanheim, ut Patrum effata de Petro honorifica eludat, novem primatûs species Petro benignè concedit, quarum tamen nulla complectitur aliquam jurisdictionem. (Kuster, thes. 69).

Adversarii 1ae partis sunt varii generis: - 1°) Illi, qui cum Lutheró faciunt omnes christianos jure divino pares, cf. supra p. 52; pares etiam tempore Apostolorum. — 2°) Qui fatentur quidem, Apostolos habuisse jure divino auctoritatem præceptivam in fideles, sed faciunt omnes Apostolos pares; nihil Petro reservant. — 3°) Qui Petro præ cæteris Apostolis concedunt aliquem primatum honoris tantùm; vel ob ætatem provectiorem aliamve causam, vel etiam jure divino ex positivâ concessione Christi. Ita plerique Protestantes; ita etiam non pauci Gallicani, Regalistæ, Jansenistæ, &c.

Contra istos omnes, arguemus ex Scripturâ, duplicem locum præcipuè afferentes, quo utitur Vaticanum l. cit. uno, in quo primatus Petro promittitur, altero, in quo confertur. Cujus duplicis loci valorem probatissimum authentice declaravit Concilium: « Docemus et declaramus, juxta Evangelii testimonia primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe B. Petro Apº promissum atque collatum à Christo D. fuisse: » deinde citat locum Evangelii in quo fit promissio, et locum in quo fit collatio. — Uterque locus (ait advertit Card. Franzelin, de Eccl. th. X) etsi non habeat parallelismum verbalem, tamen

habet parallelismum realem; Christus enim voluit ut muneris promissioni planè respondere-ret ejusdem collatio seu institutio, ut videbimus. Propterea ex utroque simul argumentabimur, et textus se mutuò collustrabunt, quamquam etiam separati probarent.

Probatur 1a para.

Ex Matt. XVI. 13, segg., et Joan. XXI. 14, segg. — Præmittamus textuum expositionem parallelam:

Promissio (Matt.):	Institutio (Joan.):
13. Jesus... interrogabat discipulos suos: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii J.-Baptistam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?...	14. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis. Cùm ergò prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his?..

In utroque loco, eadem est persona Christi loquentis; iidem auditores discipuli. In utroque loco Christus interrogat, et provocat aliquam publicam professionem adhæsionis sibi datæ. Hæc professio erit dispositio congrua ad recipiendam vel promissionem vel collationem muneris a Christo intentam. — In 1° loco, provocat ad professionem fidei (utique inclusâ charitate): in 2° loco, ad professionem charitatis (sanè, velut fundamento, suppositâ fide). Fides primùm prostruitur ad promissionem: charitas deinde ad ipsam executionem (ut advertit C. Franzelin, qui citat S. Ignatium M. ep. ad Ephes. n. 14:

"Principium fides, finis verò charitas: hæc autem duo in unum coeuntia à Deo sunt: omnia verò alia ad probitatem consectanea sunt", Migne V. 655). – Ut notat S. Balmieri thes. 3, Christus nonnisi à Petro ante munerum collationem exegit publicam et solemnem professionem fidei vel caritatis, ut ea de congruo mereretur: secernens in hoc quoque ipsum à ceteris Apostolis, ut significaret scilicet, specialibus eum donis et prærogativis cumulatum iri.

16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi."...

15. Dicit ei (Petrus): Etiam, Domine, tu scis quia amo te," &c...

In utroque loco, idem et solus Petrus respondet, hic unâ professione fidei, ibi trinâ professione charitatis. Dua positâ dispositione congruâ,

17. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. 19. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

15. Dicit ei (Jesus): Pasce agnos meos. –
16... Pasce agnos meos.
17... Pasce oves meas.

In utroque loco, ut notat Franzelin ibid. "eadem est persona testificans et instituens, Christus fundator Ecclesiæ, eadem persona, ad quam unam præ aliis omnibus testimonium et institutio refertur, Simon Petrus; idem terminus personarum, præ quibus et super quas Petrus constituitur, ... sub aliis et aliis nominibus: "Ecclesia mea ... oves meæ et agni mei"; idem objectum reale, potestas scilicet eadem promissa ac instituta, sub diversâ licet metaphorâ petræ Ecclesiæ, clavium regni, ... pastoratûs ovilis Christi, idem postremò utrobique finis in promissione et institutione." Manifestus est parallelismus. Nunc ad argumentum:

Arg. 1m. "Quodcumque ligaveris, etc.. Pasce agnos meos ... oves meas.".

Illud, quod Petro promittitur (ab eo cujus promissa non fallunt), deinde etiam confertur, est:

a) Primatus aliquis: nam solus inter fideles et inter ipsos Apostolos Petrus accipit à Christo illam et promissionem et collationem, et sic distinguitur ab omnibus, et aliquo modo fit primus;

b) Primatus jure divino: Nam Christus ipse est immediatus auctor illius primatûs. Non enim dicit discipulis: "Potestis pro lubitu eligere et decernere, utrùm omnes vos pares remaneatis, an è contra unus ex vobis sit primus": sed ipse constituit unum esse primum, imò personam ipse designat. (Cf. supra p. 29, seqq.);

c) Primatus jurisdictionis. Nam hic modus loquendi apud veteres notus, "ligare et solvere", significat jurisdictionem, ut demonstravimus supra p. 57, seqq.; et phrasis: "Quodcumque

ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis" &c. significat jurisdictionem supremam et independentem, nulla humanâ potestate majore interveniente ad solvendum quod ille ligaverit (cf. supra p. 58). – Item, in alio textu, "pascere" (quod hic ponitur indefinite et sine limitatione, ergò secundum totam vim suam) ex antiquo usu etiam significat jurisdictionem, imò supremam (cf. p. 57): et solus Petrus audit à Christo: "Pasce agnos, pasce oves meas"; scil. universam Ecclesiam, quam Christus bonus Pastor alibi comparat "ovili", ad quam omnes oves "oportet adducere", ut fiat "unum ovile et unus pastor" (Jo. X. 16). – Cf. Palm. th. 3; Hurter th. 74.

Et sic thesis jam constaret, etsi dubium remaneret sensus aliarum vocum: "Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam . . . Et tibi dabo claves regni cœlorum." Quare inhil revera prodest Protestantium stratagema, non satis notatum à multis recentioribus auctoribus catholicis, ut ad frangendam vim nostri argumenti, ante omnia nos injiciant in longas disputationes de illis vocibus, "Super hanc petram", quasi tota vis argumenti inde penderet. Etiamsi enim in illo commate non ageretur de Petro, evidens est quòd de Petro, et de eo solo agitur in reliquo sermone: "Beatus es, Simon Bar Jona . . . Et tibi dabo claves . . . Et quodcumque ligaveris, &c." Et paulo post apud Joannem: "Simon Joannis . . . pasce", &c.

Cæterùm ex illis aliis versiculis nova argumenta desumi pro nostra thesi nunc ostendemus:

Arg. 2^m "Tibi dabo claves regni cœlorum."

Hic datur Petro a) quaedam potestas in omnes fideles qui spectant omnes aliquomodo ad regnum coelorum (quidquid sub hoc „regno" intelligatur); b) ergò aliquis primatus, siquidem solus Petrus ("tibi dabo") omnibus in hoc praestabit. c) Imò primatus jurisdictionis ibi continetur: nam ex usu profano et sacro "dare claves regni" significat dare jurisdictionem, imò plenam et supremam. Victoribus enim tradebantur claves urbis captae, in signum subjectionis. Et Isai. XXII. 21. dicitur de Eliacim: "Et potestatem dabo in manu ejus ... Et dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat." — Quae ultima consonant verbis statim dictis Petro: "Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis (nullo scilicet alio in terris solvente quod ligaveris), et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (nullo alio in terris ligante quod solveris)." Cf. Apoc. III. 7, ubi similia dicuntur de Christo: et in ipso usu profano Veterum, v.g. apud Diodorum Siculum l. I. n. 27: "Ego sum Isis regina ...: quaecumque ego ligavero, nemo potest solvere." — Hinc claves ut signum potestatis gerebantur, v.g. ex humero suspendebantur; et ideò supra dicit Isaias: "Et dabo clavem domus David super humerum ejus": et pariter ait de Christo, IX. 5: "Puer natus est nobis ... et factus est principatus super humerum ejus:" ubi "principatus", res significata, ponitur pro "clavi" quae principatum significat. Cf. etiam Apoc. I. 18. — d) "Regnum coelorum" saepè alibi significat Ecclesiam militantem in terrâ (v.g. Matt. XIII. 47: "Simile est regnum coelorum sagenae missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti, ... bonos ... et malos"; ib. 41: "Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scan-

dala, &c.; cf. Franzelin de Eccl. thes. VII). Idem etiam est sensus nostri textûs, propter immediatum nexum cum sequentibus: « Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ». Ubinam exercenda est illa potestas, quæ sub figura "clavium" traditur Petro? — Super terram. Ergo "regnum" cujus "claves" hic traduntur à Christo, est regnum Christi super terram, est Ecclesia in terris. Est idem igitur, ac si diceret: « Tibi dabo supremam (sub me) potestatem in Ecclesiâ militante in terris. » Ergo.

Plura de hoc argumento apud Palmieri de Rom. Pont. th. I. p. 261; et maxime apud Passaglia, de præroogat. B. Petri, l. 2. n. 108–116.

Arg. 3m. " Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo (οἰκοδομήσω) Ecclesiam meam."

Ex hoc etiam versiculo probatur nostra thesis, si hæc "petra", super quam Christus ædificabit Ecclesiam suam, est ipse Petrus.

Atqui hæc "petra" est ipse Petrus. Ergo.

Probo Maj. Si Petrus ipse est "petra super quam ædificatur Ecclesia", Petrus est fundamentum ædificii Ecclesiæ. — Jam verò sub hâc imagine duo continentur: 1) Id quod Christus hic vocat "Ecclesiam meam", debet esse societas quædam visibilis et una ex connexione omnium membrorum, nam hæc omnia dicit comparatio ædificii seu domus. Etiam alibi in Scripturâ, Ecclesia vocatur "domus" in quâ conversamur (I. Tim. III. 15), quam Spiritus S. "inhabitat", cujus fideles sunt "lapides", et quæ tandem « Dei ædificatio est ". — 2) Illa societas visibilis refertur ad Petrum, sicut ædificium ad fundamentum. Qualis verò sit ejusmodi relatio (ait P. Kuster thes. 70), perspicuum est ex simplici analysi metaphoræ fundamenti, ex quâ liquet, triplicem esse

habitum dependentive ædificium inter et fundamentum. Ædificium enim a) ex fundamento suam mutuatur firmitatem: ideò enim non corruit sapientis architecti domus irruentibus in eam pluviis, fluminibus ventisque, quia "fundata erat super petram" (Matt. VII. 25); nec b) alibi esse potest ædificium, nisi ubi est fundamentum, ex quo etiam c) suam habet unitatem. Quare et Ecclesia ex Petro fundamento suam habet unitatem et firmitatem, adeò ut sejuncta à Petro esse nequeat ... Atqui nequit triplex hic habitus Ecclesiæ ad Petrum concipi citra verissimum potestatis (jurisdictionis) primatum: neque enim ad Ecclesiam in unitate conservandam, continendam, firmandam sufficit umbratilis ætatis, vocationis, honoris &c. primatus, quem somniant adversarii." Sane potestas jurisdictionis (legifera, judiciaria, coactiva) est solum efficax & permanens principium unitatis et firmitatis seu stabilitatis in magno aliquo ædificio sociali: quare si quis homo (eo ipso quod assimilatur fundamento ædificii) dicitur permanenter communicare toti ædificio sociali unitatem et stabilitatem, intelligi debet, illum hominem instrui supremâ jurisdictionis potestate. — Hujus potestatis, collatæ Petro, finem esse stabilitatem Ecclesiæ in unitate, deduximus ex ipsa metaphorâ fundamenti: sed hoc etiam colligitur ex connexione cum sequentibus in textu: "Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam." Ex usu antiquo Orientis, ad portas civitatis, vel regii palatii, erat forum in quo jurisdictio exercebatur: cf. Deuter. XXI. 19, XXII. 15, XXV. 7, &c. Hinc per synecdochen "portæ" apud Orientales significaverunt potestatem. Ita ipse protestans Rosenmüller

interpretatur hunc locum (Scholia in N. T.): " Πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Quam (meam ecclesiam) nulla ne potentissimorum quidem hostium vis destruet. Αὐτῆς refer ad vocem præcedentem ἐκκλησίαν. Πύλαι ᾅδου, tartareæ potestates, consultationes et molimina diabolorum, tyrannorum, et hostium Ecclesiæ. Nam שַׁעַר, cui πύλη respondet, notat ejusmodi portam, ubi habetur judicium, vel imperium, aulam principis, dominandi potestatem: unde Regia imperatoris Turcarum (seu potius gubernium Turcicum). Porta nuncupatur: ᾅδης autem ... est orcus, tartara, tota umbrarum respublica ... Κατισχύειν τινος, prævalere adversùs aliquem, vi opprimere aut evertere. Facile perspicitur, Christum, his verbis, Ecclesiæ suæ policeri securitatem ab interita." — Cf. Palm. p. 257; Passaglia l. 2. n. 98-106.

Probo Min. Verba "hanc petram" referri ad Petrum, apparet ex sequentibus probationibus:

a) In linguâ quâ Christus tunc locutus est, pro "Petro" debuit esse "Cephas", ut constat ex Joanne I. 42, ubi Christus Simoni ad se primùm accedenti jam prænuntiat mysteriosum illud nomen: " Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas", et addit Evangelista "quod interpretatur Petrus." Vel potiùs, suppressendo desinentias quas Græci et Latini ex ingenio suarum linguarum addiderunt huic nomini, Cephas, Cephæ (Galat. II. 14), &c., Christus debuit ipsi dicere: " Tu es Kepha, et super hoc Kepha ædificabo Ecclesiam meam": seu, ut latinè loquamur: " Tu es saxum, et super hoc saxum ædificabo Ecclesiam meam." Lingua enim syro-chaldaica, quâ ibi usus est Christus, pro saxo dicit Kepha, neque ullas desinentias aut agnominationes habet, quare

idem prorsus nomen debuit exprimere et saxum seu petram, et Petrum. Quod inter alios Protestantes fatetur Beza (Théodore de Bèze) in h. l.: « Dominus syriacè loquens, nullâ usus est agnominatione, sed utrobique dicit Cepha: quemadmodùm et vernaculum nomen Pierre tam de proprio quam de appellativo dicitur. » Similia habet Rosenmüller l. cit. Duæ antiquæ illæ versiones, quæ indole suæ linguæ magis accedunt ad linguam quâ Christus usus est, ipsæ habent etiam idem utrobique nomen. « The Syriac version of the New Testament (ait Episcopus catholicus Kenrick, in egregio opere « The Primacy of the Apostolic See » l. 1. c. 2) is deservedly of high repute, on account of its early date, and of the near affinity between the Syriac language and the Syro-Chaldaic, which our Lord used, and in which, according to the more probable opinion, St. Matthew wrote his Gospel. In this version, the words « Peter » and « Rock » are expressed by the same characters: Anath Chipha, vehall hada Chipha. » Adjicit et antiquam Arabicam versionem, in quâ idem est etiam utrobique nomen. Idem esse in versione Armena, Æthiopica, Coptica, Persica, Chaldaica, testatur P. Hurter, thes. 70. — De linguis nostris Europæis DD. Kenrick hæc notat: « In English, the force of the allusion is not perceived (Thou art Peter, and upon this rock...): but in French it is preserved: Tu es Pierre et sur cette pierre... The Greek, Latin, Italian and Spanish imperfectly exhibit it. The German, as well as the English, conceals it. »

His positis, sic ratiocinamur cum Card. Mazzella n. 856: Quando idem nomen usurpatur in duobus incisis immediatè conjunctis, idem objectum in utroque inciso significat, nisi di-

versa suppositio nominis ex appositis vel ex indole subjecti erui possit: id exigit communis loquendi usus, necessariumque est ne audiens aut legens in errorem inducatur. — Sed, praeterea, in contextu est ratio omninò exigens identitatem suppositionis « petrae » in utroque inciso. Nam adhibetur pronomen demonstrativum: « et super hanc petram ». Jam verò pronomen "hanc" debet necessario referri ad petram illam quae sit proximè nominata: at petra proxime nominata non alia est, quam petra quae sit Petrus: « Tu es Kepha, et super hoc Kepha aedificabo Ecclesiam meam. » Imò nisi pronomen ita referatur, nullum est subjectum in toto anteriori contextu, ad quod possit referri: nihil enim in eo (contextu) est, quod sub petrae conceptu fuerit exhibitum (nisi ipse Petrus).

Mira est quorumdam Protestantium inventio: dicunt nempe, Christum digitum ad seipsum intendisse, ac proinde, cum dixit: « Super hanc petram », seipsum designasse. — At omnes hermeneuticae regulae pessumdarentur, si tales motus digitorum, mutantes omninò naturalem sensum verborum, fingere pro lubitu liceret! Deinde figmentum istud aliis probationibus evertitur, quas statim damus. (Cf. Palm. coroll. 6, p. 235.)

b) Ex illo inciso: « Tu es Petrus (seu Cephas). » Hic Christus evidenter alludit ad hoc factum, quod ipse imposuerit hoc nomen Simoni (Joan. I. 42), ejusdemque impositionis nunc revelat mysterium. Sicut Gen. XVII. 5, postquam Deus dixit: « Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abrahae », addit rationem mutati nominis: « Quia patrem multarum gentium constitui te »: ita in nostro textu ratio mutati nominis et novae appellationis « Petri » redditur

inciso sequente: « Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam »: ergò hæc petra necessariò dicitur de Petro, ad explicandum ejus novum nomen. - Alia exempla, quòd Deus soleat ita reddere rationem nominis impositi, habes in Gen. XXXII. 28, Matt. I. 21, etc.

At in hypothesi adversariorum, Christus diceret: « Tu a me vocatus es Cephas, sed revera non eris Cephas, non eris Saxum; aliud subjectum, à te distinctum erit Cephas, erit saxum super quo ædificabo Ecclesiam meam »: quæ esset amara irrisio erga Petrum. Atqui hic certè Christus Petrum non sibi irridere, sed è contra remunerare et exaltare, ex contextu, ex immediatè præcedentibus: « Beatus es, Simon Bar-Jona, &c. » Dicisti mihi: Tu es Christus, filius Dei vivi. « Et ego (vicissim) dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram », &c. - Ergò interpretatio adversariorum repugnat contextui.

c) Ex immediatè sequentibus, ibi Christus enumerat prærogativas quæ evidenter dicuntur omnes de Petro non de Christo: « Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris » &c. Ergò etiam dicitur de Petro prærogativa contenta in hoc inciso: « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ». Intime enim cohærent singula incisa (ait P. Hurter l.c.), unamque efficiunt ratiocinationem ad eundem directam, alioquin sermo esset salebrosus minimeque cohærens, si sæpius fieret subjecti mutatio quin id significetur.

d) Quare habemus nobiscum consentientes fere omnes celebriores interpretes protestantes modernos, ut advertit ipse protestans Bloomfield in h.l.: « Almost every modern expositor of note has abandoned the distinction between Peter and rock as untenable. » - Gerard, Institutes of Biblical Criticism, canon 5th: « The connexion shows that

Peter is here plainly meant.» Cui testimonio hanc notam subjungit DD. Kenrick: «Such is the language of this text-book of many Protestant Colleges and Theological Institutions, both in this country (America) and in England.» — «Mr Thomson, of Glasgow, in his Monotessaron", ait in l. l.: «Peter was the rock on which Christ said His Church should be built. To this the connexion and scope of the passage agree .... Protestants have betrayed unnecessary fears, and have, therefore, used all the hardihood of lawless criticism in their attempts to reason away the Catholic interpretation.» — Episcopus anglicanus Marsh («Comparative view", Append. note D) vituperat theologos Lutheranos et Calvinistas, praesertim veteres, quod hunc textum torserint: «Both the Lutheran and the Calvinist divines, from the very commencement of the reformation, had recourse to the uncritical expedient of torturing the words of our Saviour to a meaning which they cannot convey. ... It seems a desperate undertaking to prove that our Saviour alluded to any other person than to St Peter; for the words of the passage can indicate no one else.» Alios plures Protestantes, praesertim Germanos, citat Passaglia l. 2. c. 4, n. 64, seqq. —

Ex dictis sequitur, nihil valere quorumdam Protestantium interpretationem ex graeco deductam. Graeci duplicem habent vocem ad designandum saxum, unam masculinam πέτρος (quae variis adhibetur), alteram femininam πέτρα. Jam verò (aiunt isti), secundum proprietatem verborum, πέτρα est rupes, in quâ solidè aedificari potest domus: πέτρος verò potiùs est lapis qui projicitur et volvitur («un caillou»), super quo certè aedificari non potest (cf. II. Macchab. I. 16, IV. 41). Ergo Christus dicendo: Σὺ εἶ Πέτρος, potiùs negavit Petrum esse fundamentum Ecclesiae, eique opposuit πέτραν super

quam Ecclesia ædificabitur. Et sic vertunt anglicè: "Thou art a stone, and upon this rock" &c. — Resp. α). Evertitur istud argumentum ex iis quæ diximus de textu primigenio "Kephha", et de toto contextu loci, — β). Ratio optima redditur, cur græcus interpres verborum Christi posuerit illud discrimen verborum in utroque inciso. Dixit ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ (non πέτρῳ), quia πέτρα apud Græcos est voce multò usitatior, et est aptior ad solidam rupem significandam. Nihilominus dixit: Tues Πέτρος, quia usitatum nomen Apostoli, quod explicandum veniebat, apud Græcos est Πέτρος; quia Græci nunquam, nisi derisionis causâ, nomen femininum viro applicant. Quare hic, ut ait ipse Beza l. c., "πέτρος et πέτρα terminatione tantùm differunt." Πέτρος sumitur per modum nominis proprii (ut latinè Petrus), ita tamen ut πέτραν connotet tanquam originem et rationem talis appellationis viri; quæ origo ex affinitate vocum satis apparet, nec mutatione desinentiæ absconditur. Nobis consentiunt in hac explicatione eruditi è protestantibus interpretes Bengel (Gnomon N. Testamenti, in h. l.), Dodwell (Dissert. Cyprianic., Diss. 7. n. 31), Rosenmüller in h. l., Knabel in h. l.: quorum verba habes apud Passaglia l. c.

Objectiones contra 3^m argumentum (Nota bene, eas intacta relinquere alia argumenta):

1°). Etsi concedatur, sensum obvium illius "petræ" esse de Petro non de Christo tamen à sensu obvio discedendum est, ubi cogit alia Scriptura, nam textus debent inter se conciliari — Atqui cogit alia Scriptura: nam 1) dicitur I Cr. X. 4.: "Petra autem erat Christus"; et maximè 2) dicitur ib. III. 11: "Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est

Christus Jesus." – Ergò.

Resp. Nego Min., quòd hi textus nos cogant ad discedendum à sensu obvio Matt. XVI. 18. – Nam

1us textus evidenter non versatur circa idem objectum: non agit de petrâ fundante Ecclesiam sed de petrâ per quam miraculosè biberunt Israelitæ in deserto. "De spirituali petra Israelitas bibisse dixerat Paulus (ait S. Cornely in h. l.), et quæ hujus spiritalis petræ natura sit, explicare vult; metaphorico igitur quodam sensu nomen petræ adhibet, ut eum designet, qui effecit, ut petra hæc contra suam naturam aquas scaturiret. Sensus igitur est: Ille, qui ex petrâ Israelitis aquas dedit, erat Verbum incarnandum, i. e. Jahve, qui per totum peregrinationis tempus Israelitis semper adfuit, eos semper comitatus est, semperque providit ne eis unquam aquæ necessariæ deessent (Bibebant de spirituali consequente eos petrâ)." Cf. et segg. in eodem auctore.

Ad 2m textum, respondeo dupliciter:

a) Etiam dato, quod ibi Christus dicatur "fundamentum" sub eâdem generică ratione sub quâ probavimus Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, scil. sub ratione supremæ potestatis jurisdictionis, nihil contra nos. Christus solus est Ecclesiæ fundamentum principale, fundamentum virtute suâ, ex se: proinde potest vocari solum fundamentum, sumendo hanc vocem antonomasticè. Sicut ipse ait (Luc XVIII. 19): "Nemo bonus, nisi solus Deus": et tamen sunt alia bona per participationem à Deo. Et dicit de se (Jo. VIII. 12): "Ego sum lux mundi": tamen alibi de suis discipulis ait (Matt. V. 14): "Vos estis lux mundi." – Auctoritas, quæ

figuratur per «fundamentum» societatis, dicitur analogicè de Rege et de ejus Vicario: inde aliquo sensu dici potest: «Nulla est alia auctoritas in Regno, nisi Regis»: et alio sensu: «Vicarius Regis, qui in Regis absentiâ regnum totum gubernat, habet verè supremam auctoritatem, in quâ fundatur tota societas.» Sic Petrus habet supremam auctoritatem, scilicet ut Vicarius Christi cui «data est omnis potestas in cœlo & in terra.» Et hæc annotatio inservit ad plura solvenda.

c). Revera, in textu Pauli, Christus dicitur «fundamentum» sub aliâ ratione generică, et sensu omninò disparato, qui proinde non contradicit ut adversarii supponunt. Christus» nempe, sumitur ibi objectivè pro «doctrinâ circa Christum Deum», non subjectivè pro ipsâ Christi personâ. Et doctrina illa de Christo dicitur esse fundamentum, cui tota reliqua prædicatio Christiana debet innitii. Hoc patet ex toto contextu, et maxime ex vers. immediatè præcedentî, in quo ait Paulus de illo fundamento quod solum poni potest: «Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui.» Atqui Paulus Christum non potest ipse ponere in fundamentum, nisi «Christus» objectivè sumatur. E contra in Matthæo XVI. «Petrus» sumi nequit objectivè, pro «doctrinâ de Petro», quasi hæc doctrina esset fundamentum fidei vel Ecclesiæ: hoc neque ipsi Protestantes volunt, nec concordat cum textu: "Tu es Petrus (subjectivè spectatus), et super hanc petram (super hoc idem subjectum) ædificabo (ego architectus divinus) Ecclesiam meam."

Ergo textus illi omnes optimè conciliantur, quin discedatur à sensu obvio Matth. XVI.

2°). Patres multi citantur ab adversariis, qui videntur interpretari contra nos verba "super hanc petram." Sed ex eo catalogo nobis adverso:

a) Tollendi sunt illi Patres, qui sensus evidenter accommodatitios proferunt. Sta in aliquo loco Origenes. « Tota commentatio Origenis in Matth. XVI. (ait Card. Franzelin de Eccl. thes. X) excurrit in sententias singulis fidelibus aptas ad institutionem morum. Unde per accommodationem, sive extensionem quandam, portas inferi interpretatur peccata, claves regni cælorum virtutes, atque secundùm eamdem methodum petram dicit quemlibet fidelem, quatenùs in fide et virtute perseverat; ecclesia verò ei est congregatio cogitationum, verborum et operum sanctorum. .... Risu dignus foret, qui inde contenderet hunc sensum proprium illis Christi verbis subesse... Ex Origene hæc similia desumpsit Ambrosius in Luc. l. VI. n. 98, moralia scilicet præcepta accommodando, non theologicam doctrinam interpretando." – Similia habet et Aug., tract. 124 in Joan. –

b) Tollendi sunt et non pauci Patres, qui "petram" exponunt de fide Petri, vel confessione Petri. Ubi non intelligunt tantùm illam professionem fidei transeuntem, quam provocante Christo, Petrus edidit antequam munus acciperet, sed præsertim professionem fidei permanentem, quæ continetur in ipso munere Petri, quatenùs per magisterium et jurisdictionem magisterio annexam, veram fidem in Ecclesiâ conservat, hæresesque coercet. Hoc dicunt esse fundamentum Ecclesiæ, nec nos contradicimus. Non negant illi, Petrum esse petram, sed sumunt Petrum quatenùs confitentem, quatenùs proclamantem fidem. Ita S. Aug.

in Ps. 69 n. 4: « Petrus cum confessus erat Filium Dei, et in illâ confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia. » Inculcant, Ecclesiæ fundamentum esse Petrum non carnaliter, seu naturaliter consideratum, sed supernaturaliter in exercitio illius fidei, illius muneris. Sta S. Ambrosius de Incarn. c. 5: « Non enim de carne Petri sed de fide dictum est, quia portæ mortis ei non prævalebunt; sed confessio vicit infernum... Adversùs omnes hæreses debet valere Ecclesiæ fundamentum. » Agitur ergò de confessione non transeunte sed permanente. Item S. Epiphanius hæres. 59 n. 7: « S. Petrus... factus est nobis verè solida petra... Confessus est Christum Filium Dei vivi, et audivit, super hanc petram infallibilis fidei ædificabo Ecclesiam meam. » S. Leo serm. 3. n. 2. in assumpt. suâ: « Cùm ego sim inviolabilis petra... tamen tu quoque petra es, quia meâ virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Super hanc fortitudinem æternum extruam templum, et Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget. » — Benè advertit P. Hurter thes. 71: Licet, dùm nonnulli Patres (v. g. Hieron. c. Jovin. n. 35, Ambros. de interpellat. Job l. I. c. 5. n. 15) dicunt, super aquas Petri corpus non ambulasse, sed fidem, non negant Petrum verè aquis inambulasse, sed tantùm significant, virtuti fidei miraculum tribuendum esse: ita quoque Patres dùm Ecclesiam super Petri fidem vel confessionem fundatam prædicant, super Petrum fundatam non negant. » — Neque hi Patres loquuntur de fide abstractè seu objectivè sumpta, prout in se concipitur recta fides et prædicatio: sed semper in concreto, et per relationem ad Petrum, quatenùs Petrus in suâ illâ fide fieret Ecclesiæ fundamentum. Et illæ explicationes supponunt primatum

Petri; si non explicitè, at certè implicitè eum dicunt. Denique adverte, hunc modum interpretandi incepisse post ecortum Arianismum. Ostendere volebant Patres (v.g. Hilarius de Trin. l. 6) Arianos nullam habere partem in potestate datium, seu in juribus Petro concessis: et hoc inter alia eo probaverant, quia Ariani non adhærebant Petro confitenti fidem veram de Christo, sed Christum Deum negabant. Fundamentum Ecclesiæ est Petrus confitens Christum: ipsi erant extra fundamentum, ergò extra Ecclesiam. Patres illi contra istam formidabilem tunc hæresim undique arma quærebant: aliunde nulla tunc vigebat controversia de prærogativis Petri: unde eas faciliùs poterant implicitè tantùm attingere. Et ex eisdem plerique alibi explicitè rem nostram tradunt (v.g. Hilarius in Matt. XVI). Cf. Henrick c3; Cercia, lect. 7, 8; Franzelin ths. X, I, 2°.

c) Tollendi sunt et illi Patres, qui ita "petram" dicunt esse Christum, ut non excludant imò includant Petrum, simul cum Christo, participativè petram Ecclesiæ. Sta v.g. S. Maximus Taurinensis, hom. 1. in natali SS. Petri et Pauli: « "Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit. Ut enim, sicut Ap. Paulus docuit, petra erat Christus: ita per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: Tu es Petrus, &c." - Cf. S. Leonem supra cit. - Nec mirum est, quòd in hoc textu Christum videant cum Petro. Sanè, non potest Petrus esse petra Ecclesiæ, nisi quatenùs hanc prærogativam ei largitur Christus princeps petra, "lapis angularis" &c. Ergò, eo ipso quòd Christus Petrum constituit Ecclesiæ petram, indirectè et implicitè significat seipsum esse principem petram Ecclesiæ. Sic multi textus qui objiciuntur, potiùs confirmant nostram rem, v.g. illud ex liturgiâ mozarabicâ (in Missâ Cathedræ Petri) quod objicit nobis Dr. Langen (apud Palmieri):

"Christe... qui super te firmissimam petram, Petrum et per Petrum Ecclesiam edificasti", &c.

d) Si qui Patres remanent verè adversi nostræ interpretationi horum verborum: "Et super hanc petram", notandum est accuratè (α) eos aliundè admittere Primatum Petri, qui certè non ex hoc solo versiculo probatur; - (β) eos ad summum efficere, ut consensus Patrum non possit invocari pro interpretatione nostrâ illius versiculi. Sed eo consensu non indigemus, cùm Scriptura in hoc versiculo sibi sufficiat, et sensus sit clarus ex regulis hermeneuticæ, quibus nostra interpretatio consonat sola: satis est, ut consensum Patrum non habeamus contra nos, contra quem non licet Catholicis Scripturam interpretari. Ubi verò dividuntur inter se Patres in suis interpretationibus, et aliunde Scriptura benè perpensa cum variis exegeseos adminiculis, unum ministrat sensum intrinsecè probabilem, rationabiliter theologus catholicus adhærebit cum certitudine illi sensui, posthabitâ merè extrinsecâ probabilitate quæ in sententiam oppositam derivaretur ex aliquorum Patrum oppositâ interpretatione: quæ probabilitas merè extrinseca, et illis tantùm habet aliquod pondus, qui rationes intrinsecas non perspiciunt, et præsertim tunc omninò evanescit, cùm Ecclesia Scripturam in judicio solemni interpretans dirimit quæstionem, ut fecit Vaticanum, in quo pluries petra seu "fundamentum Ecclesiæ" (cum evidenti allusione ad Matth. XVI. 18) explicatur de ipso Petro ejusque supremâ jurisdictione et magisterio. - Cæterùm (γ) mirum est quòd Protestantes, qui solent sufficientiam absolutam Scripturæ ut thesim generalem prædicare, Traditionemque nimis despicere, nobis Patres hic opponant, Scripturamque hic

solam sumere nolint; — (S) et quoniam ipsi Traditionem quando sumunt, historice ita sumere solent, ut Patribus antiquissimis potius adhæreant, mirum est quod nobis eos tantum Patres opponant, qui post exortum arianismum interpretati sunt textum illum, sæculo IV et sequentibus: dum Patres Antenicæni solam nostram exhibent interpretationem. Cfr. Hurter. thes 71.

c) A fortiori nos morari non debet interpretatio alicujus Patris, quæ dubitanter prolata fuit: præsertim quando scimus rationes dubitandi non valere — Sic Augustinus dubitat non quidem de ipso primatu quem semper admittit, sed de interpretatione versiculi « Super hanc petram » Vostram interpretationem sæpe deserit; aliquando dat v.g. in Psalmo adv. partem Donati (Migne XLIII. 30):

> Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite. Dolor est, cum vos videmus præcisos ita jacere. Numerate Sacerdotes vel a ipsa Petri Sede, Et in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte: Ipsa est petra quam non vincunt superbæ inferorum Portæ.

Et in lib. I Retractationum c. 21, ait: « In quo (libro contra epistolam Donati, nunc deperdito) dixi quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra fundata est Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus B. Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipso Petra Ecclesia canente culpam diluit (Cantatur nunc adhuc ore omnium in Laudibus die Dominicâ) « Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse... ut super hunc intelligeretur (fundata Ecclesia) quem confessus est Petrus... ac si Petrus ab hac petra (Christo) appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, et accepit claves regni cœlorum. Non enim dictum est illi: tu es

petra, sed tu es Petrus; petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota confitetur Ecclesia, dictus est Petrus. Harum autem sententiarum duarum quæ sit probabilior, eligat lector.» Profecto aliud est Aug.s solemniter aliquid affirmans ut testis traditionis catholicæ, aliud est Aug. proponens sua dubia ut quivis exegeta vel theologus.

Adverte etiam, dubium ejus fundari in argumento philologico quod nullius valoris est: «Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed tu es Petrus.» Discrimen illud, in quo nititur Aug., non existit in lingua qua usus est Dominus (cf. supra p. 220). Quare ait Bellarminus de Rom. Pont. l. I. c. 10, «Augustinum ex solâ ignorantiâ linguæ hebraeæ esse deceptum... Credidit "Cephan" non significare petram, sed aliquid a petra derivatum, ut si dicere mus petrinum vel petreium; quo modo "Christianus" non significat Christum, sed aliquid a Christo derivatum. Quia igitur Ecclesia super petram, non super aliquem petrinum vel petreium ædificanda est, ideo existimavit Aug.s per illam petram intelligi non Petrum sed Christum. At si advertisset, Cephan nihil aliud significare quam petram, et Dominum dixisse: Tu es petra, et super hanc petram, nihil dubitasset de veritate nostræ sententiæ.»

Alia ratio, quæ Augustinum simul adduxit ad illam interpretationem de Christo unica petra Ecclesiæ, est (ut notat Franzelin l. c.) quod S. D. in iis locis "ædificationem Ecclesiæ assumpsit et descripsit non secundum corpus visibile, sed secundum spiritum", seu animam Ecclesiæ. Anima Ecclesiæ consistit in iis habitibus et actibus supernâlibus, fidei, charitatis etc. quibus homo inseritur Christo sanctificatori invisibili. Jam vero in illo ordine invisibili sanctificationis et gratiæ interna, anima fideles et justæ immo-

diatè inhærere possunt Christo vitæ qui transeant per Petrum. Christus, fundamentum omnis sanctificationis unicum per meritâ suæ Redemptionis, solus est etiam qui distribuit, infundit et auget gratiam: imò in ipsis Sacramentis, quamvis tunc adhibeat ministrum visibilem sanctificationis, tamen humanus ille minister est merum instrumentum, et Christus etiam tunc dici potest immediatè operari "ipse est qui baptizat", ut sæpe notat Aug. et alii Patres. In hoc sensu Christus est solum fundamentum, solum caput sui corporis mystici: fideles non sunt Pauli, non sunt ipsius Petri, sed solius Christi, ut ait Apostolus I. Cor. I. 12: « Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ ... Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? » In his rebus redemptionis, Sacramentorum, &c. humanus minister pro nihilo haberi potest: Christus dici potest agere immediatè. Econtra in jurisdictione et legislatione: datur aliquod jus ecclesiasticum, distinctum à jure divino, et mediatè tantùm à Christo procedens (cf. supra p. 29, segg.): et sic per suum primatum jurisdictionis, Petrus est verè, immediatè ac formaliter fundamentum Ecclesiæ, secundùm corpus consideratæ, seu quatenus est societas visibilis: et Christus, licet ab ipso participet illam suam potestatem Petrus, non est hujus societatis visibilis nisi mediatum fundamentum, et quia est invisibilis ipse, committit Vicario suo immediatam gubernationem. — Igitur eo ipso quòd hermeneuticè constat, Petrum ipsum dici « Cephæ » seu petram, jam deduci potest (α) hic agi de jurisdictione, non autem de internâ sanctificatione in quâ Petrus nullam rationem habet cui dicatur petra Ecclesiæ: præsertim cùm nulla specialis potestas ordinis seu sanctificationis reservata sit soli

Petro, ut omnes agnoscunt (cf. thesim VII); - ac proinde (β) deduci potest, nomine "Ecclesiæ" hic agi de societate visibili, ad quam jurisdictio pertinet; quod etiam indicatur hac similitudine domûs (οἶκος) quæ ædificatur à Christo (οἰκοδομήσω), et toto contextu de "clavibus regni" et de potestate "ligandi et solvendi super terram"; - et consequenter (γ) merè accommodatitium esse sensum, quo Augustinus hunc textum applicat ad animam Ecclesiæ et ad influxum Christi capitis in suum corpus mysticum per gratiam et sacramenta. Nequeunt igitur Protestantes istum sensum dare ut litteralem ac proprium.

3°). Protestantes multi, præsertim recentiores, qui, evidentiâ coacti, "petram" hic referunt ad Simonem ipsum, primatum tamen jurisdictionis eludere conantur dicendo, eatenùs Simonem esse petram Ecclesiæ, quatenùs ipse delectus est, qui omnium primus ex judæis ac gentilibus Ecclesiam colligeret; nam ipse primus Evangelii promulgator, primus judæos lucrefecit plurimos (Act. II), primus gentes ad Evangelium admisit, habitâ de hoc revelatione in domo Cornelii (Act. X). Ita v. g. Bengel, Rosenmüller, Kuinoel, quorum textus habes apud Passaglia l. 2. c. 6; Hammondus, Pearson, Bloomfield, &c. - At a) petræ seu fundamenti munus non solùm initium, sed quamdam connotat perpetuitatem, stabilitatem: actiones verò illæ Petri, ad quas alludunt, fuerunt per se merè transeuntes, initiales, et statim ad promulgationem Evangelii tantùm fecerunt alioqui alii Apostoli, quantùm Petrus, imò Paulus multò magis (Act. IX. 15, I. Cor. XV. 10, II. Cor. XI. 28, &c.). Ergo ille titulus meri ac transeuntis initii non sufficit, ut Simon solus præ cæteris verè dicatur à Christo "petra" Ecclesiæ: appellatio hæc dissonat

et sine proportionali explicatione ad adversariis relinquitur. – Eo magis, quòd c) promulgator christianæ revelationis juxtaque divini, qualis fuit Petrus in dictis circumstantiis, est merum organum Dei, ita ut ipse Christus hunc immediatè influere dici debeat, sicut in Sacramentis, proinde sub hoc respectu non Petrus, sed Christus ipse deberet dici fundamentum, cui immediatè adhæreant fideles, Evangelio hunc promulgato assentientes ut verbo Dei (quod est proprium motivum fidei, cf. tract. de Fide), non ut verbo Petri. (Cf. I. Thess. II. 13). E contra si Petrus jurisdictionem habet in universam Ecclesiam, ipse nomine suo et arbitrio suo facit leges, quæ continent totam Ecclesiam in unitate, sicut fundamentum perpetuò tribuit domo firmitatem et unitatem: leges illæ sunt mediatè tantùm à Christo (quatenùs generalem potestatem eas faciendi contulit Petro), immediatè autem à Petro, qui sic optimè vocabitur ipse fundamentum totius illius societatis visibilis. Ergò appellationem, quam Simon recepit à Christo, nos soli benè explicamus. (Cf. supra p. 29, seqq.). – c) ex contextu. Prærogativa Petri statim explicatur à Christo pertinere ad hoc ut Ecclesiæ perpetuò perseveret: "Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam." (Cf. supra p. 219). Atqui Petrus, precisè ex eo quòd fuerit primus promulgator Evangelii, contulit quidem ad Ecclesiæ primam propagationem, minimè verò ad perseverantiam et perpetuitatem. – d) Accedit, quòd nunquam de tali interpretatione "petræ" antiqui Patres cogitaverint, ut notat Passaglia l. cit. Atqui saltem aliqui ex eis cogitavissent, si interpretatio illa prona obviaque fuisset, quamque verba et sermonis structura suggererent. Dicamus igitur cum protestante Samuele

Berenfelsio (citato ibid.): « Unde est quòd plurimi interpretes usque eò fastidiunt sensus faciles et simplices, venantur ubique singulares, longiùsque petitos?.. Si rem penitiùs examinas, suam potiùs et gloriæ suæ causam agunt (quam verbi Dei). Quò enim exquisitior creditur cujuslibet dicti sensus, eò laboriosem campum sibi obtinuisse videntur, luxuriantì phantasiæ frenum laxanti, et quidlibet in quolibet loco inveniendi. » — c) Non tamen negamus summopere decuisse, ut Petrus, ut ipsius sui primatûs, Judæos et Gentiles primus in Ecclesiam reciperet. Sed hæc transiens actio est aliquis effectus primatûs, non est ipsa adæquata essentia seu formalis ratio primatûs reservati Petro. Ut probavimus, Petrus non ideò vocatus est petra et fundamentum, quia primus erat promulgaturus Evangelium: sed e contrario, ideò primus fuit Evangelii promulgator, quia erat petra et fundamentum Ecclesiæ. Cf. Hurter thes. 71, Schol.; Cercia sect. 1. lect. 4; Passaglia l. c.

Objectio contra 2^m Arg. de « clavibus. »

Intelligi possunt illæ « claves » de solâ potestate remittendi peccata, sine jurisdictione saltem in foro externo. Id deducitur ex parallelismo. Nam « claves » hic explicantur per sequentem phrasim: « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris », &c. Atqui hæc phrasis explicatur per locum parallelum Joannis XX. 23: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt. » — Sic multi Protestantes.

Resp. Nego istum parallelismum et deductum inde consequens. Nam a) amplitudo rei collatæ est prorsùs diversa. Matt. XVI, dicitur: « Quodcumque ligaveris, quodcumque solveris; ergò non tantùm potestas remittendi et retinendi peccata (de quâ solâ Joann. XX) hic comprehenditur, sed etiam

potestas ligandi et solvendi, tum quoad vinculum legis, tum quoad vinculum pœnæ, excommunicationis, etc (cf. supra p. 58, 59). Ergo adversarii non aliter se gerunt ac si eamdem esse totius ac partis magnitudinem contenderent. — b) Matth. XVI, nulla est vox quæ alludat ad peccata: nec fuit in antecedentibus sermo de peccatis et delictis: ergo « perquam durè », ut ait ipse protestans Kuinoël, aliqui hic subaudiunt « peccatum »: Quodcumque peccatum ligaveris, etc ». Eo magis quod expressio « ligare peccatum » est insueta, et in Bibliis ne semel quidem usurpatur. — c) Jo. XX, non occurrunt verba δεῖν et λύειν, quæ apud antiquos solemnia sunt ad obligationem jurisdictionemque stricte dictam et externam significandam (cf supra p. 58, b). — d) Diversa est in utroque textu totius sermonis facies et consecutio, diversa omninò antecedentia; diversa occasio, cùm apud Matth. Christus singulari præmio, propter singularem fidei confessionem Petrum honestet, apud Joan. vero omnibus ex æquo Apostolis commune bonum largiatur; diversus scopus, cum Christus in 1° loco (ut patet ex antecedentibus) prospiciat unitati et stabilitati totius societatis visibilis a se ædificandæ; in 2° loco peculiarem aliquam potestatem, quæ potiùs ad bonum individuorum qua talium pertinet. Cf. Passaglia l. 2. c. 9.

2a pars

St. qu. Alius est modus, quo alii primatum Petri impugnant. Concedunt quidem in allatis textibus promitti vel conferri jure divino plenam et supremam potestatem jurisdictionis, id exprimi per « claves », per « ligare et solvere » etc.; Petrum esse ad quem Christus

loquitur, cui dat claves, fortasse etiam quem designat nomine « petræ » in qua fundatur Ecclesia : de Petro solo hæc dici grammaticaliter (ut ita dicam) concedunt. Sed volunt Universam Ecclesiam, vel Collegium Apostolicum, a Petro hic repræsentari, et jurisdictionem a Christo dari Petro ut repræsentanti Ecclesiam. Subjectum ergo, quod recipit claves, realiter est Ecclesia, repræsentative sumpta seu in persona Petri. Petrus itaque eligitur electione divina tanquam canalis quo Christus transferat potestatem Collegio Apostolico, vel toti Ecclesiæ : sed quamvis aliquo sensu mediante Petro Ecclesia sic potestatem recipiat, tamen alio sensu dici potest ac debet, posita illa repræsentatione, Ecclesiam esse subjectum recipiens immediate seu directe. Nam ponamus v. g. aliquem legatum, qui Gallicum gubernium repræsentat, accipere ab aliquo Imperatore quasdam promissiones seu jurium concessiones factas Galliæ : subjectum quod recipiat illa jura, revera non est ille legatus (nisi apparenter), sed est ipsum gubernium, vel ipsa natio, quæ proinde dici potest ea recipere directe et immediate, scilicet ad exclusionem legati, etsi aliquo alio sensu legatus mediaverit. — Insuper concedunt multi ex istis adversariis, Petrum fuisse non solum electione divina legatum quocum Christus hoc negotium tractare voluit, et quasi canalem transmittendæ potestatis : sed etiam jure divino electum esse tanquam eum cui postea Ecclesia, quæ verum et proprium est subjectum ipsius potestatis, deberet ita committere potestatis usum seu exercitium, ut inter Ecclesiæ ministros, jurisdictionem exercentes, Petrus semper locum suum habere deberet, imo primum locum, seu primatum, jure divino ei destinatum : sed primatum potius honoris, vel, ad summum, primatum in exercitio jurisdictionis. Non obstante tali primatu, Petrus non est nisi Ecclesiæ « caput ministeriale », sicut fuit quasi delegatus et minister aliorum ad

accipiendam potestatem a Christo, ita non est nisi minister et delegatus ad eam exercendam: modus eam exercendi sequitur modum accipiendi. Potestas suprema jurisdictionis non subjectatur in Petro, sed in Ecclesia: ergo Ecclesia tantum exercitium illius suæ potestatis committit Petro (quamvis ab eis admittatur, Ecclesiam ex institutione Christi teneri ad committendum illud Petro, nec pro lubitu posse Petri munus abrogare.)

Distinguenda igitur omninò est hæc subtilior et mitior sententia (quod non satis perspexerunt plures eam refellentes), ab adversariis jam confutatis qui negant in textibus allatis conferri ullam jurisdictionem, vel negant Petrum, quoad jurisdictionem præsertim, aliquid jure divino recepisse, vel negant de Petro agi sub figura "Petræ", sed totius de Christo ipso agi dicunt. Totum virus præsentis opinionis quam nunc aggredimur, est in illa relatione ministeriali Petri ad Ecclesiam: nam ex illa relatione sequitur, Petrum esse jure divino inferiorem Ecclesiæ, ab Ecclesia in quibusdam casibus posse ipsum corrigi, dirigi, etc. sicut dirigitur minister ab eo qui habet potestatem propriam ministrumque illum in exercitio suæ potestatis adhibet. Porro relatio ministerialis illa Petri ad Ecclesiam tota fulcitur in hoc, quod Petrus non pro se, sed pro Ecclesia claves accepit, et sic Ecclesiam repræsentabat: quare in istam totius systematis originem et fundamentum totam vim argumentationis dirigere debemus, si totum systema volumus everttere

Systema illud repræsentationis videtur esse inventum a prioribus Gallicanis, scilicet a quibusdam doctoribus parisiensibus sæculi XV, "qui (ait P. Kurtler th. 72), ut faciliùs tristissimum componeretur Schisma occidentale, hanc excogitarunt

sententiam, supremam potestatem ecclesiasticam, clavium symbolo expressam, convenire ipsi Ecclesiæ tanquam subjecto proprio, ex quo deinde in Ecclesiæ ministros derivetur." Concludebant inter alia, Concilium generale esse supra Papam, eumque deponere posse.

Postea Protestantes simili systemate usi sunt, saltem aliquando (nam jurisdictioni Ecclesiasticæ et Petri primatui sæpe magis radicales negationes opposuerunt). — Synodus eorum Smalcbaldica, lib. de Primatu Papæ, ait: "Tribuit (Christus) principaliter claves Ecclesiæ et immediatè." — Cf. Luther in lib. de potest. Papæ, Calvin. Instit. l. 4. c. 6. n. 4, segg., et alios apud Bellarmin. de Rom. Pont. l. 1. c. 12.

Sed celeberrimus est in eo systemate Edmundus Richer, doctor parisiensis, qui initio sæculi XVII multis conatibus obtinuit, ut gallicanismus tunc ferè exstinctus resurgeret. In suo "Libello", duas ponit propositiones fundamentales, ex quibus varia deducit corollaria: "1ª — Jurisdictio ecclesiastica primariò ac essentialiter Ecclesiæ, Romano autem Pontifici atque aliis Episcopis ministerialiter tantùm, sicut facultas videndi oculo convenit. — 2ª — Christus immediatè et per se claves sive jurisdictionem ordini hierarchico contulit, per immediatam et realem missionem omnium Apostolorum atque discipulorum." Richerius omnibus laicis datas esse claves non dicit (ut plures malè eum intellexerunt), sed "ordini hierarchico" collective sumpto, quem ordinem tempore Christi fuisse compositum dicit ex 12 Apostolis et 72 discipulis: ita ut potestas resideat in illâ collectione (quæ est "Ecclesia" docens et regens), gubernantes autem individui, sumpti distributivè ut erat unusquisque Apostolus, et ipse Petrus (et pariter unusquisque Episcopus in suâ diœcesi, et ipse Papa), non habeant nisi exercitium illius potestatis, seu eam habeant ministerialiter. — (Cf.

De Ordine XXXI. — 1.

« Edmond Richer, étude hist. et crit. sur la rénovation du Gallicanisme au commencement du XVIIe siècle » par l'abbé Pujol.)

Ex Richerii systemate, ut advertit P. Cercia (de Rom. Pont. sect. 1. lect. 9), « tanquam ex communi fonte risos suos hauserunt cæteri omnes Pontificiæ potestatis osores, scilicet Febronius, Dupinius, apostata de Dominis, Riccius (promotor et dux Synodi Pistoriensis), Jansenistæ universim, libertatum ecclesiæ Gallicanæ patroni, ac denique quotquot nostra etiam ætate eorum vestigiis insistere non verentur. »

Ex iis (sæculo XVII) Ludovicus Ellies-Dupin (Dissertat. historicæ de antiquâ Eccl. disciplinâ, diss. 6 ; p. 379) sic clarè exprimit systema ejusque consequentias : « Propositarum quæstionum (de Papâ et Concilio Generali) definitio tota dependet ex hujus principii determinatione, quod hisce vobis à nostris Theologis (scil. Gallicanis) concipitur : — Quodnam sit subjectum immediatum potestatis Ecclesiasticæ ? — Sensus est, An potestas clavium sit immediatè concessa universitati Ecclesiæ, ut per ejus ministros ac per Summum Pontificem exerceatur ; an verò Summo Pontifici, aut etiam Episcopis, sit immediatè collata. Hoc est scilicet quæstionum propositarum fundamentum. Nam si clavium potestas est penes solum Rom. Pontificem, haud dubium est, quin super universam Ecclesiam potestatem habeat, cùm aliam potestatem in hâc hypothesi non habeant Ecclesia et Prælati, quam quæ illis ab ipso communicatur. Secùs verò si vice versâ Ecclesia supremam habet potestatem, quæ ab eâ in Ministros ejus Summumque Pontificem derivatur. » Et addit « claves non uni Petro, sed in personâ Petri universæ Ecclesiæ collatas fuisse quas illa ministris suis atque ipsi Summo Pontifici

communicat.» Concludit ex suis ratiociniis: «Nemo est qui non statim intelligat, illum supremam habere potestatem, qui potestatem ipsam habet secundum originem et virtutem; cum verò potestatem non habere supremam, qui tantùm potestatem habet ab alio sibi commissam quoad usum. Patet autem ex dictis, potestatem ecclesiasticam esse penes Ecclesiam. Romanum autem Pontificem, cæterosque Prælatos eam accipere ab Ecclesiâ quoad usum tantummodò. Non ergò Summus Pontifex habet potestatem in universam Ecclesiam, licet habeat in universâ Ecclesiâ; sed vice versâ Ecclesia potestatem habet in Pontificem, et quemadmodum mortuo Pontifice alium sufficit, ità potest eum corrigere atque deponere.» — Agnoscit tamen in Rom. Pontifice primatum quendam jure divino, nam dicit (ib. p. 334): «Quoad hunc Primatum Pontificis Romani, aiunt (Gallicani) illum esse de jure divino, quia scilicet Petrus à Christo Collegii Apostolici primus est institutus, eo consilio, ut ad hujus rei exemplum semper Ecclesia primum aliquem agnosceret Episcopum. Cùm ergò constet, Rom. Pontificem omnium primum semper habitum fuisse, haud dubium est, quin ad eum ille primatus Petri pervenerit.»

Febronius pariter docuit «potestatem clavium universitati Ecclesiæ à Christo datam esse, eamdem ab Ecclesiâ per suos ministros exerceri, quos inter eminuit Petrus, qui tamen universitati fuit subjectus; denique primatum non tam esse jurisdictionis, quam ordinis et consociationis.»

Post damnationes librorum Richerii, Dupinii, Febronii, &c. Ecclesia edidit duo præcipua documenta, ex quibus constat, sententiam illorum pseudo-catholicorum damnari ut hæreticam, propositam autem

sententiam, quam nunc defendimus, esse de fide definita:

Pius VI, in Bullâ «Auctorem fidei» sic damnat prop. 3am Pistoriensium: «(Propositio) quæ statuit, Romanum Pontificem esse caput ministeriale, sic explicata, ut Rom. Pontifex non à Christo in personâ B. Petri, sed ab Ecclesiâ potestatem ministerii accipiat, quâ veluti Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiæ caput pollet in universâ Ecclesiâ: hæretica.»

Conc. Vaticanum, Constit. «Pastor æternus», cap. 1: «Huic tam manifestæ Scripturarum doctrinæ, ut ab Ecclesiâ catholicâ semper intellecta est, apertè opponuntur pravæ eorum sententiæ, qui, constitutam à Christo Dño in suâ Ecclesiâ regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum præ cæteris Apostolis, sive seorsum singulis, sive omnibus simul, vero propriòque jurisdictionis primatu fuisse à Christo instructum; aut qui affirmant, eumdem primatum non immediatè directèque ipsi Petro, sed Ecclesiæ, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiæ ministro delatum fuisse. – Si quis igitur dixerit, B. Petrum ... non verè propriòque jurisdictionis primatum ab eodem D. N. J. C. directè et immediatè accepisse, A. S.»

Dicimus igitur, subjectum immediatum, cui confertur ipsa suprema potestas jurisdictionis ecclesiasticæ, esse solam personam singularem Petri, qui proinde habet verum primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam. «Cùm autem dicitur sola persona singularis Petri (advertit B. Palmieri thes. 1.), non excluduntur ejus successores, qui ab ipso sunt et in ipso virtualiter continentur (de quâ tamen successione modò non disputamus), sed excluduntur cæteri Apostoli qui cum ipso erant, cæteræque fideles, ac si simul cum

ipso et in ipso fuerit illis promissa potestas (suprema) jurisdictionis." Hinc minimè negamus Petrum ibi juridicè repraesentasse suos successores, qui post ipsum haberent eadem ex aequo potestatem, quae in hisce actibus datur; imò hoc infra ex professo probabitur; sed negamus, Petrum repraesentasse eos qui simul cum ipso vivebant, sive Collegium Apostolicum, sive universitatem fidelium, ita ut (tanquam legatus alicujus reipublicae) non suo nomine sed nomine totius coetûs seu collectionis acceperit illam à Christo supremam potestatem. — Ad summum dici potest, Petrum eatenus repraesentasse juridicè Ecclesiam, quatenus jurisdictio ecclesiastica, primùm in Petro recepta cum totâ plenitudine ut in subjecto immediato, debebat in inferiores quosdam descendere et derivare per participationem mediatam: et sic Petrus ut principale subjectum et quasi fons, cujus participationes et derivationes sunt omnes potestates inferiores à Christo institutae (v. g. episcopi, ipsique presbyteri judicantes saltem in foro interno), dici potest ibi "gessisse personam Ecclesiae", ubi à Christo recepit potestatem jurisdictionis inferioribus suis imperfectè et analogicè communicandam, ipse plenitudinem servaturus: sicut radix arboris, et humanus vivus ex quo ramusculi et folia sobolescent, aliquo sensu dici potest repraesentare totam arborem, quam virtute continet; sicut pater familias dici potest juridicè repraesentare suam familiam, quin sequatur eum esse ministrum familiae, cui familia committat exercitium potestatis paternae, quasi haec potestas non in ipso patre sed in coetu filiorum haberet suum subjectum immediatum. — Adversarii autem eam volunt «repraesentationem», ex quâ sequatur Petrum non esse subjectum immediatum potestatis: et eam solam nos impugnamus.

Praeter repraesentationem juridicam,

est etiam representatio typica. Jam verò, etiam concedi potest, Petrum esse typum; exemplar omnium pastorum etiam inferiorum in Ecclesiâ, modò intelligatur non typus vacuus sine realitate (ut in parabolâ aliquâ), sed typus realiter habens quod significat (v.g. ut Maria Magdalene fuit figura et typus vitæ contemplativæ, justa quosdam Patres): neque ipse sit exemplar æquale omnibus illis exemplatis, sed exemplar servans suam principalitatem, seu archetypus. Et propter illam rationem exemplaris in Petro, possunt omnibus pastoribus plura applicari, quæ in nostris textibus de Petro dicuntur: sed per quamdam accommodationem, vel ratiocinium ex analogiâ.

Hi omnes modi loquendi non sunt contra nos: iisque usi sunt quidam Patres, quos adversarii malè pro suo systemate citant.

Probatur.

1°) Ubi dignitas vel potestas quælibet confertur alicui personæ propter aliquam personalem rationem, scilicet propter motivum ex ipsâ illâ personâ desumptum, præsertim si conferatur ut rebributio seu reciprocatio pro ejus meritis seu bonis dispositionibus (quamvis sint et alii fines conferendi illam potestatem), – ibi potestas intelligitur collata ipsi personæ, et subjecanda in ipsâ, secùs periret illa ratio rebributionis: maximè si datur ipsi simpliciter, sine ullâ expressâ restrictione.

Atqui, Matt. XVI et Jo. XXI (cf. textus supra p. 213, seqq.) potestas, quæ simpliciter datur Petro sub symbolo «clavium», fundamenti Ecclesiæ pastoratûs ovium et agnorum Christi ....., datur Petro (si non tantùm, at etiam) propter aliquod motivum ex ipso Petro desumptum, tanquam reciprocatio seu rebributio pro solemni ejus professione fidei et charitatis, quam professionem ipse solus antea edidit.

Ergò. –

Probo Min. Matt. XVI, interrogaverat Christus Apostolos omnes: « Vos autem quem me esse dicitis? » Petrus igitur, plenus fide, ceteros in confessione præveniens respondit: « Tu es Christus" &c. – Christus autem laudans confessionem Petri, ad eumque sermonem dirigens, ipsi determinatè dixit: « Et ego dico tibi ... »: Non dixit: « vobis », quasi comprehendere voluisset Apostolos omnes, quatenùs unam constituebant Ecclesiam. – Dixit: Κἀγὼ δέ σοι λέγω, « sed et ego dico tibi »: quibus in verbis reciprocatio seu retributio clarissimè significatur, quasi diceret: « Tu me declarasti Christum filium Dei: ego vicissim te declaro fundamentum Ecclesiæ, possessorem clavium, &c. » Et si illius antithesis sicut solus personaliter Jesus est « Christus filius Dei », ita solus personaliter Petrus erit petra Ecclesiæ clavium possessor, &c.

Pariter in Joan. XXI, (ut advertit Maldonatus in h.l.) occasionem interrogandi Petrum de suâ charitate Christus desumpsit ex recenti facto, quòd se unus omnium, ceteris in navi relictis, audiens Christum esse qui in littore apparebat, in mare conjecisset, quod singularis amoris fuerat; quasi Christus dicat: « Diligis me plùs his, quemadmodùm videris modò demonstrare voluisse? » Denique obtentâ illâ etiam orali professione charitatis seu amoris erga Christum (quam solus Petrus dare requisitus fuit, quamque solus dedit), statim retribuit Christus: « Pasce agnos meos ... oves meas. »

Objiciunt: « Alii Apostoli etiam habebant fidem et charitatem. Ergò ipsis etiam debuit retribui suprema jurisdictio. »

Resp. Trans. Antec., Nego Conseq. Suprema enim jurisdictio non est ex naturâ rei merces quæ retribui debeat pro omni fide vel charitate: ergò omnia hic pendent ex positivâ et extrinsecâ Dei

ordinatione, et videndum est, quid Christus hic requisierit ut quoddam meritum seu dispositionem congruam, quâ positâ ipse conferat supremam jurisdictionem. Jam verò ex contextu apparet, Christum non alligavisse supremam jurisdictionem cuilibet fidei vel charitati, sed gradui alicui eminenteri fidei et charitatis, qui etiam per externam professionem, jubente Christo, manifestaretur. Id patet, tùm quia ipse non internum tantùm actum fidei et charitatis, sed externam professionem postulat: tùm quia professionem charitatis postulat sub hâc formâ: «Diligis me plus his?» quæ indicat excellentiorem charitatis gradum. — Apud Matt., excellentior gradus fidei concludi potest ex favore Petri respondentis in aliorum discipulorum ignorantia vel cunctatione et silentio (ut notant Cyrillus Hieros. catech. 11. n. 3, Hilarius in h.l., et de Trin. l. 6. n. 37, Optatus l. 7. n. 3, Basilius Seleuciensis orat. 25; &c.) et ex speciali revelatione ipsi factâ ut reliqui crederet, propter quam magnificat eum Christus («Beatus es, Simon... quia revelavit tibi... Pater meus qui in cœlis est»). — Et externam professionem in utroque loco facere voluit ipse solus, saltem efficaci voluntate. Ergò alii Apostoli, etsi tunc habuerint fidem et charitatem, tamen non habuerunt illud omne pro quo Christus voluit supremam jurisdictionem retribuere.

Instant ex Matt. XVI: « Petrus in suâ professione fidei locutus est nomine omnium, quasi delegatus ab eis: nam cùm interroget omnes Christus: «Vos autem quem me esse dicitis?» modus respondendi sequi debet modum interrogandi. — Ergò sicut nomine omnium profitetur, ita nomine omnium retributionem supremæ jurisdictionis accipit. »

Resp. Nego Ant., in quo est præcipuum fundamentum opinionis adversæ. Nam a) ex antecedentibus, gratis omninò fingitur illa delegatio. Christus enim priorem interrogationem

facit: « Quem dicunt homines esse Filium hominis? Huic interrogationi respondent discipuli, quilibet pro scientiâ suâ; ergò Petrus non loquitur nomine aliorum, non fuit antecedenter delegatus ad respondendum. Statim addit Christus alteram interrogationem: « Vos autem quem me esse dicitis? » Respondens solus Petrus non magis est delegatus nunc, quam fuit antea: neque ullum vestigium in narratione est, quòd Apostoli inter 1am et 2am interrogationem Petrum delegaverint. — b). Ex ipsa professione Petri res confirmatur. Non dicit in plurali sicut paucos ante menses (Jo. VI. 70): « Nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei »: sed simpliciter de firmitate et fervore suæ fidei testatur: « Tu es Christus, &c. » — c). Sed maximè ex consequentibus res nostra conficitur. Nam (ut notat Palmieri ibid.), acceptâ responsione Petri, Christus prædicat Petrum beatum, et quidem verbis significantissimis et maximè laudatoriis: Μακάριος εἶ, &c. (quæ vox dicitur de illo qui major est omni laude, « de diis, vel divinissimis hominum » ut testatur Aristoteles, Ethic. ad Nicom. l. 1. c. 12). Nec « beatos » dicit Christus cæteros Apostolos: at si ea confessio fuisset omnium Apostolorum, non erat ratio cur solus Petrus beatus diceretur: laudanda enim erat ipsa confessio, non organum externum quo exprimebatur. — Præterea, Christus explicans cur Petrum dicat beatum, addit: « quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est ». Hæc phrasis « caro et sanguis », utpote opposita « Patri in cœlis », in hoc loco significat homines (ut Hebr. II. 14): et hoc sensu frequenter usurpari hanc phrasim à Talmudistis testatur Eightfoot in h. l., quâ phrasi hominem Deo opponunt (« caro » etiam significat hominem Gen. VI. 12, Joan. I. 14). Ergò Christus disertè excludit hypothesim, quod

homines - scil. alii Apostoli suggesserint Petro quid esset respondendum, et affirmat solum Deum Petro id suggessisse, « revelavit tibi ». Ergo Petrus non fuit quasi organum aliorum, ab eis munus recipiens exprimendi quid ipsi sentirent, quid nomine suo exprimi vellent. Et ad hoc debuisset esse deliberatio communis cum Petro: "quam, nullam præcessisse, clarè demonstrat evangelicæ lectionis series. Siquidem continuò, ut de suâ sunt interrogati sententiâ, non respexit ad alios Petrus, non ad carnem et sanguinem: sed moræ impatiens pro suo consueto ac familiari in Christum fervore continuò prosiluit, et alios anteverteus, nec ab eis, quid sibi respondendum foret, exspectans, in gloriosam illam confessionem prorupit, quam uni sibi singulariter præ aliis revelaverat Cœlestis Pater." (Pighius, de Eccles. hier. l. 3. c. 3). — d). Ex textu parallelo Jo. XXI, omninò cadit argumentum adversariorum: nam ibi solus Petrus interrogatur à Christo: « Amas me? » Imò quæstio ex suo objecto est omninò personalis Petro, per oppositionem ad alios Apostolos: « Diligis me plus his? » Ergo evidenter non potest Petrus respondere nomine aliorum. - Quod sic exprimit noster R. P. Thyrsus Gonzalez, de Infall. Rom. Pontificis (in quo libro Dupinium aliosque Gallicanos ex professo refellit), disp. 2. s. 3. n. 6: « Clarum apparet, Petrum non egisse personam omnium, dum Christus ab illo quæsivit, an plus ipsum diligeret, quàm cæteri diligebant. Si enim cum illo ut repræsentante totum Collegium Apostolicum loqueretur, profectò non dixisset: « Diligis me plus his? » sed absolutè: « Diligis me? » Collegium enim Apostolicum non potuit cum seipso comparari quoad majoritatem amoris, cùm per se notum sit, dum quis alium diligit, non esse seipso superiorem in amando.

Tum sic (argno). Christus illi dixit, Pasce oves meas, cui antea dixerat, Diligis me plus his: sed hoc dixerat peculiariter Petro: ergò et illud."

2°). Potestas, quae alicui confertur in connexione cum nomine ipsius personali, confertur ut ipsi personalis.

Atqui in his verbis, "Tu es Petrus et super hanc petram", suprema jurisdictio, sub figurâ fundamenti Ecclesiae (cf. 1am partem), Petro confertur in connexione cum nomine ipsius personali "Petri", quod nomen inter Apostolos ipse solus gessit, quod nomen jam antea (cf. Jo. I. 42) ipsi soli a Christo impositum fuerat ad praesignificandam illam potestatem, quod denique nomen nunc Matth. XVI. clarè explicatur per promissionem potestatis illius jam explicitam.

Ergò.

3°). Sensus obvius verborum Scripturae omninò designat Petrum, ut subjectum immediatum et proprium, cui confertur potestas: "Tot modis (ait Bellarminus de R. Pont. l. 1. c. 12) Christus Petri personam designavit, ut non pluribus circumstantiis (quod rectè Cajetanus annotavit) describere soleant aliquem certum hominem notarii illi, qui instrumenta publica conficiunt. Nam in primis expressit substantiam personae singularis, per pronomen Tibi; deinde addidit nomen inditum in nativitate, cum ait: Beatus es, Simon, adjunxit nomen patris, cum ait: Filius Jonae" (item in loco parallelo, Jo. XXI, "Simon Joannis" filius; Joannes et Jona in N. T. idem nomen est, hoc ex illo contractum, cf. Fabricii in Evang. IX. c. 5); "nec omittere voluit nomen à se recens impositum: Et ego dico tibi — quia tu es Petrus. Quorsùm tam accurata descriptio, si nihil ipsi Petro propriè promittitur? — Deinde non erat eo tempore Petrus Ecclesiae fundatus aut

vicarius: quis enim ejusmodi provinciam illi imposuerat? Non igitur suspicari possumus, nomine illum Ecclesiæ, et non potius suo, claves accepisse."

Atqui discedere non debemus à sensu obvio verborum, nisi claræ rationes cogant: præsertim in re tanti momenti (ut est fundamentalis constitutio totius Ecclesiæ), in quâ Christus debuisset omninò clare significare, si intellexisset sub personâ Petri aliud quam Petrum: leges enim fundamentales cujuslibet societatis maxime perspicuas esse oportet, si fundator est sapiens (D. Tercia l.c.). — Et quid jam proderit aut valebit humanus sermo, si hæc verba: Tibi do, jam pro lubitu poterunt verti: Tibi do et aliis, vel: Non tibi do sed aliis? Item: Tu es petra super quam ædificabo, scil. non tu, sed alii sunt petra, tu tamen eos representas?

Ergò adversariis incumbit, ut afferant rationes claras, cogentes ut à sensu obvio discedamus.

Atqui nullas tales afferunt, quod sic ostendo:

Ferunt vel a) ex contextu, vel b) ex Patribus, vel c) ex ratione, vel d) ex aliâ Scripturâ. Jam verò

a) Ex contextu probare volunt Petrum interroganti Christo respondisse non suo nomine, unde concludunt Petrum pariter accepisse supremam jurisdictionem non suo nomine. Sed illud jam profligavimus supra, post 1m arg.

b) Patres aliqui (qui cæterùm non sunt omnes Patres, nec proinde representant Traditionem illam, quæ est Scripturæ interpres infallibilis) explicantes illud: "Tibi dabo claves", dicunt æquivalenter, Petrum ibi representavisse Ecclesiam: sed benè explicantur de illis generibus representationis, quos nos metipsi in Statu quæstionis (Supra p. 245) admisimus

ut innocuos et veros, et ab adversariorum "repraesentatione" plane diversos. (Sic v.g. Rex repraesentat regnum, et dicitur regno dari, quod Regi ipsi datur, si id in publicam utilitatem cedat: hujusmodi vero repraesentatio non confert sed supponit dignitatem Capitis). - Vel dicunt, caeteros Apostolos etiam recepisse claves: sed intelligunt, modo inferiore ac dependente à Petro: qui certè claves non recepit ut sibi soli servaret, sed debuit pastoribus inferioribus communicare, nec potuit infra se supprimere gradus hierarchicos (v.g. episcoporum) qui gradus erant à Christo ipso instituti, seque eis unicum pastorem et chavigerum substituere: aliud enim est pastor principalis, aliud pastor unicus." Sub diverso respectu (ait S. Salmieri ib. p. 270) et concedi et negari debet, datas esse claves ceteris Apostolis. Datae sunt eis claves, quia data est eis potestas quaecumque ligandi et solvendi quoad ceteros fideles, quae potestas continetur potestate clavium: non datae sunt eis claves, quia non data eis haec potestas suprema plenaria et independens. Cum ergò haec potestas suprema et independens per metaphoricam traditionem "clavium Regni" directè repraesentetur, hinc Christus uni Petro claves se daturum promisit, quae deinceps, ut ait Optatus, essent ceteris communicandae non quidem per identitatem sed per participationem potestatis." - Alludit ibi ad textum S. Optati l. 7. c. 3 (Migne XI. 1087): "Praeferri (Petrus) Apostolis omnibus meruit, et claves regni caelorum communicandas ceteris solus accepit." - Item S. Leo M., sermo 2. assumptionis suae ad Pontificatum, ait: "Cum multa solus Petrus acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transiit."

c) Ratione sic arguunt adversarii: Omnis potestas jurisdictionis, etiam uni vero collata, necessario con-

fertur pro aliis, seu pro populo, et sic ipse Petrus jurisdictionem habuit pro aliis. — Atqui si habuit pro aliis, habuit eorum nomine, seu tanquam eorum minister et delegatus. — Ergò necessariò habuit tanquam delegatus et minister aliorum et quamvis Christus, conferendo ei potestatem, id non diceret, tamen ex evidenti ratione deberet ita intelligi collatio facta esse.

Resp. Merum est sophisma, aequivocatur nempe in hac voce "pro aliis." — Omnis potestas humana jurisdictionis est pro aliis, scil. in bonum societatis seu omnium subditorum, et in hoc à quâdam potestate dominativâ distinguitur (cf. supra p. 51), Concedo: pro aliis, scil. omnis jurisdictio exerceatur nomine et delegatione subditorum, ita ut in subditis resideat ipsa potestas supremae jurisdictionis, Nego; et Contradist. Min. — Aliud est, quòd tota societas, seu bonum ejus, sit causa finalis jurisdictionis; aliud, quòd sit causa efficiens jurisdictionis, delegans ministros, &c. — 1m est necessarium in omni societate, fluit enim ex ipsâ notione jurisdictionis: 2m minime est necessarium omni societati, invenitur quidem ubi forma regiminis est purè democratica, non autem in aliis formis de quibus cf. Ethicam. "Tout pour le peuple", hoc haberi debet in omni gubernio; "tout pour le peuple et par le peuple", illud est adagium soli democratiae convenions. — Jam verò nequeunt adversarii supponere à priori; contra sensum obvium nostrorum textuum, formam regiminis Ecclesiae, institutam à Christo, esse vel esse debere purè democraticam. Aliis verbis, ubi agitur de aliquâ publicâ potestate, distingue subjectum utilitatis, scil. subjectum quod recipit utilitatem ex illâ potestate, et subjectum inhaesionis, scil. subjectum cui inhaeret potestas. "Libenter concedimus, Ecclesiam esse subjectum,

in cujus utilitatem concessa fuit clavium potestas, sed omninò negamus eam esse etiam inhæsionis subjectum". (P. Hurter thes. 72 schol. 1.) — Potestas data est toti Ecclesiæ finaliter, non autem formaliter.

Deinde si valeret argumentum adversariorum, duceret nos ad "multitudinismum", scilicet subjectum jurisdictionis ecclesiasticæ deberet esse tota multitudo fidelium: nam certè in totius multitudinis bonum jurisdictio conferitur, non in bonum aliquorum. Atqui ipse Richerius, et à fortiori Gallicani sequentes qui sunt mitiores, nolunt claves datas esse toti multitudini etiam laicorum, sed "ordini hierarchico", seu clericis saltem superioris ordinis, seu Ecclesiæ docenti et regenti, collectivè sumptæ. Ergo sibi contradicunt, et præsens eorum argumentum pro ipsis nimis-probat. — De cætero, multitudinismus planè repugnat nostris textibus, qui distinguunt et inter se opponunt petram, et Ecclesiam ædificatam super eam, pastorem et oves, &c. In multitudinismo, ipsæ oves essent pastor, ipsum totum ædificium esset fundamentum, &c.

Instant 1°. Ecclesia est unum corpus, unum suppositum. Atqui "vulgare est atque indubitatum fidei axioma, Deum et naturam priùs atque immediatiùs ad totum suppositum quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam, intendere: eamque ob causam, facultatem videndi v. g. toti datam esse homini, ut per oculum tanquam per organum et ministrum hominis exerceretur: nam oculus per et propter hominem existit." Ergo. — Sta Richer, de Eccles. et polit. potestate c. 1.

Resp. Trans. Maj. (dico: transeat, quia non est nimis urgenda illa metaphora, nec de corpore morali possumus quoad omnia philosophari sicut de

corpore physico, de unitate morali sicut de unitate physicâ). Dist. Min.: in ordine causæ finalis Deus auctoritatem communicans intendit necessariò totam societatem priùs, quam partem etiam nobilissimam; Conc.: in ordine causæ efficientis moraliter unitatem socialem, Deus necessariò debet conferre illam efficientiam seu activum jus priùs toti societati, nec potest alicui parti originaliter id conferre, Nego. "Nec facultas videndi (ait P. Balmieri de Rom. Pont. Prolegom. § 12) ita data est homini, ut subjectum ejus primarium (et immediatum) sint omnes partes hominis simul, anima nempe et cuncta membra corporis, quorum vicem deinde exercebit oculus; sed immediatè tanquam in subjecto est in anima et oculo tantùm ... Non est consequens, ut ii propter quos est potestas (qui nempe sunt ejus fines) sint ejusdem subjectum ... Sanè bonum domûs totius est finis potestatis paternæ, quæ tamen nullo modo est in filiis aut familiaribus." Ipse Richer in suâ Retractatione bene istud refutavit: cf. Mazzella n. 900.

Instant 2°. Propter unumquodque tale et illud magis. Atqui potestas Petri est propter Ecclesiam. Ergò est magis in Ecclesiâ quam in Petro. - Ita gallicanus Major, jam ante Richerium.

Resp. Axioma illud fit falsissimum, si in eo applicando fit transitus ex uno genere causæ ad aliud. Si "propter" designat causam finalem (ut in nostro casu), non debes concludere illam causam magis habere perfectionem causæ efficientis seu subjecti activi juridici. Ex. Magister est doctus propter erudiendum discipulum: non inde sequitur, discipulum esse magistro doctiorem.

Instant 3°. Ex jure naturali, si potestatis (jurisdictionis) originem spectamus, omnis potestas residet primùm in societate tanquam in subjecto, et inde per consensum societatis transmittitur ad individuum

gubernans, et hoc etiam in origine alicujus monarchiæ. Ergò Ecclesia debuit esse subjectum primum et immediatum recipiens potestatem, et deinde committens eam Petro. — Ita Richer (Defensio, l. 2. c. 1. n. 111): « Sicut jure naturali omnis perfecta societas, priùs, immediatiùs ac essentialiùs potestatem habet seipsam gubernandi habitu et in actu signato, antequam aliqui homines et magistratus habeant potestatem monarchicè, aristocraticè aut democraticè in actu exercito: pariter etiam Ecclesia aut regnum Christi, pro ordine hierarchico sumptum, priùs immediatiùs ac essentialius habet à Christo facultatem sese regendi, radicaliter, originaliter et in actu signato, quàm ullus Prælatus singularis, ejusmodi potestatem habeat in actu exercito. »

Resp. Dist. Ant.: ubi agitur de naturali origine societatis ac potestatis, Deo nullam gubernii formam positivè instituente per revelationem, Transeat: ubi agitur de societate ac potestate positivè instituta à Deo, ut in nostro casu, Nego. — Dixi, Transeat: licet enim Scholastici satis communiter admittant consensum multitudinis (saltem implicitum) aliquas partes habere initio ipsius monarchiæ ad acceptandam formam gubernii et designandam familiam quæ regnare debeat, tamen etiam hoc admittendo, non sequitur propriè potestatem jurisdictionis primùm subjectari in multitudine et abeâ delegari Regi, sed cum multis tenetur veriùs, multitudinis consensum seu designationem esse tantùm conditionem qua positâ Deus confert Regi potestatem jurisdictionis, quæ antea nondùm existebat: ita ut nullo momento multitudo sit ejus subjectum. Et sic ait Leo XIII (Encycl. "Diuturnum")

29 Jun. 1881) "eos, qui reipublicae praefuturi sint, posse in quibusdam causis voluntate judicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrinâ catholicâ. Quo sanè delectu designatur princeps, non conferuntur jura principatûs: neque mandatur imperium, sed statuitur à quo sit gerendum." — Sed quidquid sit, sanè theoria illa scholastica, quam invocat Richerius, non respicit nisi casum ordinarium societatum civilium, quandò nempe Deus positivè per revelationem non intervenit: et eatenùs probatur necessarius consensus multitudinis, quatenùs initio societatis ordinariè nullum aliud apparet medium, quo juridicè designetur una forma regiminis prae aliâ (cùm plures sint possibiles et legitimae). At non ita est in casu Ecclesiae: Deus ipse positivè intervenit ad determinandam originaliter gubernii formam, imò ad designandam ipsam personam, Petrum: nec requirit explicitè consensum multitudinis, ut patet ex Evangelio; nec posset adstrui necessitas consensûs saltem impliciti, aut aliqua multitudinis interventio latens, nisi quatenùs assereretur, Deum ipsum, Supremum Dominum et infinitè Independentem, quamvis apertè et positivè loquatur, non posse sine consensu multitudinis aliquam conferre potestatem, aliquem delegare ut suum Vicarium: quod absurdum est, et blasphematorium. Nec quidquam potes ex juribus naturalibus hominis derivare, ubi agitur de potestate ecclesiasticâ quae supernaturalis est sicut ipsa Ecclesia: nullum enim à naturâ jus habent homines ad bona supernaturalia (Cf. tract. de Ente supernâli). — d) Denique arguunt ex aliis Scripturae textibus in quibus videtur dari omnibus Apostolis illud quod in thesi asserimus Petro: ita ut nihil, saltem jurisdictionis, remaneat

proprium solius Petri. Sed de hoc erit specialiter thesis sequens.

Principia ad solv. alias objectiones contra thesim.

1o.) Promissio Petro facta Matt. XVI. nullatenus impugnari potest ex severâ vituperatione quam à Christo idem Petrus accipit postea, eodem capite v. 23: "Vade post me Satana." Nam a) promissio praecedens minimè à Christo revocatur, sed tantùm reprehenduntur et corriguntur cogitationes Petri nimis terrenae; b) in Petro non est ibi magna culpa, sed humanus error in judicando, praecedens ex ardore amoris erga Christum, imò speciem quamdam veritatis desumens ex ipsâ ejus fide in Christum Deum: Christus enim, cùm esset Deus, jucta Petrum non debebat pati et mori. Quare acritas reprehensionis (ut notat Maldonatus in h.l.) non mensuratur gravitati culpae (si qua fuit), sed gravitati mysterii quod Petrus non intelligebat, quodque voluit Christus vividè inculcare. c) Hieronymus insuper advertit, nondum tunc Ecclesiam super Petrum aedificatam fuisse: propterea errasse: propterea "Satanam" vocari potuisse. d) Protestantes denique abusi sunt exclusivâ significatione quam vulgò apud nos habet vox "Satan", ut gratis imò falsò supponerent in ore Christi eamdem vim ac significationem hujus vocis tunc fuisse. "Neque movere nos debet nomen Satanae (ait Bellarminus de Rom. Pont. l.1. c. 12). Nec enim diabolum significat, sed adversarium. Siquidem שָׂטָן apud Hebraeos nihil est aliud, quam adversari-

Itaque licet diabolus passim Satanas (adversarius) appelletur, non tamen ubique nomen Satanæ diabolum designat. "Simplicem adversarium sæpè significat, v.g. I Reg. XXIX. 4.; III. Reg. V. 4, XI. 14; in Psalmis, &c. — Porrò Petrus tunc adversabatur Christo pro hominibus mori volenti. — Et contextus immediatè sequens confirmat hanc vocis acceptionem, ut advertit Stapleton (Antidota evangelica, in h. l.): « Petrum non fuisse repulsum à Christo quasi diabolum sed ut voluntati suæ contrarium causa à Christo adjuncta manifestum facit « Scandalum es mihi "; i.e. impedimento mihi es et adversaris, scil. ad perficiendam voluntatem Patris mei. Sdeò enim subjunxit: « Quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum " i.e. humano more mortem times. " Et vulgare erat Hebræis, appellare Satan eos qui contraria nobis sentiunt; v.g. II. Reg. XIX. 22: etiamsi aliunde nobis cari sint. — Ergò falsò ità aggravatur illa reprehensio. — Nec potest cum Calvino argui ex identitate cum verbis, quibus ipse diabolus à Christo repulsus est Matt. IV. 10. Deest enim ista identitas, ut meritò jam notaverat S. Hieronymus in h. l.: « Petro enim dicitur: Vade retro me, (post me, ὀπίσω μου), i.e. Sequere me, qui contrarius es voluntati meæ. Ille (diabolus) audit: Vade, Satana, et non ei dicitur rebrò (seu post me): ut subaudiatur: Vade in ignem æternum. » — Similia Origenes tract. 1. in Matt.: « Dicit Christus Petro, Vade post me, quasi desistenti per ignorantiam ire post Christum » (« Va reprendre ton rang derrière moi, au lieu de t'opposer en face comme un adversaire »). — Et quod Calvinus ait, imperativum ὕπαγε necessariò per se solum jam significare sicut Latinum Apage, falsum est, Cf. v.g. Luc X. 3.

2°). Ipse lapsus Petri, Christum ter denegantis, non fecit, ut revocarentur promissiones solemniter ei factæ: nihil simile habetur ex fontibus Revelationis; e contra Christus non solum ad pœnitentiam statim eum provocavit, quam gratiam acceptans Petrus «flevit amarè», sed etiam ei primo Apostolorum apparuit post Resurrectionem (Luc XXIV. 34.): et deinde collatio primatûs (Jo. XXI), non obstante lapsu, confirmavit et adimplevit promissa. Nec dicatur, explicari posse illud Jo. XXI. «Pasce agnos meos... oves meas» de merâ restitutione Apostolatûs, Petro pœnitenti tunc factâ (Apostolatus est munus commune duodecim, et differt à Primatu.) Nam a) illum textum plus significare, et ipsam esse collationem Primatûs, patet tùm ex parallelismo ostenso supra p. 213, seqq.; tùm ex Patrum interpretatione. — b) Licet ex sententia aliquorum Patrum ideò Christus Petrum ter de amore interrogaverit, ut trinâ confessione suam trinam ampliùs repararet negationem, tamen probari nequit, Petrum trinâ illâ negatione amisisse apostolatum; hujus enim amissionis nullum extat vestigium in Scripturâ et Traditione. Et Apostolatus erat gratia «gratis data», cujusmodi gratia potissimùm propter alios datur, nec pendet à sanctitate personæ: præsertim cùm eo tempore, quo Petrus lapsus est, nondùm actu haberetur seu exerceretur Apostolatus, nondùm vocarentur ad Evangelium omnes gentes. — c) Et dato etiam quòd Petrus amiserit Apostolatum, eum jam iterùm recepérat (ut notat P. Hurter thes. 74) in primâ apparitione Apostolis congregatis factâ, tùm cùm illis Christus dixit: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos» (Jo. XX.). Ergo Jo. XXI non recuperatur quod jam recuperatum fuisset, sed confertur aliquid

novum et speciale Petro, scil. Primatus: quod etiam patet ex parallelismo, ut dixi.

3°) Verba illa: « Pasce ... », sunt absolute prolata: ergo nequeunt simpliciter verti in phrasim conditionalem: Si tu, Simon, diligis me, id ostende curando gregem meum. » — Caeterum et haec phrasis conditionalis supponeret et includeret collationem potestatis. Negnit enim cura gregis a Petro postulari, nisi per prius et officium conferatur Petro pascendi ovile Christi, et ad hoc officium praestandum omnis necessaria tribuatur auctoritas. Si rex dicat alicui: Vade, rege talem provinciam, omnes intelligunt eum tali provinciae praefectum esse. — Et cum pascere et pasci, regere et regi sint correlativa, eodem verbo quo confertur Petro regimen, exigitur a grege obedientia. — Cercia lect. 5.

4°) Item « pasce » dicitur sine addito, sine limitatione, amplissimâ significatione quae potestatem jurisdictionis necessario comprehendit, ex vi vocis, (supra p. 57). Non igitur restringi debet ad solum ministerium praedicationis, ut voluerunt haeretici. Caeterum, ut notat Suarez, Defensio contra regem Angliae l. 3 c. 10 n. 16 (in quo capite satis breviter et clarissime nostram exponit thesim), « de missione ad praedicandum jam Christus dixerat Jo. XX: « Sicut misit me Pater et ego mitto vos »; et dictum erat postea in discessu suo: « Euntes docete omnes gentes »; quid ergo necesse erat pro solo munere praedicationis tam singulariter cum Petro agere, tantumque pondus verborum et interrogationum praemittere? » — Et Maldonatus: « Si eidem haec atque illa prior potestas erat, cur eam illi iterum tradit? cur non iisdem tradit verbis? cur non eodem ritu? cur non eodem affectu sed ter interrogato, num se diligeret? cur majorem ab eo quam a caeteris erga se amorem exigit? cur denique non omnibus eamdem iterum tradit? Praeter

illam ergo quam communem cum omnibus apostolis illo loco (Jo XX) acceperat potestatem, propriam hic supra ceteros auctoritatem accipit." - adde parallelismum cum loco Matthæi (supra p. 214) in quo certe non agitur de mera prædicandi potestate, ut probavimus.

5°) Dum Christus ait "agnos meos, oves meas" ex verbis ipsis manifestum est, eum designasse integrum ovile, i.e. totam Ecclesiam; et in hoc consentiunt Patres, quidquid differant in minutiori explicatione. Inter veteres, (ut notat Card. Franzelin th. 10) non multi reperiuntur, qui insistant discrimini inter "agnos" et "oves". Plures non distinguunt sed simpliciter omnes oves atque integrum gregem i.e. Petro commissum esse dicunt; et revera indifferenter dicitur Matt. X. 16: "Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum", et Luc. X, 3: "Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos." — Cf. Maldonat. in h. l. — Qui distinguunt, inter se non concordant: alii "agnos" intelligunt discipulos imperfectiores, "oves" autem perfectiores: alii, subditos in Ecclesia, et prælatos (inferiores Petro); alii, Judæos et Gentiles. — Est etiam variatio in textu græco; in multis mss., pro "oves" (πρόβατα) habetur "oviculas" (προβάτια); et hoc nomen bis repetitur, semel tantum "agni" (ἀρνία). Probabile est etiam, præsertim ex lectione Ambrosii (in cap. ult. Lucæ) fuisse revera hanc meliorem progressionem: "agnos ... oviculas .... oves." - Utcumque hæc se habeant, Christus, adverso pronomen "meos ... meas" et nihil aliud, aperte significabit se relinquere Petro non gregem restrictum alicujus Ecclesiæ particularis, (ut quando dicitur cum addito: "Pascite, qui in vobis est, gregem Dei") sed simpliciter gregem suum, scil. universam Ecclesiam, suprema jurisdictione vicaria; quacumque demum ratione inter se distinguas "oves"

et „agnos". Neque enim ullus est in Ecclesia, qui se de grege Christi esse non glorietur. Adverte insuper, visibiles esse oportere oves et agnos qui pascendi committuntur alicui mero homini : ergò non potest hic agi de invisibilibus prædestinatis, qui forte alicubi designari possunt nomine „ovium", ubi Christus loquitur tantum de se pastore ; sed hic necessariò agitur de Ecclesia societate visibili, sicut indicat textus parallelus : « super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. »

Itaque, ut advertit Pighius (De Eccl. hierarchia l. 3. c. 6) „Pastor noster jamjam reversurus ad Patrem suum, inter nos constituit vicarium, gregemque illi suum trina commendatione commisit... Aptissima correspondentia figuræ et veritatis..... Vetus ille Moyses jam conscensurus in montem, ut cum Deo loqueretur de populo, Aaronem illum post se reliquit, cui super gubernando populo suas vices committeret.... Conscendit Moyses in montem Sinai ut cum Deo tractaret negotia populi. Conscendit noster Jesus in ipsum cælum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; eoque ascensurus, gregem suum nostro Aaroni, nostro pontifici primo summoque commendavit Petro. »

« Itaque, ut hic concludamus, habes jam, ut caput fundamentumque Ecclesiæ sit Christus, caput etiam fundamentumque Petrus : nec ea propter monstrosa Ecclesiam esse formâ... Est manetque in æternum sacerdos Christus, jam pontifex immortalis factus, caput Ecclesiæ nostræ, quare nec sibi successorem ullum instituit : sed quoniam necesse erat, ut inde veneratio reverteretur, unum pro se nobis reliquit vicarium mortalem Petrum, qui inter mortales nos, unum Deique ageret negotium. Vides, ut in his omnibus nihil sit inæquale, nihil contortum, sed planissima et sibi undique consonans veritas. »

Thesis X.

Cæterorum Apostolorum prærogativæ planè conciliantur cum suprema Petri etiam in ipsos Apostolos jurisdictione; – 2) nec facta, quæ in Scripturâ leginus, probant Apostolos hunc Petri primatum ignoravisse aut negavisse, sed potiùs probant agnovisse.

St. D. Licet in argumentis thesis præcedentis contineatur potestas jurisdictionis quam habuit Petrus in ipsos Apostolos: tamen hanc juvabit specialim magisque explicitè ostendere: tùm ut locus sit solutioni quarumdam difficultatum, quæ oriuntur ex Apostolorum sublimi functione specialibusque prærogativis: tùm quia possek quis præcedentem thesim concedere eo sensu, quòd Petrus habuerit supremam jurisdictionem in universam Ecclesiam, scil. in collectionem omnium qui hunc erant episcopi (ut Titus, Timotheus), presbyteri, diaconi, laici; et nihilominùs admittere, ab hâc suprema Petri jurisdictione exemptos fuisse Apostolos propter specialem suam dignitatem: ita ut Petrus habuerit gradum quemdam supremum jurisdictionis cum cæteris Apostolis, imò etiam forsasse præ cæteris Apostolis, non autem jurisdictionem in cæteros Apostolos.

1a pars comparat abstracta jura Petri et aliorum Apostolorum; – 2a magis historicè et in concreto considerat relationes Petri ad alios, seu quærit, quid libri N. Testamenti dicant de exercitio Primatûs in Petro: ex quorum silentio vel factis etiam quibusdam positivis, multùm argumentati sunt Protestæ.

Adversarii iidem sunt ac in thesi prec. – Jansenistae quidam aliique pseudo-catholici, ut occultiori modo devenirent ad introducendam aequalitatem Episcoporum cum Romano Pontifice, saltem de S. Paulo aequalitatem cum Petro praedicaverunt. Innocentius X istud damnavit ut haereticum, sicut constat ex decreto Congr. Inquisitionis, 29 Jan. 1647: "Sanctissimus ... propositionem hanc: S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes, qui unicum efficiunt, vel: sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces summâ inter se unitate conjuncti, vel: sunt gemini universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt, vel: sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides, qui unicum caput constituunt, – ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate supremâ et regimine universalis Ecclesiae, haereticam censuit et declaravit."

Probatur 1a pars.

Caeterorum Apostolorum praerogativae, vel 1°) tales sunt, ut se habeant in alia linea seu in alio ordine, quam jurisdictionis: vel 2°) in ipso ordine jurisdictionis.

Atqui non obstant Petri jurisdictioni in ipsos Apostolos, sive 1°) se habeant extra ordinem jurisdictionis, sive 2°) in ipso ordine jurisdictionis.

Ergo.

Probo Mini. quoad 1m. – Inter similes praerogativas, quae afferri possunt, est a) suprema potestas ordinis, quae sane non erat magis in Petro quam in aliis singulis Apostolis (imo etiam in singulis episcopis, cf. thes. VII); haec autem se habet

extra lineam jurisdictionis, siquidem potestas ordinis et potestas jurisdictionis sunt planè diversæ et separabiles, cf. thesim III: et ex duobus qui habent eandem potestatem ordinis, unus potest subjici jurisdictioni alterius. — Item c) potestas magisterii infallibilis, imò et novarum revelationum et inspirationis quoad scripta quæ nobis reliquerunt Apostoli: concedimus, ex Traditione et communi theologorum sententiâ, tam sublime magisterium fuisse in singulis Apostolis: et in hoc erant omninò æquales Petro: v. g. epistolæ Pauli Jacobi, Judæ, Joannis, quas habemus, non sunt minùs infallibiles minùsve inspiratæ, quam epistolæ Petri: nec potest dari in meris hominibus magisterium altius quam illud, quod habebant singuli Apostoli. Utique ex parte magisterii Petrus aliquid accepit speciale, quatenùs accepit infallibilitatem (non inspirationem) ut communicandam suis successoribus, quam non eo modo acceperant cæteri Apostoli: sed in præsenti thesi nondùm de communicatione ad successores agimus, imò nec in præsenti tractatu agemus de successorum Petri propriâ infallibilitate. Jurisdictio autem, de quâ solâ agemus, est distincta à magisterio (cf. thesim IV). Poterant igitur Apostoli, etsi per se magistri tam infallibiles quam Petrus, jurisdictione esse inferiores, Petroque aliquam subjectionem obedientiamque debere. Denique c) possunt considerari in Apostolis prærogativæ, quæ quamvis intuitu muneris eorum facilitandi fuerint concessæ, tamen directè ex naturâ suâ ad propriam ipsorum sanctitatem spectabant: ut est confirmatio in gratiâ seu impeccabilitas quædam (cf. tract. de Gr. actuali, p. 175), quæ communiter admittitur fuisse in singulis Apostolis post diem Pentecostes.

Jam verò duo homines possunt esse aequaliter sancti, et tamen unus alteri imperare: imò saepè sanctiori imperat minùs sanctus. — Ergò de his Apostolorum praerogativis, aliisque similibus si quae aliae possent afferri, evidenter apparet, eas, quantaecumque sint, planè conciliari cum illo primatu jurisdictionis, quem Petro in thesi praecedenti vindicavimus.

Probo Min. quoad 2^m. Ex parte ipsius jurisdictionis, libenter admittimus, singulos Apostolos non tantùm aliquam habuisse, imò ex communissimâ sententiâ immediatè à Christo accepisse, sed etiam habuisse (idem dic de magisterio) jurisdictionem universalem seu non restrictam alicui regioni, sicut restringitur episcoporum ordinaria jurisdictio ordinariumque magisterium: et id communiter admittitur ex iisque legimus in eorum Epistolis et Actibus (Cf. v. g. Rom. I. 5, 15; I. Cor. VII. 17; Act. IX. 15): idque conveniebat tùm eorum dignitati prae meris episcopis multò majori, tùm necessitatibus primorum temporum, tùm Ecclesiarum fundationi, quae fuit Apostolorum per mundum discurrentium opus commune. "Summa potestas ecclesiastica (ait Bellarmin. de Rom. Pont. l. 1. c. 9) non solùm data est Petro, sed etiam aliis Apostolis. Omnes enim poterant dicere illud Pauli: Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum (II. Cor. XI. 28)... Fuit enim in illis Ecclesiae primordiis necessarium ad fidem toto orbe terrarum celeriter disseminandam, ut primis praedicatoribus et Ecclesiarum fundatoribus summa potestas et libertas concederetur." — Cf. Phillips, Du droit ecclés., t. 1er § XVIII in fine. — His verò concessis, sic argumentamur:

Haec amplissima in singulis Apostolis praerogativa jurisdictionis conciliabitur cum Petri primatu

et jurisdictione in ipsos Apostolos, si Apostoli omnes & singuli erant nihilominùs Petro aliquomodo subditi & subordinati. Atqui erant, ut statim probamus:

I. Ex ipsis locibus thesis præcedentis. — Petrus solus constitutus est à Christo "petra, super quam Christus ædificat Ecclesiam suam", simpliciter dictam: id autem, ut ostendimus (p. 218 seqq.), importat potestatem jurisdictionis in totam Ecclesiam. — Atqui ipsi Apostoli, sive singuli sive in collegio spectati, maximè erant de Ecclesiâ Christi. — Ergo. — Item, Petrus solus audiit à Christo: "Pasce oves meas ... agnos meos", integrum ovile Christi, quod est Ecclesia. — Atqui ipsi Apostoli erant de grege Christi, erant primitiæ inter oves Christi. — Ergo et ipsi dati sunt Petro pascendi seu regendi. (Cf. supra p. 263).

Hic benè advertit Franzelin thes. 10, II: "Potest quidem tradi cuipiam potestas in singulos constituentes unum corpus morale, quin ideò necessariò sit consequens eamdem potestatem valere in omnes simul spectatos formaliter ut unum corpus; sed esse aut concipi nequit potestas tradita in ipsum corpus morale spectatum in suâ plenitudine totius, quin eadem comprehendat omnes et singulos, qui velut membra inhærent vel qui obstringuntur illi toti corpori, in quod dicitur tradita esse potestas." — Si quis v. g. constituitur mandato singulari dux totius exercitûs in quo sunt alii duces: eo ipso constituitur supra singula membra exercitûs, et quidem supra ipsos illos duces.

II. Ex fine intrinseco primatûs Petri. Finis ille fuit stabilis unitas Ecclesiæ totius, ut constat tum ex ipsâ figurâ fundamenti domûs, adhibitâ à Christo, tum ex verbis statim additis, "Et portæ inferi" &c. (Cf. supra p. 219), tum ex Pa-

brum assertione. Atqui finis ille obtineri non potuisset, si nullam dependentiam à Petro habuis-sent cæteri Apostoli. Nam tunc v. g. Matthæus (et sic de aliis) Ecclesias fundare seu ædifica-re potuisset unicè à seipso dependentes, quin eas Petri auctoritati subjiceret: et sic fuissent plures Ecclesiæ independentes, nullum autem centrum unitatis, nullum ædificium sociale u-num, sed plura ædificia: aliis verbis, schisma fuisset ab ipsis Apostolis institutum pro statu normali, et consecratum. Quòd si dicis, Mat-thæum, ubi novam fundabat Ecclesiam, eam Pe-tro subjicere et cum illo centro unitatis connec-tere debuisse, facis Matthæum aliquomodo depen-dentem à Petro, et ligatum erga Petrum, ad quem omnes sui Apostolatûs fundationes et institutiones Matthæus referre debebat, et à cujus principatu se subtrahere per independentes porrò operà-tiones non poterat: et habemus quod volumus. — Quod egregiè notavit S. Optatus l. 2. n. 2 (Migne XI. 947): "Negare non potes scire te, in urbe Ro-mâ Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in quâ sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est: in quâ unâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli sin-gulas sibi quisque defenderent" (singulas, i. e. divisas et separatas), "ut jam schismaticus et pec-cator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret."

Quem textum Optati benè commen-tatur ipse gallicanus archiep. Parisiensis Petrus de Marca, in Opusc. de Discrimine cleric. et laic., n. 21, dicens unitatem ab omnibus Apostolis servandam (fuisse) in illâ unâ cathedrâ ne si ab ejus uni-tate recedentes in ecclesiis ædificandis aliam cathe-dram constituerent, schismatici et peccatores haberentur.

Nullum erat periculum ne, scissâ unitate Ecclesiæ, Apostoli proprias sibi ecclesias defenderent, sejunctas à communione Petri. Sed reginius semel constituti forma exposcebat, ut sciremus Apostolos quoque ipsos huic regulæ à Christo præscriptæ subditos fuisse.» — Et ibid. n. 13: «Tenebantur Apostoli fundare ecclesias in unitate, cujus caput cùm esset Petrus, illius communioni eas subjicere tenebantur.» Et c. 3. affirmat ex Patrum doctrinâ, communicatam à Christo aliis Apostolis omnem potestatem præter illam, quæ «pro tuendâ unitate in universalis Ecclesiæ regimine illi (Petro) præ cæteris indulta est.» — Cf. præclarum opus Petri Ballerini De vi ac ratione primatûs, Veronæ 1766, c. 9. n. 7; c. 12. n. 49.

Hæc magis evolvit Cercia de Rom. P., s. 1. lect. 3: «Parem habuerunt Apostoli, respectu Ecclesiæ, missionem, in ratione apostolatûs, Conc.: in ratione gubernationis et officii conservandæ unitatis, Nego... Quippè enim poterant ubivis prædicare, æque ministrare sacramenta, fundare ecclesias, ministros instituere et alia hujusmodi. Sed hoc non tollit quominùs in ratione gubernationis non essent ipsi suprema Ecclesiæ capita, ac tenerentur tale sui caput in Petro agnoscere, seriòque efficere ut similiter ab ecclesiis, eorum operâ fundatis, Petrus tanquam commune caput et centrum agnosceretur. Ad hoc præstandum, nempe ad agendas partes supremi capitis et communis centri unitatis, non habuerunt missionem à Christo reliqui Apostoli; secùs quot capita suprema habita fuissent, et quotuplex supremum Ecclesiæ centrum extitisset? Hanc missionem præter communem illam apostolatûs accepit Petrus, utpotè qui et audivit: Euntes in mundum universum prædicate evangelium, et insuper audivit sibi soli dictum: Tu es Petrus, &c....

Omnia quæ dantur Apostolis dantur et Petro, sed non vicissim quæ sunt Petro promissa possunt in reliquos Apostolos ex æquo transferri ... Apostoli fuerunt pares Petro in apostolatu et ejus mineribus non autem in primatu. Et quoniam ratio primatûs sita est in ratione centri unitatis. omnia ea æquè ac Petrus potuerunt Apostoli, quæ non includerent rationem centri supremi unitatis, neque ab eâ ulli tali penderent, aut ad ipsam revocarentur.»

III. Negativè. Nullus exemptio à communi lege est admittenda, nisi positivè probetur. Atqui adversarii nihil afferunt, quo revera probetur, Apostolos fuisse penitùs exemptos à jurisdictione Petri, seu à communi lege quâ tota Ecclesia (ex thesi proced.) fuit ejus auctoritati subjecta: ac proinde Petro æquales fuisse jurisdictione. Nam textus quos afferunt, semper intactam relinquunt illam subordinationem seu dependentiam Apostolorum à Petro, quam volumus. Percurramus præcipuos, et ex quorum solutione solventur et alii similes qui forte possent objici.

1us textus ab adversariis objectus: Matt. XVIII. 18. «Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo» Unde aiunt: Hic habetur perfectus parallelismus cum loco Matt. XVI. de promissis Petro factis. Ergò eadem potestas jurisdictionis, quæ Petro datur in uno loco, aliis datur in alio loco.

Resp. 1°) Nego Antec. et parallelismum illum perfectum ex quo adversarii arguunt. Nam ex tribus quæ à Christo dicuntur de Petro, «Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ... Tibi dabo claves regni cælorum, ... Quodcumque ligaveris super terram, &c.»,

ultimum tantùm dicitur ab ipso de aliis Apostolis: "Quæcumque alligaveritis, &c." Ergò, etiamsi tres illæ formulæ admittantur exprimere eandem supremam jurisdictionem, tamen earum omnium in solo Petro accumulatio non facta est sine causâ, et jam indicat, supremam (vicariam) jurisdictionem Petro inesse quodam meliori modo, i.e. secundum originem et virtutem, aliis verò Apostolis secundùm quandam participationem et derivationem à Petro, licet et ipsi ubique terrarum possint ligare et solvere. Eo magis, quod formulæ illæ, soli Petro applicatæ à Christo, ex se majorem vim habent ad principalitatem potestatis exprimendam: id patet de fundamento Ecclesiæ: item de traditione clavium regni, quæ est actio symbolica vividè exprimens principatum illius viri, cui soli claves traduntur.

Resp. 2°). Trans. Ant., Dist. Cons: eadem potestas, suprema jurisdictionis quæ Matt. XVI. promittitur Petro, Matt. XVIII. promittitur quoque aliis Apostolis, dist.: sumptis singillatim vel collectivè sine Petro, Nego: collegialiter sumptis cum suo capite Petro, ita ut primò et principaliter recipiatur in Petro, et participetur ab aliis Apostolis quatenus uniti cum Petro, Conc. Sanè "quæcumque ligat" (v.g. in aliquo Concilio) Collegium Apostolicum, adæquatè sumptum, scil. cum Petro qui ex Apostolis erat unus imò primus, eadem semper "erunt ligata et in cœlo"; nec ullus "super terram" superior, excluditur collegio Apostolico adæquatè sumpto, solvere potest quod collegium illud ligavit. Ergò verificantur optimè verba Christi: "Quæcumque alligaveritis super terram" &c.; etiamsi fatemur in Apostolis subordinationem et dependentiam à Petro, et solus Petrus

habeat potestatem secundum originem, seu tanquam in fonte et principio, proinde solus habeat supremam potestatem simpliciter, alii verò secundum quid, quatenus eorum collegium revera dominatur totî reliquæ Ecclesiæ et in omni terræ loco. Itaque, juxta nos, promissio facta collegio descendit in singulos (in Petrum et alios) vario gradu et modo pro variâ dignitate subjectî.

Quod possit et debeat ita intelligi promissio facta aliis Apostolis, ostenditur a) ex modo quo Christus eos alloquitur. Non enim alloquitur eos singillatim et separatim sumptos (ut ad Petrum locutus est, Matt. XVI.), aut collectivè sumptos absque Petro: sed alloquitur in plurali ("Quæcumque alligaveritis,") totum Collegium incluso Petro, qui erat præsens. b) Christus sumit collegium ut jam habet revera ex promissionibus antea factis soli Petro, scilicet cum inductâ jam inæqualitate, seu dependentiâ omnium aliorum à solo Petro. Neque enim Christus supremam potestatem Petro simpliciter, indefinitè, universaliter jam assignatam (M. XVI), nunc (Matt. XVIII) revocat aut minuit: nullum talis revocationis signum est, nulla causa: cæterùm "sine pœnitentiâ sunt dona et vocatio Dei" (Rom. XI, 29.). Hæc agnoscit ipse Bossuet (Sermon sur l'Unité de l'Eglise, 1er point):
"C'était donc manifestement le dessein de J. C. de mettre premièrement dans un seul, ce que dans la suite il voulait mettre dans plusieurs. Mais la suite ne renverse pas le commencement, et le premier ne perd pas sa place. Cette première parole, "tout ce que tu lieras" dite à un seul, à déjà rangé sous sa puissance chacun de ceux à qui on dira: "Tout ce que vous remettrez"; car les promesses de J. C. aussi bien que ses dons, sont sans repentance, et ce qui est une fois donné indéfiniment et universellement est irrévocable." — c) Verba Matthæi XVI, ex contextu habent rationem specialis præmii

ut probavimus : atqui amitterent eam rationem, ac proinde perverterentur eorum genuinus sensus, si jurisdictio quæ promittitur Petro, esset conferenda ex æquo aliis : nam tunc quodnam proemium speciale Petrus haberet ? Ergo jurisdictio quæ Petro promittitur M. XVI, non intelligenda est promitti aliis ex æquo, Matt. XVIII, ergo intelligendi sunt eam recipere cum quadam inferioritate. Sed quoniam unusquisque Apostolus jurisdictionem habebat in universa Ecclesia, nullo modo fuisset Petro inferior, si non fuisset ab ipso aliquomodo dependens. Ergo non nisi dependenter a Petro cæteri jurisdictionem accipiunt. —— d) Textus ille in quo res exhibentur magis generaliter et in confuso, explicari debet ab illo, in quo magis particulariter et distincte. Atqui Matt. XVIII, Christus in confuso alloquitur omnes Apostolos incluso Petro, quin explicet relationes vel æqualitatis vel inæqualitatis, et dependentias, quæ inter eos esse possunt : et verum est brevissimus. E contra, Matt. XVI alloquitur unum ex ipsis particulariter et distincte, et relationem superioritatis ipsi dat erga omnes alios ; et hoc variis modis amplificat et declarat. Ergo textus Matt. XVIII explicandus est ex Matt. XVI, non vicissim textus Matt. XVI est restringendus per Matt XVIII.

Ex his vides, solâ nostrâ interpretatione rationaliter et conformiter contextui Scripturæ conciliari : ab adversariis vero, non conciliationem Scripturarum, sed earum confusionem corruptionemque produci.

Similiter intelligendi sunt textus alii, in quibus Christus confert potestatem toti collegio apostolico : " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos " (ubi quemadmodum subaudit Christus inæqualitatem inter se et apostolos, ita inæqualitatem inter ipsos ; cf Phillips n. XIX in fine) — et : " Euntes ergo docete " etc (in quo cæterum agitur expresse de magisterio non de jurisdictione).

2us textus, vel secunda species textuum objicitur, ubi Apostoli omnes videntur dici "fundamentum". 2ta Apoc XXI. 14 "Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni."

Resp. a): Magnum discrimen est inter claram et solemnem promissionem Petro factam ab ipso Christo, et haec verba visionis apocalypticae obscuriores, in quâ directe de cœlesti Jerusalem agitur, et de cætero tantum dicitur nomina Apostolorum inscribi fundamentis (quod potius eos dicit architectos, quam fundamenta Ecclesiæ), profectò non clarè dicitur, super Apostolos ædificatam esse Ecclesiam Christi in terris, ità ut sensus supremæ jurisdictionis sub illâ figurâ fiat necessarius. — b) Etsi ageretur de jurisdictione, explicandus esset ille textus obscurior per textum Matthæi, cujus evidenter nequit promissiones speciales revocare (cf: quæ diximus de præcedenti objectione), et dicendum esset totum Collegium apostolicum (post discessum Christi a terris) suâ summâ jurisdictione sustentâsse Ecclesiam, sed in illo Collegio aliis alio modo: Petrus ut fundamentum visibile primarium: alii Apostoli ut fundamenta secundaria, primario consociata: "Omnes enim (ait Bellarm. ib. c. 11) fuerunt capita, rectores et pastores Ecclesiæ universæ: sed non eodem modo quo Petrus .... Ita habuerunt plenitudinem potestatis, ut tamen Petrus esset caput eorum, et ab illo penderent, non è contrario."

Urgent cum simili textu Eph II. 20, ubi fideles dicuntur "superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu." — Et sunt a) qui solvunt eodem modo ac supra, distinguentes inter "Apostolos" eum qui primario et eos qui secundario erant fundamentum. Sed melius b) advertitur "fundamentum apostolorum" non necessariò significare: fundamentum quod sunt Apostoli, sed posse significare: fundamentum quod ponunt Apostoli:

(ita ut genitivus ille "Apostolorum" indicet causam non formalem sed efficientem, et Apostoli sint architecti non fundamenta). Fundamentum autem ab architectis Apostolis positum nihil aliud est quam recta fides de Christo, (ut habetur ex alio textu, I. Cor. III. 11. quem explicavimus supra, p. 227, b.): quæ fides suo modo est fundamentum totius vitæ christianæ, non tamen sensu jurisdictionis, quam enim jurisdictionem haberet fides? - sed figura fundamenti, prout applicatur rei abstractæ ut est fides, vel personæ ut est Petrus, modò non debet, modò debet jurisdictionem significare: nam sunt omnia intelligenda accommodatè ad naturas rerum, ut notat Bellarm. l.c. - Sensus autem, quem dicimus, non tantùm potest, sed ex contextu debet agnosci in textu, qui nobis objicitur. Etenim Paulus hic conjungit Apostolis Prophetas, "super fundamentum Apostolorum et Prophetarum". Atqui "Prophetæ" qua tales non habent jurisdictionem, sed "fundamentum" fidei ab eis ponitur. Et hoc de omnibus prophetis in genere valet, sive hic agatur de Prophetis V. Test., qui Christum prophetice annuntiaverunt et sic habuerunt unam cum apostolis prædicationem de Christo, et sic eis conjunguntur in Christo « summo angulari lapide », qui « fecit utraque unum », Judæos et Gentiles (quam interpretationem vide apud S. Palmieri De R. Pontifice. p. 243); sive agatur de prophetis N. Test., quos idem Paulus distinguit ab apostolis in eâdem epistol. IV. 11: « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas », etc. (Cf. Mat. XXIII. 34). In hâc 2ª interpretatione (quam dat Passaglia l. 2. c. 6 n. 91), advertendum est sub uno nomine « fundamenti » connumerari Apostolos et prophetas, quin tollatur discrimen, quo Prophetæ erant certè inferiores gradu, I Cor. XII, 28: « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ, primùm

apostolos, secundo prophetas," etc. Ergo a pari connumeratio confusa omnium simul Apostolorum non tollit discrimen gradûs inter Petrum et alios; etiamsi hic ageretur de jurisdictione.

Denique 3°) ad confirmandam suam Scripturæ interpretationem afferunt textus Patrum qui affirmant apostolos fuisse æquales. — Resp. a) æqualitatem etiam juxta nos admittendam esse quamdam, secundum quid non simpliciter generalem non specificam: æqualitatem nempe quoad quasdam potestates et prærogativas, ut est summa potestas ordinis, magisterium infallibile cum novis revelationibus immediatâ à Christo missio, jurisdictio in omni loco: ex quibus omnibus et solis intelligi potest conflata dignitas "apostolatûs", ita ut præcisè in "apostolatu" sint perfectè æquales Petrus et alii, seu Apostoli formaliter ut Apostoli sint perfectè æquales. Apostolatus igitur est genus commune; primatus est differentiâ specifica quam Petrus solus addit generi, et sic ab aliis differt specie jurisdictionis. Et ideo b) multi textus Patrum affirmant inæqualitatem inter alios Apostolos et Petrum quem vocant Apostolorum primum, principem, coryphæum, caput, etc. — Hos soli illos omnes textus, apparenter oppositos, conciliamus. Et sicut dici solet omnes homines esse æquales, spectatâ scilicet naturâ communi, quamvis etiam dici possit et debeat eos esse inæquales, nec eamdem potestatem habere patres et filios, gubernantes et subditos: ita ferè de apostolis utrumque vere dicitur, nempe sub diverso respectu.

Quod autem jurisdictio in Petro specificè differat à jurisdictione aliorum Apostolorum quamvis extensâ per universum orbem, et sic addat generi communi specificam differentiam, sic patet. Petrus, ut constat ex nostris argumentis, jurisdictionem quam-

dam habuit in ipsos Apostolos, qui munus suum exercere non poterant sine respectu ad Petrum, sejuncti a Petro, suasque ecclesias Petro subordinare debebant. atqui nemo alius etiam Apostolus, jurisdictionem ullam habebat in alios Apostolos. Ergo Petri potestas erat extensivè major, (seu ad plures extendebatur personas sibi subordinatas); imò etiam intensivè, cum sola attingeret summos illos duces Apostolos, sola esset verè universalis, sola plenissima, sola ab omni homine independens: in quo habetur characteristica nota verè diversa et proinde discrimen specificum non merum discrimen quantitativum et accidentale, sicut esset inter duos reges quorum unus haberet paulo majorem numerum subditorum: vel inter auctoritatem Petri tali die et auctoritatem ejusdem Petri die sequente, aucto numero christianorum de die in diem.

Hæc tamen inde concipere debemus Primatum jurisdictionis tanquam potestatem in Petro diversam ab ejusdem jurisdictione apostolicâ et episcopali. Una est in ipso recepta a Christo jurisdictio, seu « potestas regendi baptizatos in ordine ad vitam æternam » (Cf. p. 51): quæ dicitur « primatus jurisdictionis » quatenus in solo Petro recipitur illa potestas apostolica et episcopalis jurisdictionis secundum totam suam independentiam et plenitudinem, seu secundum gradum specificè diversum à gradu aliorum, qui (etiam ipsi apostoli) eamdem potestatem recipiunt secundario et dependenter a Petro, seu in gradu inferiori. Profecto non est assimilandus Primatus dignitati Patriarchali aut Metropolitanæ, quæ dignitates, utpote juris ecclesiastici non divini, ipsâ origine suâ differunt in eodem subjecto a potestate episcopali utpote a Christo immediatè institutâ. (Cf. Bolgeni, l'Episcopato, t. 1 c. 2. n: 18).

Hinc etiam apparet, cur dicantur a quibusdam Patribus omnes Apostoli eamdem parti-

cipare potestatem cum Petro: est enim una et indivisa potestas ecclesiasticæ jurisdictionis ab uno fonte orta, ad unum finem unam Ecclesiam ducens; sed non est eodem modo et gradu in Petro atque in aliis Apostolis. Ad rem Bossuet l. cit.: « Ainsi le mystère est entendu: tous reçoivent la même puissance, et tous de la même source, mais non pas tous en même degré, ni avec la même étendue: car J.-C. se communique en telle mesure qu'il lui plaît, et toujours de la manière la plus convenable à établir l'unité dans son Eglise. C'est pourquoi il commence par le premier: et dans ce premier il forme le tout: et lui-même il développe avec ordre ce qu'il a mis dans un seul: et Pierre, dit S. Aug. (tr. 124 in Jo.), qui dans l'honneur de sa primauté représentait toute l'Eglise, reçoit aussi le premier et le seul d'abord, les clefs qui dans la suite devaient être communiquées à tous les autres; afin que nous apprenions, selon la doctrine d'un Saint évêque de l'Eglise gallicane (S. Cæs. Arel. ep. ad Symm.), que l'autorité ecclésiastique premièrement établie en la personne d'un seul, ne s'est répandue qu'à condition d'être toujours ramenée au principe de son unité; et que tous ceux qui auront à l'exercer se doivent tenir inséparablement unis à la même chaire. »

Probatur 2ª pars

Facta historica, ex libris N. Testamenti deducta, duplicis classis possunt umbra Primatum Petri objici: I) facta potius negativa, ut est defectus exercitii Primatus, silentium vel ignorantia Apostolorum de Primatu. – II) facta quædam positiva, quæ Primatui contradicere videntur.

Atqui ex neutro capite probari potest

aliquid contra Primatum Petri, sed potius facta Primatum confirmant. Ergo.

Probo Min. quoad I^m: ex factis argumenta negativa.

Haec rursus bifariam dividi possunt. 1° Ex parte Petri, defectus exercitii: atqui primatum si habuisset, exercuisset. — 2° Ex parte aliorum Apostolorum, ignorantia vel silentium: atqui primatum si Petrus habuisset, ipsi non ignoravissent nec tacuissent. — Utrumque aggrediamur:

1°) Defectus exercitii in Petro.

Ante omnia advertendum est, nullum primatûs exercitium exigendum esse pro toto tempore, quo Christus fuit in terris: Christus ipse hunc coetum fidelium gubernabat; nec potuit esse alia ratio cur demùm supremam potestatem vicaria n alicui committeret, nisi ipsius discessus à terris, quo factum est, ut jam non posset ipse ea praestare quae in societate praestat gubernator visibilis. — Eò magis, quòd primatus promissus est quidem mediam per vitam publicam Christi (Matt. XVI), at non collatus nisi post Christi resurrectionem (Jo. XXI).

De temporibus autem quae discessum Christi secuta sunt, usque ad mortem Petri,

Resp. 1° Etsi verum esset, Petrum nunquam exercuisse suum primatum, non inde everteretur existentia illius Primatûs. — Nam a) defectus exercitii alicujus juris non est argumentum, aliquem eo jure carere: proinde si aliunde scimus Christum contulisse potestatem Petro, hoc sufficit ut eam asseramus. — Dices: Tunc inutiliter potestas fuisset collata. — Resp.: Cùm Petrus

primatum acceperit etiam et maxime pro successoribus suis ad perpetuam Ecclesiæ unitatem (ut infra probabimus), non fuisset inutiliter collata, etsi ipse potestatem illam nunquam exercuisset. — b) Adjuncta specialia, in quibus vivebat Petrus, poterant efficere, ut nullum talis exercitii exemplum seu signum clarum appareret. Etenim ipsum exercitium jurisdictionis in omnibus locis, in Episcopos, &c. (quod in Romano Pontifice clarum exercitium est primatûs, quia hodie solus hoc potest), - quoniam erat aliquid commune singulis Apostolis, ut diximus, exinde non poterat in Petro esse nisi signum æquivocum, quod non magis Primatum, quam Apostolatum in genere significaret. Ergò non aliter poterat Petrus primatum formaliter ut talem et clarè exercere, nisi exercendo jurisdictionem in alios Apostolos. Jam verò deesse poterant occasiones id faciendi: tùm quia Apostoli sæpiùs erant dispersi valdè, nec facile cum Petro communicare poterant, dùm ingenti suo labori vacarent; tùm quia jurisdictionis usus potiùs est ad dirigendos ignaros et cæcos, ad coercendos malos et contumaces ("Ex justo non est posita, sed injustis, et non subditis" &c. I. Tim. I. 9): alqui Apostoli erant infallibiles personaliter, habebant legem charitatis in corde scriptam, erant confirmati in gratiâ (saltem ad mortalia vitanda), &c. Ergò, ut ait P. Hurter (Thes. 75, Schol.) "fatendum ultro est, pro eximiis quibus Apostoli excellebant charismatibus, extraordinariisque Ecclesiæ stadio, hujus primatûs exercitia in ipsos Apostolos locum nullum aut vix ullum dari potuisse." Et Card. Franzelin de Eccl.

Th. X, n. II: « Apostolos ipsos quod spectat, dona extraordinaria Apostolatûs, i.e. non propaganda ad successores, cujusmodi sunt revelatio veritatis, et missio gubernationis non restricta ad singulares Ecclesias sed extensa ad fundandas et regendas Ecclesias inter omnes gentes, singulis impertita immediatè à Christo et Spiritu Sancto, infallibilitas singulorum in fide, contra errores, impeccabilitas in charitate contra schismata, — hæc, inquam, dona Apostolatûs non tollebant jus divinitùs institutum in visibili capite Petro, sed ob perfectionem membrorum exercitium directivum et coactivum jurium ex parte Petri minùs necessarium et raro vel unquam in actum deducendum, ex parte Apostolorum agnitionem eorumdem jurium indefectibilem reddebant. »

Resp. 2° Libri V. Testamenti sunt breves, multa omittunt, multa leviter innuunt potiùs quam ostendunt; Traditionem exigunt quæ ipsos complet et explicet. (Cf. Franzelin de Traditione et Scripturâ. et tractatum de Ecclesiâ). Ergò non debent omnia dogmata referre. à fortiori ubi agitur de primatu Petri; cùm ex verbis Christi in Evangelio relatis illud dogma jam deduceretur clarè, nihil omninò scriptores sacros cogebat, ut insuper pauca illa facta, quibus exercitium Primatûs patere poterat, accuratissimè referrent in Epistolis suis vel in libro Actuum, ita ut ex illis factis argumentum novum et per se sufficiens colligi posset. — His benè consideratis, apparebit, rationabiliter nihil posse amplius exigi præter indicia illius exercitii, quæ statim dabimus ex his libris: quæ indicia per se sola non darent argumentum demonstrativum, præsertim si sumun-

tur separatim non conglobatim, et possent relinquere dubium aliquod circa naturam Primatûs, utrum sit jurisdictionis an meri honoris, sed illustrantur et in suo vero sensu intelliguntur, si conferantur cum textibus ex quibus primatum jurisdictionis jam probavimus:

a) Petrus sollicitus fuit de ipso Collegio Apostolico, tum ut illud, defectione Judæ imminutum, compleret, ipse moderans primum actum communem Apostolorum, (Act. I. 15, seqq.) tum ut ejus tueretur famam (Act. II. 15.). — Atqui sollicitudo de ipso Collegio Apostolico est signum jurisdictionis in illud. — (Cf. Bolgeni l. c. c. 2. n. 24).

b) Primus Judæos (Act. II. 38, 41), primus et Gentes (Act. X. 48) in Ecclesiam recepit: atqui hoc est consectarium et signum plenissimæ jurisdictionis, sicut est solius domini domûs, hospites in domum admittere. Cf. supra p. 237.

c) Cùm Christus præcepisset, ut per aliquod tempus soli Judæi prædicationem acciperent, soli in cœtum fidelium admitterentur, unus Petrus accepit revelationem (Act. X. 10, seqq.) de momento quo Gentiles essent et ipsi jam admittendi, ex quo jam Ecclesia inciperet omnes suas habere proprietates additâ nempe actuali universalitate seu catholicitate (Cf. Franzelin de Eccl. th. XIV): unus accepit missionem, ut de hac re tanti momenti, quâ jam catholica exstaret Ecclesia, cæteros Apostolos doceret, Act. XI. 1, seqq.: et quamvis christiani hierosolymitani primùm haberent difficultatem in tali mutatione admittendâ, audito Petro humiliter se subjecerunt V. 18: « His auditis tacuerunt, et glorificaverunt Deum » — Cf. Bolgeni l. c. n. 27. — De illa visione Petri Bellarmin. (de Rom. Pont. l. 1. c. 22) etiam notat quomodò, propositis Petro Gentilibus sub figurâ

animalium multiplicis generis quæ Lege Mosaicâ excludebantur à sacrificiis et cibis populi electi, sulchrò dicitur ei: « Surge, Petre, occide et manduca. » Nam capitis est manducare, et per manducationem cibos incorporare. Ergò per illam allegoriam significatur Petro convenire, ut ipse, tanquam visibile caput corporis Ecclesiæ, infideles convertat, seu efficiat Ecclesiæ membra.

d) Primum miraculum ad fidem Christi confirmandam, stabiliendamque Ecclesiam, factum est à Petro (Act. III. 6): qui multitudinem stupentem statim alloquitur, et solemni illâ concione quinque millia virorum convertit (Act. IV. 4). Et postea specialiter honoratur Petrus dono miraculorum, ut magis confirmetur auctoritas ejus, quam cæterorum: "concurrit multitudo" etiam "vicinarum civitatum" ad Petrum, qui transeundo umbrâ suâ infirmos sanabat (Act. V. 14), in quo apparuit ut imago Christi, ad quem omnes concurrebant, et qui pertransiit benefaciendo et sanando (Cf. Luc. IV. 40; Act. X. 38). – Hurter thes. 75.

e) Prima hæresis, quæ in Ecclesiam tentavit irrepere, nempe Simonis Magi, supremâ Petri auctoritate damnata est: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri » (Act. VIII. 20).

f) Et pariter, prima publica transgressio promissionis factæ Deo in facie Ecclesiæ, à Petro fuit damnata et severissime castigata, morte miraculosâ ipsorum prævaricatorum, Ananiæ et Saphiræ (Act. V. 3. segq.);

g) Prima persecutione contra Ecclesiam excitâ, Petrus primus inter Apostolos liber-

talem Ecclesiæ promulgavit: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus » (Act. v. 29).

h) Quia semper persecutores, ex ipsâ rerum naturâ, supremum gubernatorem imprimis quærunt illius societatis quam evertere volunt; Herodes, non contentus Jacobum Apostolum comprehendere, ut placeret Judæis, « apposuit ut apprehenderet et Petrum » (Act. XII. 3): Petroque comprehenso conjectoque in carcerem, « oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesiâ ad Deum pro eo »: quod pro ipso Jacobo factum non memoratur, nec pro alio Apostolo. Unde etiam Petrus insigni miraculo tunc liberatus est.

i) In Concilio Hierosolymitano (Act. XV. 7), Petrus, cum esset magnâ disquisitio et controversia, primus decretoriam profert sententiam, quâ auditâ « tacuit omnis multitudo »; alii Apostoli postea dicentes, scil. Paulus, Barnabas, Jacobus, sententiam Petri confirmant, eique tuo judicio assentiunt, ut notat Chrysost. hom. 33 in Act. n. 2: « Et vide: post Petrum Paulus loquitur; et nemo reprimit; Jacobus exspectat, nec exsilit: illi enim (Petro) principatus concedebatur. » Et Hieronymus ep. 112. n. 8. dicit Petrum "principem hujus decreti (auctorem) esse", quod à Concilio latum est. — Cf. Kenrick, cap. 6.

j) Paulus etsi missionem suam se accepisse immediate à Christo declarat (Galat. I. 1, 12, 17), tamen addit ibid. v. 18: « Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre (ἱστορῆσαι) Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim. alium autem Apostolorum vidi (εἶδον) neminem, nisi Jacobum fratrem Domini ». — Ἱστορῆσαι non est "videre" simpliciter, sed « videre ad aliquid percontandum seu conferendum », ut Erasmus et Heinsius à Calmeto laudati observarunt;

vel, ut notat Chrysost. in h.l., aliquid magnum ac splendidum invisere. Solum Petrum hoc modo videt Paulus, et praecisè ad eum ita videndum longam aggreditur viam, et manet apud ipsum. « Tanta auctoritatis fuit Petrus : » ait Hieronymus, epist. ad Aug., 112. n. 8. Et Aug. cont. Faustum, C. 28. n. 4 : « Nisi ejusdem societatis (cum Petro) esse appareret (Paulus), Ecclesia illi omninò non crederet. » Adverte enim Paulum in illo loco apologiam facere suæ prædicationis et missionis : proinde recursum ad Petrum et consensum cum Petro affert ipse tanquam argumentum pro se ; quod implicite Primatum asserit, et necessitatem adhærendi Petro tanquam unitatis centro (Cf. Ballerini op. cit. c. XII. n. 50). — « Grimm, Holzenfeld, Meyer (ait D. Drach in h.l.), tous les trois auteurs protestants, ont fait la même remarque (que les Pères). Le dernier d'entre eux a avoué de bonne foi que ce verset établit en faveur de Pierre une position exceptionnelle dans le collège apostolique. » — Pariter Bossuet, sermon sur l'unité de l'Egl., 1er point : « Jérusalem, .. où il fallait que le grand Paul, Paul revenu du troisième ciel, le vînt voir : non pas Jacques quoiqu'il y fût ; un si grand apôtre, « frère du Seigneur », évêque de Jérusalem, appelé le Juste et également respecté par les chrétiens et par les Juifs : ce n'était pas lui que Paul devait venir voir ; mais il est venu voir Pierre : et le voir, selon la force de l'original, comme on vient voir une chose pleine de merveilles et digne d'être recherchée : le contempler, l'étudier, dit S. J. Chrysost. ; et le voir comme plus grand aussi bien que plus ancien que lui, dit le même Père : le voir néanmoins, non

pour être instruit, lui que N.-S. instruisait lui-même par une révélation si expresse. mais afin de donner la forme aux siècles futurs, et qu'il demeurât établi à jamais que quelque docte, quelque saint qu'on soit fût-on un autre S. Paul, il faut voir Pierre." — Marius Victorinus in h.l. eadem dixerat (Migne VIII. 1155): "Etenim si in Petro fundamentum Ecclesiæ positum est ut in Evangelio dictum: cui revelata erant omnia, Paulus scivit videre se debere Petrum, quasi eum, cui tanta auctoritas à Christo data esset, non ut ab eo aliquid disceret."

Et hæc sufficiant de exercitio Primatûs, ut constat ex N.T.

2°) Ignorantia et silentium aliorum Apostolorum.

Ignoraverunt Apostoli Primatum Petri, Dist.: eo tempore, quo jam erat collatus et jam vigebat, scil. post discessum Christi, Nego: quandò nondùm exsistebat, Transeat. — Instant: Ignoraverunt etiam post promissionem Petro factam: nam "facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major." (Luc XXII. 44). Atqui ignorare non debuissent, si promissio fuisset tam clara quam dicitur fuisse. — Resp. Trans. Maj. (Dico "Transeat", quia ipsa "contentio" suadet, verba Christi saltem aliquo modo abeis intellecta fuisse: Apostoli certè supponunt aliquem futurum majorem; et tantùm dubitant de Petro, quem sibi præferri ægrè ferebant): Nego Min. — Erat clara promissio, sed ei qui rite eam consideraret. Jam verò Apostoli tunc erant rudes, et insuper propriâ cupiditate excæcati ne prærogativam Petri rite considerarent et certò agnoscerent. Aliunde, aïm ageretur de re non tunc sed in posterum implendâ, non erat opus ut tunc intelligeretur dis-

tinctè sensus verborum Christi: alia etiam non intellexerunt nisi postea, exemplum habes Jo. II. 22. Quare ipse Christus exspectat, interim humilitatem eis altercantibus (quod tunc erat maxime necessarium) inculcat, et naturam protestatis ecclesiasticæ, de quâ carnales ideas habebant, nec negat (cf. supra p. 76) imò supponit, fore ut aliquis super alios Apostolos sit "major" et "præcessor", ὁ μείζων, ὁ ἡγούμενος; quæ 2ª voce jurisdictionem diserte significat, cf. Matt. II. 6, Hebr. XIII. 12 (supra p. 57), Clementem Rom. (supra p. 60), &c. Petri verò personam interim satis innuebat, tùm promissionibus quas ipsi recolere poterant, tùm variis factis quibus Primatus ejus præenuntiabatur symbolicè et quasi dramaticè; v. g. Matt. XVII. 27, quando colligentes didrachma (tributum templi) quærunt à discipulis: « Magister vester non solvit didrachma? » et tunc Christus mediante Petro miraculum patrat: « Vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te »: vult nempe, ut solvatur tributum, non pro se tantum, non pro omnibus discipulis, sed pro se simul et Petro, tanquam unâ secum personâ juridicâ: et hic modus loquendi et agendi Christi erga Petrum adeò hunc Apostolum distinguere visus est ipsis discipulis, ut statim, teste Evangelista, inter eos orta sit solita controversia de "majore in regno cælorum" seu Ecclesiâ. Et in multis aliis occasionibus Christus Petrum distinguit et cæteris præfert: ex ejus navi docet turbas, ipsi parat miram et symbolicam piscium capturam, ipsi soli, ut gubernatori navis symbolicæ, dicit: « Duc in altum; » cum jubet venire ad se superaquas;

vult ut ei in primis annuntietur sua à mortuis resurrectio (Marc. XVI. 7), ei etiam primo ex Apostolis appareat (Luc XXIV. 34; I. Cor. XV. 5), &c. Petrus etiam semper adest, quando coram paucissimis discipulis Christus eximium aliquid operatur, ut in transfiguratione, in ressuscitatione filiæ Jairi, in horto olivarum ante passionem, &c. (Hutor thes. 69).

Ex silentio Apostolorum in ipsorum scriptis quæ habemus, a) etsi concederetur istud silentium, solidum argumentum contra Primatum colligi non posset. Nunquam enim Apostolorum fuit scopus, dum v. g. suas epistolas scriberent, exponere totam religionem Christianam, totamque Ecclesiæ constitutionem: sed, ut constat analysi ipsorum opusculorum, scribebant ex occasione quâdam particulari, et controversiis tunc vigentibus, v. g. judaizantium, insistebant maximè; ad oralem suam prædicationem vel anteriorem vel posteriorem ipsi appellabant et remittebant lectores, ut, quod scribebant, intelligeretur, complerétur, et in multis (etiam magni momenti) supplerétur (Cf. Franzelin de Trad. et Script.; et et tract. de Ecclesia, ubi de magisterio). Ergò, eo ipso quòd tunc nulla esset de primatu Petri controversia, optimè potuerunt in suis scriptis eum silere. — Deinde b) illud silentium non est tantum, quantum fingunt Protestantes. Nam in Epistolis, Paulus ad Galatas scribens innuit primatum Petri, ut ostendimus supra p. . — In primis Actuum capitibus, ubi fundatio Ecclesiæ narratur (nam in 2ª parte libri itinera Pauli narrat auctor ut socius itineris, et librum relinquit incompletum), auctor sacer unum Petrum præcipuè considerat, ejus miracula, conciones, &c.; proinde hâc

ipsâ majori considerationi primatum innixi. In Evangeliis, non solùm promissionem et collationem Primatûs accuratè cum adjunctis scribunt Matthæus (XVI) et Joannes (XXI): sed notandus est etiam modus loquendi de Petro, usitatus apud Evangelistas: "Petrus et qui cum illo erant" καὶ οἱ σὺν αὐτῷ (Luc. VIII. 45, IX. 32), vel οἱ μετ' αὐτου (Marc I. 36): quæ forma loquendi designat Principem seu ducem cum suis inferioribus. Aliis etiam similibus formis, Petro distinctè nominato cæteros generatim tantùm et globaliter designatos addunt, appendicis instar: "Dicite discipulis ejus et Petro" (Marc XVI. 7); "Petrus cum undecim" (Act. II. 14: cf. I. Cor. IX. 5), "Petrus et Apostoli" (Act. V. 29) &c. Et advertè eumdem esse modum, quo Evangelistæ utuntur, cùm de Christo ejusque apostolis loquuntur, v. g. Matt. IX. 10: "Multi... discumbebant cum Jesu et discipulis ejus". — Præterea, ut inter alios notat P. Palmieri thes: 4, "quater recenseitur catalogus Apostolorum, Matth. X. 2, Marc. III. 16, Luc, VI. 14, Act. I. 13. Jam verò, etsi quoad alios Apostolos non idem semper servetur ordo, neque ab eodem scriptore, ut videre licet comparanti duos textus Lucæ (Evang. et Act.): omnes tamen Evangelistæ primum locum semper concedunt Petro, ipsum à primitivo nomine ("Simon") appellantes, et mentionem simul facientes impositi à Christo nominis Petri, veluti rationem afferentes cur primus nominetur... Matthæus (ibid.) ita exordiitur catalogum Apostolorum: Primus Simon qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus, Jacobus, &c. Jam verò primus hic non habet significationem numeralem (tantùm), neque enim sequitur secundus, tertius, &c. Nec significare potest primum vocatione aut ætate (gratis hujusmodi prioritatem Petro adscribunt Protestantes, imò prior fuit vocatione Andreas ex Jo. I. 40. seqq.; &

cur hunc variatur ordo aliorum, si ordinem ætatis aut vocationis sequuntur Evangelistæ?). Habet ergo significationem dignitatis præcellentiæ... Satis ergò patet, Evangelistas credidisse Petrum cæteris Apostolis nobiliorem et præstantiorem; — idque fidelibus per sua scripta multoties significavisse.

Objicitur speciatim silentium Pauli in quibusdam locis, in quibus videtur hierarchiam ecclesiasticam recensere. — Resp. Si verè in illis locis scopus Apostoli esset enumerare omnes gradus hierarchiæ, valeret argumentum istud negativum; at non est ejus scopus. Nam in I. Cor. XII. 28, manifestum est ex contextu, non gradus hierarchiæ (sive ordinis, sive jurisdictionis) enumerari, sed ordinem dignitatis in «gratiis gratis datis» ut aiunt Theologi, seu in illis charismatibus extraordinariis Spiritus Sancti, quæ initio Ecclesiæ ad propagationem fidei magnas partes habuerunt: cf. supra p. 45, e). — Dictum ageretur de hierarchiâ in Eph. IV. 11 (cf. locum supra p. 15). Attamen ibi Apostolus modo satis generali et confuso procedit, non enumerat singula: enumeratio ejus pro necessitate temporis in quo scribebat, fertur in quasdam potissimùm categorias ministrorum Dei, ad quas hodiè minùs attendimus, quia jam non eædem supersunt cùm necessariæ fuerint tantùm initio Ecclesiæ. — Et sanè magna necessitas erat, ut à cæteris Evangelium hunc prædicantibus omninò distinguerentur 1°) «Apostoli», soli pollentes jurisdictione universali, et aliis amplissimis charismatibus, qui cæteros dirigere deberent. — Suus tamen locus erat 2°) «Prophetis», quos Christus dixerat se esse missurum (Matt. XXIII. 34), seu viris inspiratis vel ad loquendum vel ad scribendum,

sive essent sub alio conceptu iidem materialiter ac Apostoli, sive etiam diversi ab Apostolis, ut hagiographi Lucas et Marcus, et "prophetae" illi de quibus Act. XI. 27, XIII. 1. — 3°) "Evangelistae" etiam erant ab "Apostolis" et "Prophetis" distinguendi, qui sub Apostolorum directione evangelium ubique disseminabant, ut erat v.g. Philippus evangelista ... unus de septem "scil. diaconis (Act. XXI. 8), de quo cf. supra p. 194. — 4°) "Pastores et Doctores": quamvis hoc genericum nomen ipsis Apostolis conveniat, hic tamen, quoniam opponitur Apostolis &c., applicatur speciei infimae, quae carebat charismatibus tam extraordinariis, et missione tam generali. Tales erant illi "presbyteri", qui particulari gregi praeficiebantur, seu "constituebantur ... per singulas Ecclesias, per civitates (κατὰ πόλιν)"; cf. textus supra p. 17; sicut etiam illi "presbyteri" quos invenimus in Concilio Hierosolymitano deliberantes et decernentes cum Apostolis, Act. XV. 2, 4, 6, 22, 23, 41. — Hic stat enumeratio Paulina, nec dici potest, Apostolum hoc negotium assumere, ut omnes et singulos gradus hierarchiae vel ordinis vel jurisdictionis ibi enumeret: sanè non distinguit, ut alibi (Phil. I. 1, I. Tim. III.), "episcopos" et "diaconos": non distinguit episcopos et simplices presbyteros, quos tamen jure divino, sicut et diaconos, distingui debere probavimus. Ergò quid mirum, cum etiam loqui de "Apostolis" in confuso, neque inter eos distinguere Petrum et coeteros ipsi subordinatos? Et tunc temporis valde necesse erat, Apostolorum in communi extollere supremam auctoritatem quâ dirigerent alios praedicantes omnesque fideles, et praeessent super ipsa charismata extraordinaria tunc in multitudine fidelium profusa. Saepè enim fieri facile poterat, ut aliquis

ex duodecim, v.g. Joannes aut Paulus, relationes haberet cum Ecclesiâ aliquâ, v.g. Ephesinâ ad quam hic scribit Paulus, dum idem esset impossibile Petro, qui non poterat semper et ubique in dictis locis ad omnes facile communicare ut dogmata promulgaret, disciplinam instituret vel restauraret, dissidia componeret, &c.: alimde Apostoli singuli, pro suâ universali jurisdictione, infallibilitate, impeccabilitate &c. hoc tam bene quam Petrus praestare poterant. Imò jam "pseudapostoli" et seductores erant, qui Apostolorum infallibile magisterium vel supremam jurisdictionem apertè impugnarent, ut apparet ex pluribus locis epistolarum Pauli, v.g. II. Cor. XI. 13, Galat. I. 7; unde cogitur Paulus contra eos defendere suum Apostolatum; item in I.a Jo. II. 24, 26, &c., Joannes contra seductores, Apostolorum adversarios, defendit doctrinam quam Apostoli ab initio praedicaverunt fidelibus, et in suâ epistolâ III.a, queritur de Diotrephe, qui "non recipit" ipsum, "verbis malignis garriens" in Joannem, "amans primatum gerere", et "de Ecclesia ejiciens" Fratres qui cum Joanne sentiebant. — Si quis ergò, attentâ lectione N. Testamenti, sensum historicum habeat illorum temporum tam diversorum à nostris, difficultates istas, quae primâ fronte aliquid gravitatis habent, exsufflabit. Protestantes, aliique adversarii quos hic refellimus, Apostolos maximè reverentur, Petri verò primatum omni conatu impugnant: unde in primatu Petri nos maxime insistimus. Adversarii autem, quos refellebant Apostoli, Apostolos ipsos contemnebant et impugnabant; speciales verò Petri prae aliis Apostolis praerogativas non curabant nam qui rejicit Apostolatum in globo, non quaerit distinctiones inter Apostolos: unde in Apostolatu defendendo ante omnia insistere debebant Paulus et alii,

neque ea scriptis evolvebant, quae hodie scribentes evolverent. Adeò primi haeretici magisterium Apostolorum impugnare solebant, ut eorum successores in IIº saeculo Gnostici pergerent in eadem viâ, ut videre est v. g. ex Tertulliano (de Praescript. c. 22, segq.)

Probo Min. quoad IIm: ex factis argumenta positiva.

1º) Act. VIII, 14, Petrus cum Joanne mittitur ab Apostolis ad Samaritanos. — Aliqui mitti importat inferioritatem. — Ergo.

Resp. Dist. Maj. Missione auctoritativa, Nego; exhortatoria et meroe suasionis, Conc. — Cùm possit esse "missio" diversae indolis et speciei illa species missionis hic intelligenda est, quae cum dignitate jam cognitâ personae conciliatur. Certum est enim, quòd etiam inferiores, praesertim duces subordinati, possunt hortari superiorem, eique consulere ut aliquid agat, ac speciatim ut ad aliquid regulandum suscipiat iter; quòd si tunc proficiscitur ex communi totius Collegii deliberatione et consilio, cui ipse suffragatus est, dici potest à Collegio missus. Sic etiam (Josue XXII. 13, 14) Phinees et principes tribuum "missi sunt" ad Rubenitas qui ad idolatriam defecerant; et Act. XV. 2. Saulus et Barnabas missi sunt ab Antiochenis ad consulendos Apostolos. (Card. Mazzella n. 888).

2º) Act. XI. 2, 3, querela movetur contra Petrum, quia Gentes faciliùs admittit in Ecclesiam, et de hoc interrogatur. — Ergo non erat persuasio de Primatu.

Resp. Dist. Ant.: movetur ab Apostolis, Nego; à fidelibus qui praejudiciis judaicis laborabant, Conc. Caeterùm Nego sequelam: saepè subditi queruntur nec satis reverenter erga Superiorem

se haberet, quin tamen ejus jurisdictionem negent. — Et argumentum nimis probaret: probaret enim non tantum primatum sed et apostolatum Petri fuisse à fidelibus illis ignoratum vel negatum: quod ipsi adversarii non admittunt: et Petrum fuisse ipsis simplicibus fidelibus inferiorem: quod plerique adversarii non admittunt.

Inst. Ibidem, Petrus eis rationem reddit excursionis susceptæ ad Gentiles edocendos. Atqui id non fit nisi respectu superioris aut æqualis. Ergò.

Resp. Rationem reddit ex pari cum ceteris conditione, Nego; — ex prudenti œconomia ut animos excitatos compescat, Conc. Aliis verbis: ex obligatione erga eos, Nego; ex caritate, Conc: Se accommodat infirmis et imbecillis ut Pastor bonus et humilis, juxta præceptum Christi, — Luc XXII. 26.

3°) II. Cor. XII. 11. Paulus ait: "Nihil enim minùs fui ab iis qui sunt supra modum apostoli." Ergò positivè declarat, se nihil minùs esse, seu se æqualem esse, Petro, qui comprehenditur hic inter "apostolos".

Resp. a) Paulus, ad summum, nihil aliud dicit, nisi suum "apostolatum", (quem defendit in seq. versiculo et in toto contextu) ejusdem ordinis esse eosdemque prærogativas continere ac apostolatum eorum qui cum Christo in terris degente vixerant et jam tunc ab ipso Christo fuerant electi sub nomine "Apostolorum": comparat apostolatum cum apostolatu, præscindit à primatu.

Resp. b) Imò non constat, eum hic loqui de veris Apostolis, de Duodecim: sed fortassè hæc locutio "qui sunt supra modum apostoli" est phrasis ironica quâ designantur "pseudoapostoli" de quibus ibid. XI. 13, qui "gloriantur" se esse plus quam apostolos (ib. V. 12),

contra quos in toto hoc loco decertat Paulus. Ita explicant multi etiam protestantes commentatores, ut Alford (in h. l.) et alii quos citat, scilicet Beza, Michaelis, Fritzsche, Bilroth, Ruckert, Meyer, de Wette, &c.

4°) Galat. II. 6, declarat sibi "nihil contulisse" eos "qui videbantur esse aliquid." Atqui loquitur de Apostolis. Ergo se planè independentem dicit ab Apostolis, incluso Petro.

Resp. concedimus agi de apostolis: neque enim illa phrasis "qui videbantur esse aliquid" (scil. eximium quid, cf. Act. v. 36) necessariò importat contemptum: "videri" non semper indicat meram apparentiam. Cf. Marc. x. 42. — Hoc posito, Paulus, cùm ex antecedentibus habeat hunc scopum, ut apostolatum suum probet collatum immediatè à Christo, nihil aliud dicit, nisi ab Apostolis aut ab ipso Petro non collatam fuisse sibi missionem, se non esse sicut illos Apostolorum adjutores, quibus Apostoli aliquid missionis delegabant, qui non erant propriè "Apostoli", neque habebant missionem nisi mediatè à Deo: nempe "Apostolatum" suum defendit adversùs detractores, qui occasionem sumebant ex tardiori accessione Pauli ad sua munera: istis hominibus soli priores Apostoli "videbantur esse aliquid," seu "videbantur esse columnæ": Paulus autem contemnebatur, quippe qui non vixerat cum Christo, nec Christum prædicantem, aut Apostolis suis mysteria communicantem audierat, neque à Christo baptismum aut sacramentum ullum acceperat, sed, Ecclesiæ priùs persecutor, ab humili et ignoto discipulo Ananiæ, fuerat instructus et baptizatus, et manifestè aliis inferior habendus erat, si immediata ejus

missio non considerabatur. Quare in hâc insistit: at non negat subordinationem suam, sicut et aliorum Apostolorum, erga Petrum: ab eâ prascindit, imò potiùs eam innuit in capite proced., ut probavimus supra p. 286. – Adverte, auctoritatem aliquam posse simul & procedere immediate à Deo, et procedere à Deo subordinatam alteri. Talis erat jurisdictio cujuscumque Apostoli præter Petrum. Imò et 72 discipuli fuerant missi immediatè à Christo (Luc. X.), nec tamen propterea dices, eos fuisse Apostolis æquales. Item (ut exemplo utamur), si summus Pontifex immediate constitueret aliquem parochum, ille nihilominùs æquè subjectus esset suo Episcopo, ac si ab Episcopo constitutus fuisset, nec minùs subordinata esset Episcopo ejus auctoritas. – Cæterùm Paulus hic non tam loquitur de origine suæ jurisdictionis, quam de origine suæ doctrinæ, sui «evangelii», quod declarat immediate revelatum sibi à Christo (ib. I. 11,12), in quâ re æqualis erat aliis certè Apostolis et ipsi Petro, et valdè differebat à prædicatoribus ordinariis et inferioribus, qui revelationem non habent nisi mediatam, scilicet non factam sibi sed aliis, à quibus doctrinam accipere debent. – Quod autem ait v. 5: «Quibus neque ad horam cessimus subjectione», non negat subjectionem erga quemcumque Apostolum, nam hoc evidenter refertur non ad Apostolos, sed ad «subintroductos falsos fratres», de quibus in proced. versiculo, quibus savè nec cedere nec subjici Paulus debebat. – Cf. Marzella n. 891.

5°) Ibid. II. 8 ait: «Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.» Cf. et v. proced. – Ergò

se positivè exæquat Petro.

Resp. Dist. Cons.: se exæquat quoad jurisdictionem, Nego; quoad functionem prædicationis ad infideles, quæ pars erat "Apostolatûs", Conc. – "In hâc erant verè æquales" quoad jus, imò Paulus potuit esse major quoad factum seu exercitium juris, quatenus magis prædicavit seu "abundantiùs laboravit" (I. Cor. XV. 10). Hinc Paulus dici solet "Apostolus" per antonomasiam, ut explicat Aug. l. 3. ad Bonif. c. 3: "Quia pluribus epistolis est notior, et plus omnibus laborasse." Sed, quos converterat, non minùs subditi erant Petro quam cæteri fideles.

Nota, illam functionem prædicationis esse planè diversam à jurisdictione, neque æqualitatem quoad alteram importare, quia magisterium et jurisdictio sunt potestates diversæ, ut probavimus in thesi IV, tùm maximè; quia hic agitur non de omni magisterio, sed de prædicatione speciatim ad infideles, quæ evidenter non est opus jurisdictionis, siquidem non-baptizati non sunt subditi jurisdictionis ecclesiasticæ. – Sed Protestantes nunquàm has distinctiones faciunt, ideoque hanc materiam semper tractant cum confusione.

Divisio autem illa bimembris Apostolatûs quæ hic datur, nempe Petrum esse Apostolum "circumcisionis" scil. Judæorum, Paulum verò Apostolum "Gentium", non est sumenda sensu stricto et exclusivo: nam 1°) præter hos duos, alii etiam Apostolis creditâ erat evangelizatio infidelium, tùm Judæorum, tùm Gentilium; 2°) unusquisque ex Duodecim quoad jus seu potestatem, erat missus ad universum

mundum, nec restringebatur ejus potestas ad talem vel talem diœcesim vel gentem; c) ex Act. Apost. constat, Judæis etiam Paulum, Gentibus etiam Petrum prædicavisse: imò Petrum primum Gentes in Ecclesiam admisisse, pro dignitate sui primatûs (cf. supra p. 284). – Ergò hoc tantùm intelligendum est: quia fieri non poterat, ut singuli Apostoli de facto omnes homines evangelizarent, speciali providentiâ Deus ita res disposuit, ut Petro potissimùm Judæi sive in Palæstina sive ubique dispersi (cf. 1am epist. Petri, ubi scribit "electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ", &c.), Paulo potissimùm Gentes essent commendatæ (eo magis quòd Petrus erat charior Judæis, quibus Paulus erat maximè odiosus, ut apparet ex Act. et Epistolis); utque illi duo, quoad amplitudinem prædicationis et influxum ad convertendas animas, ita eminerent cæteris Apostolis, ut spectari possent tanquam mundum convertendum ambo sibi dividentes, et duabus infidelium classibus, Judæis nempe et Gentilibus, duo homines responderent. Agitur ergò non de jure sed de facto, non de illorum potestate sed opere, ut advertit Hieronymus in h. l.: "Petrus et Paulus ... partiti sunt non potestatem sed opera"; – nec de opere exclusivo sed de opere prædominante ac præcellente, ex speciali quâdam destinatione Dei – "In prædicatione Evangelii ecclesiarumque institutione (ait P. Palmieri, Comment. in epist. ad Galatas, 1886, in h. l.) tria distingui possunt: 1°, ipsa facultas facta, seu missio simpliciter; 2°, exercitium ejusdem; 3°, aliquid inter hæc medium, nempe sub missione et potestate universali omnibus facta, specialis Dei aliquorum destinatio ad certas classes hominum. Hæc profectò non

excludit 1^m^, aut vicissim. Nam quemadmodum universalis ea missio non inferebat in singulis universale exercitium aut obligationem ejus, sed integrum relinquebat singulis huc vel illuc pergere, prout ipsi censuerint, ita etiam integrum relinquebat Deo speciali modo cooperari singulis Apostolis pro certis classibus hominum, et eos ad illas specialiter destinare."

Apostolatus autem Judæorum, quem specialiter habuit Petrus, etsi daretur fuisse parvum quid prae Apostolatu illo Gentilium, nihil huic contradiceret primatui Petri, cum extensio Apostolatus (praesertim extensio de facto) sit aliquid prorsus diversum, disparatum, et independenter se habens ad Primatum. — Caeterum non habebitur ut parvum quid, si consideramus duo facta: a) Judæos hunc fuisse multum ubique propagatos, et in praecipuis mundi urbibus et coloniis potentes pecuniis, commercio &c., et ex gentilibus multos fecisse proselytos seu "advenas" qui cum eis numerantur sub speciali apostolatu Petri (Cf. P. Fouard, St. Pierre et les premières années du christianisme, ch. 3e, les Juifs de la dispersion; ch. 14e, les Juifs de Rome; — P. de Champagny, Rome et la Judée); — b) non paucos ex Judaismo ubique transiisse ad Christianismum, quod constat tum ex questione judaizantium quae tantopere agitabatur in diversis et dissitis Ecclesiis, ut patet ex libris N. T., tum ex eo quod multi Saganiss lebant christianos cum Judæis confundere, tum ex primis Patribus et Apologetis, &c.

Insuper in illo speciali Apostolatu Judæorum, praeter extensionem ejus materialem excellens quaedam dignitas moralis invenitur,

omninò congruens Capiti Ecclesiæ, et ex suis adjunctis Primatum innuens (nedum si contradicat), si consideremus: a) ipsum Christum missionem specialem ad Judæos habuisse ("Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel" Matth. XV. 24), et propterea ab eodem Paulo, qui Petrum vocat "Apostolum Circumcisionis", Christum etiam vocari (Rom. XV. 8) "Ministrum Circumcisionis": nova et mira assimilatio inter Christum ejusque Vicarium! Et sicut Christus, quamvis esset specialis "minister circumcisionis" seu Judæorum, quos præcipuè evangelizavit, nihilominùs erat Dominus universi orbis et Caput Ecclesiæ, ita Petrus, quamvis esset specialis "Apostolus circumcisionis", nihilominus fuit universæ Ecclesiæ gubernator. — b) Ipse Paulus, licet "Apostolus Gentium", semper adscribit Judæis quandam superioritatem supra Gentes (cf. v. g. Rom. III, IX, et præsertim XI), semper etiam Judæis prius prædicabat quam aliis (cf. Act. passim), et hoc non casu, sed ita faciendum fuisse proclamat (Act. XIII. 46). Ergo ipse agnoscit apostolatum Judæorum quodammodo antecellere apostolatui Gentium. — c) Superioritas Petri supra Joannem et Jacobum innotuit in hoc facto, quòd non ipsis sed Petro commissus est ille "Apostolatus circumcisionis"; et hoc quidem, licet Jacobus esset episcopus Hierosolymitanus (quæ urbs erat quasi centrum Judæorum), Judæisque apprimè charus, ut scimus ex Act. et ex antiquâ Traditione — "Dublin Review", Jan. 1867, p. 41.

Titulus autem ille "Apostoli Gentium" non faciebat (ut voluerunt quidam Protestantes) Paulum ab aliis (incluso Petro) ita independentem, ut soli Paulo obedirent gentiles illi quos Paulus con-

verterat: tum a) quia sic non fuisset una Christi Ecclesia Christus non unum ædificium secundum exemplar cœlestis Jerusalem, sed Babylonem confusionis ædificavisset (cf. supra p. 270): tum b) quia Petrus et alii cum eo in Concilio Hieros. (Act. XV. 28) sibi clarissimè attribuunt jurisdictionem in eas gentes quas Paulus converterat: «Visum est Spiritui S. et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris», &c. (cf. supra p. 64): nec Paulus reclamat, imò ipse cum suis neophytis Antiochenis gaudet de epistolâ illâ Concilii (ib. v. 30, 31), et deinde iter faciens, procurat in variis provinciis executionem decreti (ib. v. 41).

6°) Tandem et maximè objiciunt, ex eodem loco, Gal. II, factum reprehensionis Petri à Paulo, de quo sit Thesis sequens:

Thesis XI.—

Reprehensio Petri à Paulo (Gal. II. 11, seqq.) non probat Apostolos fuisse inter se divisos circa doctrinam fidei, — 2) vel Petrum dono infallibilitatis caruisse, — 3) aut formaliter et graviter peccavisse, — 4) vel Paulum in Petro negavisse primatum jurisdictionis, — 5) qui potius ex adjunctis facti probatur; — 6) neque ulla est necessitas confugiendi ad hypothesim parùm probabilem, Cephan hic reprehensum alium esse à S. Petro.

St. Q. Thesim specialem ponimus de hoc facto, tum quia a) præcipuum est inter ea facta quæ ex Scripturis afferri possunt contra Primatum, et à multis hæreticis ob-

jectum est, et etiam hodie solet maximè objici ab adversariis supremæ jurisdictionis Petri; - tum quia b) etiam connectitur cum aliis gravissimis quæstionibus quas nunc directè non tractamus, ut est infallibilitas Apostolorum et Speciatim Petri, vel quæstio de necessitate ac liceitate observationis legis Mosaicæ post promulgatum Evangelium, cujus quæstionis intelligentia tam necessaria est ad intelligendos N. Testamenti libros. - tum quia c) in hoc facto narrato ad Galat. II, sumpto tanquam basi totius criticæ illorum librorum, recens schola Tubingensis (conflata multis protestantibus in rationalismum incidentibus) ædificavit suum figmentum de Petrinismo et Paulinismo, seu de duplici dogmate in principio Ecclesiæ, quod figmentum unitatem fidei inter ipsos Apostolos negat, eosque facit similes Patribus Reformationis, Luthero aliisque inter se divisis; imò positâ illâ divisione doctrinali Ecclesiæ (ex epistolâ ad Galatas, II) tanquam primo principio seu primo facto, - (quo jure, nescio), universale criterium inde desumunt ad judicandum de genuinitate vel veracitate aliorum librorum N. Testamenti; ubi enim non inveniunt dissidium doctrinale, quod ipsi finxerunt inter Petrum et Paulum regnavisse, ibi pronuntiant ore rotundo, librum non esse genuinum, aut non veracem. Inde etiam deducunt, unitatem doctrinæ in Ecclesiâ primitivâ factam esse lentâ quâdam evolutione, ex multis certaminibus ac transactionibus inter Petrinos et Paulinos, per duo prima secula. - De toto hoc systemate cf. v.g. Bacuez & Vigouroux, Manuel biblique, t. 3e, Introduct. ch. 2, Des systrationalistes par rapport au N. Test., n. 21, "Le Dr Baur." - Aliqui ex Catholicis, nostris diebus, ex hominum istiusmodi

lectione aliquid parum orthodoxum incanti relinent: ita D. Duchesne, in Facultate catholica parisiensi magister, "Les Origines chrétiennes, leçons d'histoire eccles.", ch. 4, le christianisme et le judéo-christianisme: quem bene refellit D. Rambouillet, Revue des sciences eccles., t. 59, 1889, p. 349 segg. (omittendo ejus opinionem circa Epistam Petri).

In 1ª parte, quae aliis praelucet exponendo facta, nullum inter Apostolos doctrinale dissidium colligi posse ex Galat. II., demonstramus: et sic ruit basis totius systematis Tubingensis. Ad hoc ostendendum, sufficere posset ipse textus Epistolae: utimur tamen etiam libro Actuum, cujus genuinitas et veracitas contra istos rationalistas alibi probatur.

Supponimus cum adversariis, Epistam a Paulo reprehensum eumdem esse ac B. Petrum: coeterum in fine thesis contra quosdam Catholicos id vindicabimus.

Probatur 1ª pars.

Ex Galat. II. 11, segg., non probatur dissidium Apostolorum circa fidem seu circa ipsum dogma (quod vellent adversarii) si dissidium fuerit non circa principia dogmatica, sed tantum circa solutionem peculiaris et difficilis alicujus casus conscientiae; ita ut Petrus et Paulus plane concordarent non tantum quoad dogma, sed etiam quoad praxim ordinariam se gerendi relate ad legem Mosaicam, et tantum dissentirent in applicandis communibus principiis alicui casui extraordinario.

Atqui ita est. — Ergo.

Probo Min. 1°) Ex ipsis verbis quibus Paulus collegam suum reprehendit, Gal. II 14:

"Si tu, cùm Judæus sis, gentiliter vivis et non judaicè, quomodò cogis gentes judaizare?" — Nam ut ait P. Palmieri, Comment. in epist. ad Gal., "gentiliter vivere est vivere absque lege mosaicâ, absque observatione judaicarum legum vel consuetudinum quæ positivæ erant institutionis propriæque Judæorum. Idem Apostolus dicit positivè et negativè, "gentiliter et non judaicè", ut vividiùs repræsentet id, à quo robur argumenti pendet. Habes primò ex his verbis Pauli, quòd hæc erat ordinaria ratio agendi Petri, qui nihilominùs cum Judæis frequentissime conversabatur (imò habebat specialem apostolatum Judæorum, ex eodem capite, v. 7, 8), ut non observaret judaicas consuetudines, judaicos ritus; nam verbum "vivis" non unum actum denotat, sed habitum seu statum, et ipsa forma præsens verbi habitum significat, non actum, qui, cùm hæc diceret Paulus, nullus erat..... Elucet proinde concordia Petrum inter et Paulum nedùm in doctrinâ sed in ipsâ praxi. Manifestæ ergò veritati contradicit qui pugnam (doctrinalem) fabulatur inter Petrum et Paulum. Et sanè argumentum Pauli est ad hominem: quod tamen, quia Petrus gentiliter vivens rectè agebat, est quoque absolutè verum et efficax."

2°) Ex Act. XV. 7. segg., ubi Petrus ipse in Concilio Hierosol. impugnat principia doctorum judaizantium, qui gentibus conversis imponere volebant et circumcisionem et omne jugum rituum judaicorum, ita ut per synagogam intrarent in Ecclesiam, sicut fecerant judæo-christiani. Imò de ritibus mosaicis duriùs Paulo ipso loquitur ibi Petrus: "Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare po-

tuimus ?" — Ergò falsum est, Petrum remisse dogmata illorum "falsorum fratrum", et in hoc à Paulo discrepasse.

3°) Ex eo quòd ipse Paulus aliquandò, ex quâdam œconomiâ et prudentiâ seu caritate ad vitandum scandalum Judæorum vel Judæo-Christianorum, ritus mosaicos in extraordinario aliquo casu observavit, quos ordinariè non observabat, et proclamabat necessarios non esse. — Ergo à principiis Pauli tùm theoreticis tùm etiam practicis non differebat Petrus, cujus totum reprehensum factum in hoc est (ex ipsâ narratione Pauli, Gal. II. 12.), quòd "priusquam venirent (Antiochiam) quidam à Jacobo, cum gentibus edebat (ea praxis ordinaria Petri, contraria ritui mosaico de non edendo cum gentilibus): cùm autem venissent (ea casus extraordinarius, scilicet præsentia transitoria illorum Judæorum Palæstinensium inter Antiochenos), subtrahebat et segregabat se" (ab edendo cum gentilibus). — Probo Antec. Act. XVI. 3, sol. etiam post decretum Concilii Hierosolymitani de non imponendis ritibus judaicis, Paulus Timotheum volens assumere sibi socium prædicationis, "circumcidit eum, propter Judæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quòd pater ejus erat gentilis." — Item Act. XXI. 23, 24, 26, Hierosolymis, propter Judæos iterùm non scandalizandos et ut exemplo suo observantiam legis mosaicæ ibi approbaret, Paulus cum quatuor viris qui votum nazaræorum fecerant (de quo cf. Num. VI. 18) "purificatus introivit in Templum" ubi "septem dies" remansit inclusus secundùm ritum, et procuravit ut "oblationes offerrentur" pro unoquoque suorum sociorum. — Cf. et Act. XVIII. 18.

4°) Ex circumstantiis illius temporis apparet, quantùm ille conflictus inter Petrum et Paulum distet à conflictu dogmatico seu circa prin-

cipia fidei, et quomodò orirì potuerit, inter homines eadem principia tenentes, diversum judicium de principiorum prudenti applicatione ad casum illum specialem, adeò casus erat difficilis et intricatus.

Nulla fuisset ibi difficultas practica, si legis Mosaicæ cæremonialis, post promulgatum Evangelium, rejecta et damnata fuisset omnis observatio. At non ita fuit. Hoc practicum principium (sanè Deo ipso suggerente) ab omnibus Apostolis positum erat, quâdam œconomiâ seu temperamento transitorio in eâ re utendum esse: ita ut per aliquot annos ritus illi, quibus tanquam umbris et figuris successerant excellentiores ritus à Christo instituti, hâc ipsâ substitutione proclamarentur utique jam destituti suâ propriâ et antiquâ vi obligandi, sed tamen remanerent liciti illis qui eos assumere vellent, vel in eis pergere: scilicet, ut Theologi loquuntur, Lex erat mortua, sed nondùm mortifera. Cf. 1. 2æ q. 103. a. 4. — Quòd ipse Paulus (quem adversarii repræsentant ut omnium infensissimum observationi Legis) admitteret illud principium practicum, patet ex factis citatis in præcedenti argumento. — Et rationem aliquam illius temperamenti sic benè reddit Döllinger, in opere de prima ætate christianismi: « Quamdiù Judæorum civilis Status Templumque stetorunt, inutiliter aliquis cogitasset de abolendâ Lege (præsertim pro judæo-christianis in Palæstinâ viventibus); vel saltem ejus abolitio non potuisset obtineri nisi per generalem et simultaneum totius Judaicæ nationis ingressum in Ecclesiam. Nam lex cæremonialis simul erat lex quædam civilis; Judæus-homo illâ lege tenebatur non solùm ut individua persona, sed et maximè ut membrum

societatis et nationis; nec jusserat Dominus fidelibus, ut se à suo populo conditioneque sociali dividerent. Cæterum, in Judæa et Galilæa id facere non poterant quum emigrarent . . . Itaque fideles in Judæa non poterant pro lubitu cæremonialem Legem observare vel non, sed quædam urgebat eos necessitas.» Ut patet, eædem rationes non urgebant iis in locis, qui remoti erant à Judæa, iis præsertim in quibus judaica præjudicia minùs invaluerant. Igitur disciplina ecclesiastica, quæ non est immutabilis sicut dogma et jus divinum (cf. supra p. 36, 39), varietati locorum fuit accommodanda.

Et revera, post Concilium Hierosol., secundùm varia loca triplex simul disciplina viguit:

a) In Palæstinâ, ob necessitatem quam diximus, judæo-christiani, (sive ibi nati et syro-chaldaicè loquentes, sive Hellenistæ, sive proselyti), quibus Ecclesia ferè constabat, utebantur licentiâ servandi Legem mosaicam, imò hæc erat fidelibus obligatoria non in se, sed propter illam consuetudinem localem. Cæterum Conc. Hieros. nihil immutaverat in hâc eorum disciplinâ, siquidem ejus decretum dirigitur tantùm «his qui sunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ, fratribus ex gentibus» (Act. XV. 23). Octo annis post Concilium, Jacobus cum suis presbyteris dicit Paulo per Jerosolymam transeunti (Act. XXI. 20): «Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt Legis.» Et Paulus (ibid.) eorum vivendi modum approbat, imò ipse coram eis observat cæremonias mosaicas, ne eos scandalizet.

b) In locis à Concilio designatis,

scilicet Antiochiæ, in Syria et Cilicia (et forsasse in quibusdam vicinis locis) christiani sequebantur peculiarem disciplinam à Concilio institutam ad scandalum Judæorum vitandum in paucissimis punctis magis odiosis: quam vide supra, p. 84. - Et Paulus perambulans illas provincias, urgebat executionem illius disciplinæ Concilii (Act. XV. 41, XVI. 4).

c) In aliis locis, remotioribus à Judeâ neque in epistolâ Concilii designatis, decretum Concilii non urgebat (quatenus disciplinare; nam erat simul etiam dogmaticum circa non obligationem Legis Mosaicæ in se): - liberiores erant fideles; in praxi, se accommodabant adjunctis, solam charitatis legem attendentes, quâ tenemur scandalum pusillorum vitare. Id probatur ex eis quæ Paulus (septem annis post Concilium) clarissimè dicit Corinthiis de idolothytis (I. Cor. X. 25, seqq.; cf. VIII. 7, seqq.). - Illam triplicem disciplinam notat P. Fontaine, Le Nouveau Test. et les origines du Christian., études apologét., 1890, t. 2e ch. 5; qui benè addit: « Cette situation assez complexe aide beaucoup à comprendre ce que l'on a appelé le différend d'Antioche, raconté au 2e chap. de l'ép. aux Galates. Antiochiam ergò veniens Petrus (Gal. II. 11), - in quâ dominabantur christiani ex Gentibus, in quâ Paulus et Barnabas (sicut apparet ex sequenti narratione Pauli) solebant cum Gentilibus edere, quod implicabat in eis transgressionem apertam Legis, priùs et ipse se accommodavit vigenti illic disciplinæ, et modo constanti atque habituali eam servavit (ib. 12). Sed tandem Antiochiam advenerunt « quidam a Jacobo », seu judæo-christiani Hierosolymitani (quos adversarii nostri gratis affirmant

fuisse doctores haereseos illius de Lege omnibus obligatoria, qualis confutatur cum "Galatis fra-tribus" de quibus in v. 4). Qui cum disciplinae contrariae essent assueti, scandalizabantur vide-do Apostolos edentes cum gentibus. Eorum ad-ventus in magnam perplexitatem adduxit Petrum; nam quocumque modo ipse ageret, erat aliquos scandalizaturus. Cum autem ipse specia-lem haberet curam seu apostolatum judaeorum et judaeo-christianorum (cf. supra p. 299, segg.), existimavit potius horum quam aliorum esse vitandum scandalum, hoc temperamento, ut ad tempus (scil. donec abirent illi Hierosoly-mitani hospites) ipse recederet à disciplinâ Antiochenâ et resumeret disciplinam Hieroso-lymitanam in favorem illorum peregrinorum seu hospitum. — Nota cum B. Palmieri, non esse exaggerandam illam Petri "segregatio-nem", quasi cum incircumcisis, etiam conversis, nullam hanc haberet communionem. Nam, "propter oppositionem cum praecedenti Cum gentibus edebat, — segregatio haec de segrega-tione à mensâ communi est intelligenda, nec est cur accipiatur etiam de segregatione à con-versatione cum gentibus (conversis); nam cum iis adhuc agebat Petrus, quandoquidem San-ctus ei coram omnibus in faciem restitit v. 14. Coram omnibus, puta in communi conventu ecclesiae, quo omnes christiani convenie bant, ideo-que adstantibus quoque christianis ex gentibus in quorum commodum et instructionem haec verba dicta sunt à Paulo." — Haec partialis se-gregatio Petri (quae proinde minime aequivalebat cuidam excommunicationi incircumcisorum) vo-catur à Paulo (ib. 13) "simulatio". Simulatio ὑπόκρισις (ait Palm. in h. l.) "est aliud externa

specie exhibere ac intus in corde habeatur. Cùm Petrus optimè nosset ac censeret, licere etiam Judæis (saltem sibi et Judæo-Christianis Antiochenis) edere cum gentibus, exteriùs tamen ita se gerebat aut se gerere videbatur ac si aliter animo sentiret. Non ergò actio ejus exterior erat conformis interiori judicio; idcirco erat objectivè aliqua simulatio. Proinde adverte quòd Paulus «hypocrisim» nominans, eo ipso affirmat quòd Petrus reapse idem sentiebat ac ipse.» Nec solus Petrus casum illum difficilem ita solvit: «simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi», scil. judæo-christiani qui, licet pauciores numero quam alii, tamen Ecclesiæ Antiochenæ pars erant. Imò et Barnabas, quamvis socius Pauli et specialem habens cum illo curam gentium, «ducebatur ab eis in illam simulationem» (Gh. v. 13): quod ostendit casum non ita facilem fuisse, et ex illâ, quam anteposuerat Petrus, solutione practicâ et externâ concludi non posse ad præjudicia interna judicativa seu ad principia falsa judaizantium, quæ certè Barnabas non habebat.

Ergò ex attentâ facti inspectione sub circumstantiis temporis, possumus inferre cum D. Drach in h. l.: «Les exégètes rationalistes des derniers temps ont fait grand bruit de cet incident... Tout l'échafaudage construit sur ces néologismes de Pétriniens et de Pauliniens en fait de doctrine ou de manière de concevoir le christianisme, ne repose que sur ce paralogisme, que les anciens logiciens appelaient ignoratio elenchi. Une étude consciencieuse de cette dissidence, qui ne roulait que sur un point de pratique, aurait empêché bien des rêveries et bien des livres.»

5°) Confulari etiam aliis modis possel fabula Tubingensis; v. g. ex mirâ conversione doctrinæ quam videmus in primis Patribus, quamvis alii potiùs Petri sint discipuli et successores, ut Clemens Rom., alii potiùs Joannis, ut Ignatius, Polycarpus et Irenæus, alii pertineant ad Ecclesias fundatas à Paulo ut Dionysius Corinthiorum episcopus in sæculo II, cujus fragmenta exstant apud Eusebium l. IV. c. 23. — Omnes Ecclesiam Christi eodem modo intelligunt cum suâ universalitate ad omnes gentes extensâ, suoque proprio visibili magisterio & hierarchiâ; etiam illi qui sunt conversi ex Judaismo, ut v. g. ille Hegesippus, primus historicus Ecclesiæ in medio sæculo II°, cujus fragmenta exstant apud Eusebium l. IV. c. 22. — Cf. de hoc argumento D.D. Freppel, les Pères Apostoliques, 19e leçon in fine, qui ait: "S'il avait régné entre les Apôtres quelque dissentiment sur la doctrine, nous devrions le retrouver parmi ceux qui, après avoir été leurs disciples, étaient devenus leurs successeurs dans le gouvernement des Eglises. Nous pouvons même affirmer, dans cette hypothèse, que l'opposition n'eût fait que grandir avec le temps; car les germes de division se développent peu à peu et finissent par éclore: ce qui n'était à l'origine qu'une tendance exclusive peut devenir finalement un schisme ou une hérésie formelle. Si donc St Pierre, St Paul et St Jean avaient été la tige ou le point de départ de 3 systèmes différents ou même contraires, nous devrions à tout le moins surprendre quelque trace de ces antithèses dans les écrits de leurs disciples. Or, ce qui frappe précisément, lorsqu'on les parcourt avec attention, c'est l'uniformité qu'ils présentent et l'accord parfait qui s'y révèle." — Quod exemplis evolvit, etiam quoad doctrinam de fide et

operibus, in quā Rationaliste voluerunt opponere inter se Paulum et Jacobum: conciliationem vide in tract. nostro de Gratia habituali p. 535.

2ª pars.

St. Q. Conflictum illum Antiochenum vertere contra Apostolorum infallibilitatem jam in IIº saeculo conati sunt Marcion aliique Gnostici, quippe qui omnium Apostolorum scientiam et magisterium impugnabant: id constat ex Tertull. de Praescr. c. 23 (cf. l. 5 contra Marcionem, c. 3). – Recentiori tempore, infallibilitas Romani Pontificis ex hoc capite etiam impugnata est: si Petrus hunc erravit in fide, à fortiori successor ejus errare potest. – Quaestionem hanc, etsi ad nostrum propositum non pertineat, tamen, occasione datā, breviter expediemus.

Probatur.

Bonum infallibilitatis quod Romano Pontifici vindicamus (nec necesse est, majus vindicare Petro, nisi quōd Apostoli super illam infallibilitatem adjungebant aliquando novas revelationes, vel inspirationem) versatur tum circa dogmata, quandō fungens suo munere Doctoris Ecclesiam docet, tum circa disciplinam generalem, quatenus promulgare nequit pro universali Ecclesiā legem quae contradicat fidei vel bonis moribus: non autem versatur circa facta quaedam particularia, eorumque opportunitatem vel periculum.

Atqui in casu incriminato, non agitur de aliquā definitione vel praedicatione, de aliquo actu magisterii, siquidem Petrus, simpliciter recedens à mensā gentilium, nihil dicebat, nihil definiebat, nec de lege ab eo promulgatā; sed solum de ipsius Petri actione externā in aliquo facto particulari. – « Conversationis fuit vitium, non prae-

dicationis", ut optimè advertit Tertull. de Præscr. l. cit. — Et ostendimus in parte præced., eadem dogmata à Petro quam à Paulo admissa fuisse.

Ergò errare potuit Petrus contra prudentiam in illo particulari facto, quin ulla consequentia dedici possit contra illam infallibilitatem, quam nos defendimus.

Ad rem D. Bacuez, Manuel bibl., t. 4, n. 746: « L'infaillibilité des Apôtres n'allant pas jusqu'à les garantir de toute ignorance et de toute erreur dans le détail de la vie, c'était une obligation pour eux de s'éclairer et de se conduire suivant les règles ordinaires. D'après cela, on conçoit que sur certaines questions (de fait), par exemple sur l'état des esprits à Antioche, sur les vues des judaïsants, sur les dispositions des Gentils, sur la manière dont tel acte ou telle façon d'agir était interprétée, S. Paul, tout subordonné qu'il était à S. Pierre, pût être mieux informé ou plus clairvoyant. Or, le cas échéant, c'était son devoir d'avertir S. Pierre, avec une respectueuse liberté, de la fausse démarche dans laquelle il s'engageait contre son intention. »

2°) Argumentum quod ex Petri errore doctrinali desumere vellent adversarii contra infallibilitatem Rom. Pontificis, nimis probaret, saltem quoad plerosque eorum. Plerique enim eorum admittunt infallibilitatem Apostolorum: atqui Petrus, etsi detur non fuisse aliis superior, erat Apostolus: ergò.

Objicunt: Gal. II. 14, dicitur quòd Petrus, et alii cum eo, « non rectè ambularent ad veritatem Evangelii. » — Ergò negabant veritatem Evangelii, seu errabant in fide.

Resp. Nego Cons. « Rectè ambulare », in constanti usu Scripturæ, est rectè agere, rectè

se gerere: spectat haec metaphora non ad intellectum, sed de praxim, ad conversationem ad opera praesertim externa. "Ad" (πρὸς) hic videtur significare secundùm: quasi diceret, "ad normam" seu "secundùm normam" veritatis Evangelii. "Non recte se gerere secundùm veritatem Evangelii (ait P. Palmieri in h.l.) non est errare in fide, doctrinam falsam docere, sed est actus suos non conformare veritati Evangelii, quae regula est actuum nostrorum. (Unde hoc dici potest de quocumque peccato). Veritas autem (specialis) Evangelii, de quâ hic sermo est, est doctrina de immunitate Christianorum à lege Mosaicâ. Cùm Paulus hic loquatur de eo quod vidit, non notat per se nisi actum externum, qui ad normam veritatis exactus non erat." Actum objective spectabat prout exterius apparebat, non verò ejus internum principium scil. subjectivas Petri intentiones. — Summo' πρὸς in alio suo sensu, admitti etiam posset haec alia interpretatio: — Petrus, et alii eum secuti, οὐκ ὀρθοποδοῦσιν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ Εὐαγγελίου i.e. non se gerunt eo modo qui recta conducat ad promovendam veritatem evangelicam ("they are far from taking those steps which are directly conducive to the advancement of Gospel Truth", Dublin Review, Jan. 1867, p. 48.)

3ª pars.

St. G. ab infallibilitate, quae est donum intellectus, sedulò distinguenda est impeccabilitas, quae est donum voluntatis. v. g. Romanus Pontifex est infallibilis (ut doctor publicus), minimè verò impeccabilis.

Apostoli autem erant post Pentecosten impeccabiles quodammodo seu confirmati in gratia. Sed Theologi, dum hanc impeccabilitatem piè credunt et communiter admittunt, nonnisi de peccato strictissime dicto, scilicet de peccato formali eoque mortali, semper vitato, illam Apostolorum impeccabilitatem intelligunt. Imò Augustinus contra 2 epist. Pelag. III. 15, - Aug. cujus tanta est auctoritas in quæstionibus contra Pelagianos, - demonstrans factum illud generale, quod omnes etiam sancti labuntur interdum in venialia (cf. nostrum tract. de Gr. actuali, thes. VI), ait: "Quid sanctus in novo populo Apostolis? Et tamen præcipit eis Dominus in oratione dicere: Dimitte nobis debita nostra." - Et in lib. de nat et gr., c. 36, solam excipit B. Virginem: de qua habemus etiam definitionem Trid. S. 6. can. 23. - Cf. et S. Thom. in Comment. ad Galat.

Ergò nihil est incommodi, si in casu nostro admittitur Petri peccatum formale veniale, multò minùs si merè materiale. Quod autem aliquid hujusmodi sit admittendum, patet tùm a) ex verbis auctoris inspirati scil. Pauli, Gal. II. 11: "Cephas ... reprehensibilis erat;" et ex jam explicatis, quòd non rectè ambulabat etc.; tùm b) ex eo quòd ipse Petrus reprehensionem Pauli ut justam et fundatam admiserit, saltem tacitè: quod probatur tùm ex dictis Patrum, tùm ex ipsâ argumentatione Pauli ad Galatas, quæ ut respondeat contextui, sic tantùm intelligi potest, cum P. Palmieri: "Prædicationem meam de lege mosaicâ Petrus quoque probavit, non solùm edens cum gentibus, sed (cum se ab illis, causâ Judæorum Palæstinensium, segregasset) mihi cum

corripienti non contradicens, sed consentiens, contradicturus profectò inferiori superior, si certa et evangelica non fuisset mea doctrina. — Di supponis Petrum contradixisse sed id Paulum siluisse, traducis Paulum perversorem historiæ ac reapse mendacem; nam alia, in hâc hypothesi, prorsùs fuisset eventûs natura, alia contra ipsum Paulum consectaria excinde colligenda, necnisi fastus Pauli appararet, inanem gloriam aucupantis."

Probatur! —

1.°) Ubi non demonstratur fuisse peccatum grave, ubi mens debuit esse perplexa in difficili casu, ubi ex utrâque parte apparebant pericula animarum et rationes graves, et facile poterat esse error invincibilis, vel difficulter vincibilis, in judicio practico, præsertim si non deerant alii viri graves qui consentirent et approbarent electum agendi modum.

Atqui talis fuit casus Petri. — Ergò.

Minor jam constat ex 1ª parte hoc argumento 4.°

2.°) Expressiones, quibus utitur Paulus ad Gal., nihil habent quo probetur peccatum grave et formale. Nam.

a) Ut advertit P. Palmieri "non ait Apostolus quòd fuerit reprehensibilis coram Deo, sed simpliciter reprehensibilis. Contingere autem potest ut quis meritò ab homine sit reprehensibilis, quamvis in suâ actione coram Deo sit immunis à culpâ formali. Nam cum agitur de actibus externis, præsertim præsentium, qui vergere possunt in scandalum aliorum, fieri potest ut agens quidem judicio practico censeat se in certis adjunctis

recte agere (quod cibis ullum errorem doctrinae censere potest propter non idoneam principiorum in causa particulari applicationem); attamen actus externus per se spectatus non sit iuxta veram regulam agendi, probeat que aliis, inferioribus praesertim, occasionem errandi, qui nescientes quo animo superior agat, possunt aliter ac est ejus actum interpretari. Tunc ipse actus est reprehensibilis, et propter eum reprehensibilis est persona agens, neque enim potest reprehendi actus, quin agens reprehendatur: quamvis is coram Deo culpa vacet. Alterum nihil per se impedit quominus credas culpam aliquam levem hac in re Petrum admisisse, propter non satis accuratam reflexionem ad circumstantias omnes suae actionis." — Cf. 2. 2ae q. 43. a. 6. ad 2m

b) Nec verba Pauli: "In faciem ei restiti", probant fuisse peccatum formale et grave. Non enim ex gravitate peccati sed ex gravitate quaestionis et periculi quod ipse videbat, Paulus ad hanc insolitam correptionem adductus est (aliqua est hic analogia cum vivida reprehensione Petri a Christo: Vade post me, Satana; cf. supra p. 259). Videbat enim Apostolus, propter magnam auctoritatem Petri, non tantum judaeo-christianos Antiochenos, sed et Barnabam socium sui Apostolatus inter Gentes, redire ad aliquam praxim mosaicam nempe non edendi cum gentibus, et inde ipsos christianos ex gentilitate conversos valide impelli ad mosaicos ritus ("cogis gentes judaizare"): timebat, ne etiam postquam abissent judaei Palaestinenses ex urbe, tum ob adventum aliorum ejusmodi (Palaestina enim non longe erat), tum ob alia adjuncta, retineretur illa

innovatio in disciplinâ Antiochenâ, et paulatim invalesceret et ex uno ritu mosaico ad alios fieret transitus: timebat ne Antiochiæ, magnæ illæ urbis in quâ primum discipuli vocati sunt Christiani, quæ tunc quasi metropolis erat Christianorum ex gentibus, Antiochiæ (inquam) exemplum ubique citaretur ab acerrimis adversariis Pauli judaizantibus, cum falsis commentariis, legem scilicet obligatoriam esse, id Apostolorum principes ipsos ibi agnovisse, &c.: sciebat falsas illas doctrinas à quibusdam judaizantibus doctoribus in ipsâ urbe Antiochiæ prædicatas fuisse (ut videmus ex Act. XV. 1), et ex præsenti Antiochenorum eventu novas vires accipere posse. Unde ait S. Th., 2. 2æ q. 33. a. 4. ad 2m: "Petrum sic non reprehendisset, nisi aliquo modo par esset, quantum ad fidei defensionem." Hinc etiam apparet adjunctorum disparitas cum illis casibus in quibus ipse Paulus economiâ usus est, servans quosdam ritus mosaicos, cf. supra p. 307: nec sibi ipse contradicit (cf. Bañez t. 4. n. 557.) — Eadem, et forsasse major, gravitas periculi fuit etiam ratio, cur Paulus ad Galatas illam historiam (æterùm cognitam, utpote publicam) vividè revocaret ad mentem, nam cum Galatæ vacillarent in fide, et prædicationem Pauli de libertate Christianâ jam desererent sub influxu doctorum judaizantium, in hâc epistolâ vividiùs et severiùs, quàm unquam fecerit, contra doctrinam istam fulminat, omnique conatu eam refellit (cf. Bañez ib. n. 738, 739).

c.) Nec verbum Pauli, "simulatio" (ex quo verbo Julianus Apostata occasionem sumebat cavillandi S. Petrum ut hypocritam, teste S. Cyrillo Alex. l. 9 contra Julian.) arguit formalem

(praesertim gravem) culpam in Petro, sicut advertit Palmieri in l. c.: « Distingue duplicem simulationem, formalem, et materialem. Ea est, cum deceptio secutura cognoscitur eaque intenditur, vel saltem permittitur sine causâ, cum damno aliorum: haec est, cum solum operatio exterior non concordat cum interiore (speculativo) judicio, ut videatur ita agens aliud sentire quam reapse sentiat, reapse tamen id non affirmat ipse, nec advertit periculum deceptionis et obligationem aliter agendi... Porro Paulus non affirmat priorem: qui factum tantum prout extrinsecus gestum est narrat. Nec multum divinare oportet ut intelligatur quomodo potuerit Petrus amare actionem suam nemini scandalo futuram (vel saltem, minori scandalo, quam si secus ageret). Nam cum speciali ratione Apostolus esset Judaeorum, credere potuit, suam secessionem interpretaturos christianos ex gentibus hoc pacto, ut in eâ viderent solummodo curam conciliandi sibi Judaeo-christianos nimium adhuc suorum rituum tenaces (qui caeterum ritus suos ex legitimâ locali disciplinâ retinebant, etiam post Concilium Hierosol.): non aversionem à gentibus, aut opinionem quòd necesse esset judaizare. »

d). Nec verba « timens eos qui ex circumcisione erant » (ut advertunt in l. c. et S. Chrysost. cui sanè vis graeci sermonis explorata erat, et S. Thomas) arguunt in Petro turpem quaedam et ignavum metum, qui caeterum posset esse sine peccato gravi, sed non quadraret cum cognitâ aliunde (post Pentecosten) fortitudine Petri. Nam sicut in eâdem epistolâ, IV. 11, Paulus ipse ait ad Gal.: « Timeo vos, ne forte sine causâ laboraverim in vobis », scilicet non timens eos...

(quamvis grammaticalis constructio id dicat), sed timens pro eis : ita ferè Petrus timebat pro Judæo-christianis Hierosolymitanis per Antiochiam transeuntibus, (quos fuisse falsos fratres et doctores judaizantes, gratis affirmârunt adversarii nostri) ; timebat scilicet ne scandalizarentur et perturbarentur, videndo tam disparem agendi modum inter Petrum et ipsorum Episcopum Jacobum, licet uterque Apostolus esset, uterque judæo-christianus : præsertim cùm facile scandalizentur fideles in his rebus ; v. g. si Papa dispenset integram regionem à quadragesimâ facienda, ita ut etiam feria VI^a carnes edantur, non paucis videbitur ipsa Religio mutari.

e) Neque actus Petri erat culpabilis violatio Concilii Hierosol. (Act. XV), etiam concedendo cum sententiâ communiori et probabiliori, quod Concilium præcesserit dissidium hoc Antiochenum. Concilium enim posuerat quidem principium dogmaticum generale, legem Mosaicam non esse Gentibus imponendam, quasi per se obligatoriam : sed non negaverat legis temporaneam licitatem, præsertim quoad judæo-christianos, qualis erat Petrus. Ubique exercitio hujus juris jam Petrus renuntiaverat vivendo Antiochiæ, propter consuetudinem loci : sed poterat illud resumere, præsertim in extraordinario casu propter speciales causas. Insuper ut Caput Ecclesiæ erat certè supra consuetudines locales, et poterat eas immutare, eò magis quod solùm ad tempus recedere volebat à modo vivendi Antiochiæ recepto.

f) Neque ex verbis Pauli : « Cogis gentes judaizare » (v. 14), aliquid infertur contra nos. — « judaizare » duplicem sensum habet : 1° Erat judaizatio facti, ut ita dicam, consistens in ob-

servatione Legis cæremonialis Mosaicæ: Hæc observatio erat adhuc licita, sed non debebat gentilibus conversis imponi, præsertim extra Palæstinam. 2° Erat judaizatio dogmatis, consistens in doctrinali assertione, Legem esse omnibus obligatoriam, et gentiles per circumcisionem ingredi debere in Ecclesiam: Hæc 2ª erat prorsus et semper illicita. Quare si Petrus in 2° sensu "coegisset gentes judaizare", scil. ab eis requisivisset confessionem falsi illius dogmatis, graviter peccavisset imò erravisset in fide. Sed quod agatur de 1ª judaizatione patet ex oppositione quam Paulus hic facit inter "judaizare" et "gentiliter vivere", ubi appareat agi de modo vivendi, de simplici facto observandi vel non observandi ritus mosaicos. Ad judaizationem illam meri facti in se hunc licitam, sed propter futuras consequentias in casu illo particulari periculosam, "cogebat" Petrus non aliter quam suo tacito exemplo, ut constat ex Pauli ipsius narratione.

4ª pars.

S.C. Ex facto ipso reprehensionis Petri à Paulo (etiam admittendo quæcumque jam probavimus, scil. salvum fuisse ubique Apostolicum consensum in eâdem doctrinâ fidei, cum charisma infallibilitatis, salvam denique conscientiam Petri à gravi peccato), et ex acceptatione saltem tacitâ illius reprehensionis ab ipso Petro, adversarii Primatûs, à tempore Reformationis, sæpè existimaverunt se magnum argumentum colligere posse.

Calvinus in h.l. ait: "Ista reprehensio signum est æqualitatis. Fatear quidem summos ab infimis jure reprehendi ... Sed qualitas reprehensionis hic notanda est. Neque enim simpliciter Paulus reprehendebat Petrum ut [illegible]

num, sed id faciebat ex officio, ut loquuntur, i.e. pro jure apostolicæ personæ, quam sustinebat. Atque hic altero fulmine prosternitur Romanus Papatus. Præsertim verò exarguitur illa impertinentia, quòd romanus anti-Christus immunem se jactat à reddendâ ratione, et quòd universæ Ecclesiæ judicio se eximit. Hic, unus homo, non temerè, non illicitâ audaciâ, sed concessâ sibi à Deo potestate, Petrum coram tota ecclesia castigat. Et Petrus obedienter correctioni se submittit.»

Et nostris diebus inter alios Doctor Cumming, presbyterianus, in Litteris ad Card. Manning, in « Postulato 2° » ad Conc. œcumen. Vaticanum, aiebat: « Interline Concilium explicare, cur Petrus Vicarius J.-C. à Paulo reprehensus, non excommunicaverit ipsum Paulum; sed e converso morem suum emendaverit Petrus? »

Alii verò fidei inimici objectionem aliquandò sumpserunt e converso: ita Porphyrius philosophus, teste Hieronymo, (l. 1. in Galat. c. 2) invehebatur in Paulum, qui « Principem apostolorum » Petrum ausus esset « procaciter confutare. »

Nos probabimus, reprehensionem illam minimè esse negationem jurisdictionis Petri in ipsum Paulum, à fortiori non esse signum jurisdictionis Pauli in Petrum; cum eâ Primatum Petri conciliari et componi: potuisse igitur illam reprehensionem, et sine ulla præcognitâ fieri, à Paulo, et sine ulla sui primi loci desertione acceptari à Petro. — Hæc pars theseos (sicut et sequens) directè spectat ad præsentem nostram tractationem de jurisdictionis primatu.

Probatur:

Ille non negat nec violat sui Superioris jurisdictionem, qui erga Superiorem utitur correctione fraternâ, cum moderatione congruâ.

Atqui reprehensio Petri à Paulo 1)

nihil aliud fuit quam correctio fraterna, et quidem 2) cum moderatione congruâ. — Ergò

Probo Majorem.

Duplex est correctio seu correptio, ut notat S. Th., 2. 2æ q. 33. a. 3: « Una quidem, quæ est actus charitatis (correctio fraterna): quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem: et talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, sive sit subditus, sive Prælatus. » — quamvis specialiùs ad Prælatum (ib. ad 1m). —

« Est autem alia correctio (pergit S. D.), quæ est actus justitiæ...; et talis correctio pertinet ad solos Prælatos, qui non solùm habent admonere, sed etiam corrigere puniendo. »

2æ correctionis, à quocumque prodeat, licitas (imò aliquando necessitas seu obligatio, etiam gravis) est doctrina fidei, apertè contenta in Revelatione: cf. Gury t. I. n. 230, et Theologos omnes in tract. de Charitate. — Quòd si objicitur: « Qui corripit alium, movet eum suâ admonitione ad melius: sed in rebus naturalibus, inferiora moventur à superioribus: ergò etiam secundùm ordinem virtutis, qui sequitur ordinem naturæ, ad solos Prælatos pertinet inferiores corrigere », respondet S. Th. (ib. ad 3): « Etiam in rebus naturalibus, quædam multùm in se agunt, quia quantùm ad aliquid sunt se invicem superiora, prout scil. ubumque est quodammodo in potentia et quodammodo in actu respectu alterius. Et similiter aliquis, in quantùm habet sanum rationis judicium in hoc in quo alter delinquit, potest eum corrigere, licet non sit simpliciter superior. » Et ad 2m: « Sicut ille qui habet unde corporaliter subvenire possit, quantùm ad hoc dives est (et bene agit, juvando materiali eleemosynâ eum, qui est

ipsi jurisdictione superior): ita ille, qui habet sanum rationis judicium, ea quæ possit alterius delictum corrigere (quæ est quædam eleemosyna spiritualis), quantum ad hoc est superior habendus." — superior non jurisdictione, sed quantum satis est ad objectionem solvendam.

Hinc sequitur, non solum ab æquali, sed et à subdito fieri posse (et aliquando debere) correctionem fraternam, ut explicat S. Th. ibid. in art. 4: "Correctio illa, quæ est actus justitiæ per coercitionem pœnæ, non competit subdito respectu Prælati: sed correctio fraterna, quæ est actus charitatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personæ ad quam charitatem debet habere, si in eâ aliquid corrigibile inveniatur. Actus enim ex aliquo habitu vel potentiâ procedens se extendit ad omnia quæ continentur sub objecto illius potentiæ vel habitûs; sicut visio ad omnia quæ continentur sub objecto visûs." Ergò aliquis actus charitatis, ut est illa spiritualis eleemosyna correptionis, se extendit ad omnes personas erga quas charitatem habere debemus, seu quæ continentur sub objecto materiali charitatis. Aliquæ etiam erga Prælatos charitatem et misericordiam habere debemus, ut patet, utque ait Aug. in sua Regulâ (citatus ibid. à S. Th.): "Non solùm vestri, sed etiam ipsius (Prælati) miseremini, qui inter vos quantò in loco superiori tantò in periculo majori versatur." Ergò. — Et ad objectionem, quòd "aliquis non debet de se meliora sentire quam de Prælato suo", — respondet S. Th. ibid.: "Præsumere se esse simpliciter meliorem quam sit Prælatus suus, videtur esse præsumptuosæ superbiæ. Sed æstimare se meliorem quantùm ad aliquid, non est præsumptionis, quia

nullus est in hâc vitâ qui non habeat aliquem defectum. Et etiam considerandum est, quòd cùm aliquis Prælatum charitativè monet, non propter se majorem existimat; sed auxilium impartitur ei, qui quantò in loco superiori, tantò in periculo majori versatur, ut Aug. dicit.»

Addendum tamen est cum S. Th. ibid. hoc moderamen: «Quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis, ideò in correctione quâ subditi corrigunt Prælatos debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervitâ et duritiâ, sed cum mansuetudine et reverentiâ corrigantur.»

Et hoc est probatio Majoris: quam, etsi ad alium tractatum pertineat, aliquantulùm voluimus evolvere: tùm quia vix hodiè materiæ illæ morales tractantur dogmaticè et altiori investigatione, tùm quia præcipua difficultas multorum hodiè ad intelligendam illam reprehensionem Petri à Paulo, est quædam occulta persuasio, semper illicitum esse subdito corripere suum Superiorem: quæ persuasio apparet quando v. g. error contentus in libro alicujus Episcopi, ab inferiore aliquo, etiam reverenter reprehenditur: multi statim clamitant, «non esse subditorum judicare Superiorem»; et ibi fingunt actum jurisdictionis, ubi non est. Sanè epistolæ, quibus S. Bernardus corripit ipsum Rom. Pontificem Innocentium II, negrè hodiè intelligerentur. — Et hoc meo quidem judicio, non provenit ex eo quòd in nostro sæculo sit major reverentia erga Superiores, siquidem è contra omnes querumtur, auctoritatis rectam notionem et observantiam passim obscuratam esse et imminutam: sed potiùs ex eo quòd errores liberales rationalismi Kantiani et recentioris de hominis indivi-

dui juribus atque "autonomiâ", de Personæ dignitate "servanda tanquam principio primo totius moralitatis, de "justitiâ substituendâ charitati", &c. adeò hodiernâ litteraturâ pervulgati sunt, et (favente naturali honoris cupiditate) multorum animos latenter irrepserunt, ut doctrina catholica fraternæ correptionis à multis jam non intelligatur, damnatur reprehensio non solùm superioris ab inferiore, sed etiam æqualis ab æquali: unusquisque adeò superbit (quasi nullos ipse defectus posset unquam habere!), adeò delicatas aures, adeò tenellam habet cuticulam, ut vix admittat reprehensionem Superiorum (quæ etiam debet se insinuare mitissimè et mollissimè), malatenus autem reprehensionem æqualium. Et hoc infeliciter etiam in Ecclesiasticis viris, imò et in Religiosis, sæpè invenitur. — Non ita Patres, qui sensum catholicum meliorem habebant: imò extollunt Petrum, quia (quod semper naturæ durum est) ab inferiore reprehensionem etiam publicam cum simplicitate justam agnovit, cum humilitate christiana acceptavit, memor præcepti Christi, Ecclesiasticam auctoritatem non exercendam esse cum arrogantiâ et fastu, ut "reges gentium dominantur", sed eum, qui est præcessor, sæpe gerere se debere quasi esset ministrator, exemplo ipsius Christi lavantis discipulorum pedes. (Cf. supra p. 76 et p. 289). In quo nec Paulus diversum habebat systema, qui ait, I. Cor. IX. 19: "Omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem", et segq. — Audi Cyprianum ep. 71. ad Quintum: "Nec Petrus ... vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter sibi assumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari à novellis et posteris sibi potiùs oportere, nec despexit Paulum,

quòd Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit », Pc. Duæ verba Cypriani citat et approbat Aug. de Bapt. l. 2. n. 2. et in epist. 82 (al. 19) ad Hieronymum de hâc quæstione n. 22. ait : « Rainus et sanctus exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent minores majoribus pro defendenda veritate, salvâ charitate, resistere. Est hæc itaque justæ libertatis in Paulo, et sanctæ humilitatis in Petro. ». — Et S. Greg. M., l. 2. hom. 6 in Ezech. n. 9 : « Se etiam minori fratri ad consensum dedit (Petrus), atque in eadem re factus est sectator minoris sui, ut etiam in hoc proficeret, quatenus, qui primus erat in apostolatûs culmine, esset primus et in humilitate. » Cf. Suarez l. cit. n. 746. — Hæc debuit esse una ex rationibus, cur Deus permiserit illam Petri deviationem, cur Deus voluerit publicam illam à Paulo fieri correctionem, historiamque illam in libro inspirato narrari, in posterorum solemne documentum.

Alia fortasse causa, cur correctionem illam à zelo charitatis profectam nostra tempora minùs cognoscant, est in pusillanimitate et voluntatis mollitie hodie communissima (« la faiblesse de caractère ») : nam ubique rarum est et injucundum, prudentem aliquem ex charitate reprehendere ; facilius et jucundius est, absentem rodere. Adde artificia nimis exquisitæ urbanitatis.

Probo Min. quoad 1m.

Nihil est in narratione Pauli (Gal. I) quod innuat ipsum voluisse non tantùm ex caritate, sed etiam ex jurisdictione et coercitione reprehendere Petrum. — Ergò nulla hic probatur

adhuisse correctio major, quam fraterna. — Probo (ark. a) Paulus Petro nullum praeceptum, nullam poenam imponit, qui sunt actus jurisdictionis verae et coactivae. b) Non adhibet formulas judiciales, sicut fecit I. Cor. V. erga incestuosum Corinthium: « Ego judicavi ... cum qui sic operatus est ... tradere hujusmodi Satanae" &c. c) Non appellat, ut ibid., ad potestatem sibi traditam: « in nomine D. N. J. C., ... cum virtute Domini nostri Jesu » (supra p. 66); vel sicut II. Cor. XIII. 10: « Donum agam, secundum potestatem quam Dominus dedit mihi, "(supra p. 70). d) Simpliciter conatur Petrum aliquo ratiocinio persuadere: « Si tu, cum Judaeus sis" &c. e) Caeterum Calvinus (supra cit. p.) et alii Protestantes sibi contradicunt, quando volunt Paulum ibi jurisdictionem exercuisse in Petrum. Nam proclamant, omnes Apostolos fuisse quoad omnia aequales: nec proinde ex suis principiis magis possunt admittere jurisdictionem Pauli in Petrum, quam Petri in Paulum; sed inter aequales nulla potest alia esse correctio quam fraterna, profecta ex privato zelo charitatis, non ex publico officio jurisdictionis.

Neque est ibi ullum dictum aut factum, quod importet in Paulo rejectionem jurisdictionis Petri, seu negationem auctoritatis ejus. Petrus nullum praeceptum imposuerat, cui Paulus obedientiam denegat; exemplum tantum in suo proprio modo agendi dederat, quod Paulus reprehendit. Dicit utique: « Ei restiti " seu me opposui, ἀντέστην: sed hoc dicere potest quicumque actum alterius non approbat sed reprehendit, etiam in [illegible] correctione fraterna: imo quicumque impugnat [illegible] alterius, propugnat quo aliam sententiam. — Addit: « in faciem » κατὰ πρόσωπον:

sed haec vox nihil aliud significat quam "coram, palam, in ejus praesentia." Sane eadem prorsus phrasis graeca occurrit apud 70 ipso simplici actu resistentiae: v. g. Deuteron. VII. 24: "Nullus poterit resistere tibi", ubi Sulpitia nostra omisit illud "in faciem", quod tamen est in graeco: omisit, quia est hebraismus nihil addens sensui. Pariter Judicum II. 14: "Nec potuerunt resistere adversariis suis." (Item, Act. III. 13; XXV. 16.) — Ad summum in nostro loco posset concedi, illud "in faciem" redolere aliquam emphasim, ad ostendendum quod Paulus non timuerit id facere, quantacumque esset Petri auctoritas et majestas; quae reprehensionem reddebat difficiliorem: sed hoc confirmaret thesim de Primatu, nedum esset contra nos.

Probo Min. quoad 2m.

Moderatio congrua servatur in forma reprehensionis. Nam in verbis, quae se dixisse Petro refert Paulus, nulla est vox arrogans aut contumeliosa; modum agendi Petri coram ipso non qualificat, neque amplificat. "Reprehendit sane Paulus Petrum (vid Bassaglia l. 1. c. 24 in fine), sed ipsius Petri nomine atque auctoritate: opposuit Petrum Petro, factum antecedens facto consequenti, factum liberum facto oeconomico paternoque dispensationis; idque assequitur quo spectabat, ut Petri imitatores intelligerent Petrum maxime esse, qui sua auctoritate agendi quae ratione libertatem gentium tueretur." Id jam notaverat Chrysost. in praeclara hom. quam habet in ea verba: "In faciem ei restiti", n. 17. — Hoc reprehendendi modo potius innititur Primatus Petri, ut notat Palmieri in h. l.: "Paulus non ex alio, quam ex ipsa praxi ideoque auctoritate Petri, arguit contra ipsum: ut sic ejusdem auctoritate ceteros docere non oportere

judaizare. Nimirùm Dux ex caritate erga alios suscipit officium correptoris, memor reverentiæ debitæ Principi Apostolorum, hujus vult auctoritate confirmari fratres.»

Verba cæremonialia (quorum usus pendet à moribus institutisque populorum) non apparent fuisse in usu inter Apostolos primosque Christianos, qui magnâ simplicitate fungebantur: ergò eorum absentia in nostro textu nihil habet mirum. Cæterùm adverte, hic non agi de reprehensione facta à gregario quolibet milite, sed à duce subalterno, eoque primi ordinis, qui (ut omnis Apostolus) erat æqualis Petro in multis extraordinariis prærogativis (supra p. 278), imò inter Apostolos eminebat speciali Apostolatu Gentium (supra p. 299, seq.), quem Apostolatum jam in ipso solemniter agnoverant Petrus, Jacobus et Joannes, et «dextras societatis dederant» Paulo tanquam socio et fratri (Gal. II. 9.).

Et quamvis correptio fraterna, præsertim peccati occulti, sit plerumque facienda privatim, tamen sunt adjuncta, in quibus potest vel etiam debet fieri publicè (Cf. Levit. XIX. 17). Talis erat casus: actio Petri fuerat publica, ergò non revelabatur peccatum occultum; et ex illâ actione videbat Paulus oriri publicum scandalum pro gentilibus conversis et convertendis, ergo etiam fuit publicè reprehendenda, ut scandalum illud tolleretur. — Imò, etsi minimè aderat hæc ratio scandali, Petrum coram populo reprehendit Moyses, quamvis ducem supremum et judicem populi (Exod. XVIII. 14): «Quid est hoc quod facis in plebe?... Non bonam rem facis: stulto labore consumeris et tu, et populus iste qui tecum est», &c. Et Moyses (ib. v. 24) «fecit omnia quæ ille suggesserat:» et, ut advertit Chrysost.

(Hom. de ferenda reprehs., n. 2), « non erubuit tot praesentibus corripi, et factum hoc memoriae commendare. » — A fortiori ubi est aliquod periculum fidei, ut in nostro casu. « Sciendum tamen est (ait S. Th. 2. 2ae q. 33 a. 4 ad 2m), quod ubi immineret periculum fidei, etiam publicè essent Praelati à subditis arguendi. Unde et Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, Petrum publicè arguit. » — Et ut advertit D Palmieri in h. l., « vis exempli Petri abolere nequibat, nisi certo constaret, ipso latente Petro, non aliam esse sententiam Petri ac Pauli, quod quidem Petrus notum fecit Pauli correptionem admittens eoque silentio confirmans. »

Probatur 5a pars.

Jam vidimus in parte praecedenti, aliqua adjuncta illius reprehensionis potius immutare et confirmare Primatum Petri, Sed est aliud adjunctum à Paulo attestatum, cui specialiter insistere volumus: scilicet, influxus exempli Petri in fideles.

Antiochiae erat hic modus agendi, ut judaeo-christiani ederent cum gentilibus. Exemplum dabant ipsi Apostoli (qui omnes erant judaeo-christiani), Paulus, Barnabas, et ipse Petrus. Advenientibus autem quibusdam judaeo-christianis à Jerusalem Petrus immutat quoad seipsum hunc agendi modum: nihil docet, nihil praecipit: nihilominus tacitum ejus exemplum, cujus efficacia persuasiva minuebatur tamen tum Pauli (tanti Apostoli!) resistentiâ per exemplum contrarium, tum ipsius Petri exemplo contrario praecedente (mutatio enim et mobilitas hujusmodi per se apta est ad influxum minuendum) — tacitum (inquam) et novum Petri exemplum tantam habet vim,

ut subitò a) « cœteri Judæi » consentiant, imò b) « et Barnabas », hucusque semper socius laborum Pauli inter Gentes et fidelissimus comes, et qui jura Gentium hactenùs defenderat, potiùs exemplum Petri sequitur, quam exemplum et dicta Pauli; quin etiam c) ad ritus mosaicos attrahuntur illo solo exemplo ipsi conversi ex Gentibus, licet ex se nullam ad eos ritus habeant propensionem, licet specialis ipsorum Apostolus, qui eos converterat, Paulus, contrarium sæpè docuerit, et nunc adhùc protestetur exemplo contrario, fortasse etiam dehortasionibus: et ita attrahuntur, ut Paulus voce significantissimâ dicat ad Petrum: « Cogis (ἀναγκάζεις, necessitatem inducis) gentes judaizare. » –

Atqui tantus Petri influxus non explicatur, si fuisset Paulo æqualis, si non habuisset supremam in Ecclesiâ auctoritatem. – Ergò.

Item cur Paulus Petrum potiùs quam Apostolos alios, potiùs quam Jacobum (qui juxta ipsos adversarios erat rituum mosaicorum defensor præcipuus) impugnat et cogere vult ad confitendum illos ritus non esse gentibus necessarios? nisi quia Petrus erat summa in Ecclesiâ auctoritas. – Ita ipse Bossuet, sermon sur l'Unité, 1er point: « Il (St Paul) ne s'en prend pas à Jacques, mais à Pierre qui était chargé du gouvernement. »

Quare ipse protestans commentator Meyer (in Matt. XVI. 18) fatetur, hoc factum esse potiùs argumentum pro Petri superioritate, seu supremâ jurisdictione. – Insuper est novum exemplum, quo ostenditur, ætate apostolicâ Primatum Petri omnibus notum fuisse: contra argumenta negativa Protestantium jam refutata in thesi præcedente.

Probatur 2a pars.

1°) Ipso argumento allato in parte præced.; quod sic exponit S. Chrysost. (hom. in illud: « In faciem ei restiti »): « Si quispiam alius (quam B. Petrus) fuisset, non adeò valuisset ejus mutatio, ut cæteros etiam Judæos attraheret. Nam neque ad Gentes est neque consuluit, sed tantùm subtrahebat et segregabat se, atque illa subtractio et segregatio cæteros omnes Discipulos attrahere potuit propter personæ dignitatem. » — Crescit vis argumenti, si attendas, neminem alium Apostolorum vocari « Cephan »: proinde Cephan, si à B. Petro diversus est, esse debere aliquem inferiorem Apostolis, inferiorem Paulo, inferiorem Barnabæ; num talis Nomuncionis, cujus nec gesta narrantur, solum nutum exemplum tanto influxu pollere potuisset? — Et in istâ hypothesi, exemplum seu « simulatio » Barnabæ (quam ipse testatur Paulus) multò plus gentibus nocuisset, quam exemplum seu « simulatio » Cephæ, et omninò debuisset Paulus Barnabam etiam admonere et reprehendere, ad tollendum scandalum principalis illius exempli. At è contra (ut contra Hardouinum arguit Manachi in eruditissimo opere « Origines et Antiquitates christ. », Romæ 1755, t. V, Sarergon) « Paulus Cephan eam ob causam reprehendit, omisso Barnaba. Fuit igitur Cephæ dignitas atque potestas, Barnabæ dignitate potestateque prorsus inferior. Cùmque socius, adjutor discipulusque Apostolorum esset nemo Barnaba auctoritate major, sequitur Cephan Apostolum fuisse, non socium atque adjutorem apostolorum. Demptò autem Petro, quis unquam in Apostolorum cœtu fuit, qui appellari posset Cephæ nomine? Petrum igitur eumdem atque Cephan fuisse confitendum est. »

2°) Adversarii supponunt, « Cephan »

illum fuisse doctorem judaizantem, "falsum fratrem" ex iis quos tacito nomine damnat Paulus Gal. II. 4, haereticis doctrinis imbutum: quem ita suis anathematibus prosequuntur, ut quanto magis extollunt Petrum, tanto magis despiciant Cephan. — Atqui, si ita res se haberet, a) Cephas, cum venisset Antiochiam, non acceptasset "cum gentibus edere", quod doctoribus judaizantibus erat summa abominatio, illiusque doctoris judaicas praedicationes reddidisset inanes; multo minus potuisset de Cepha per modum habitus dicere Paulus: "Gentiliter vivis, non judaice"; — b) Paulus ei non exprobraret unice aliquid negativum, quod nempe, "cum venissent quidam a Jacobo, subtrahebat et segregabat se", sed ante omnia illi seductori exprobraret positivum magisterium erroris, et in hoc insisteret; c) illam ab edendo cum gentibus separationem Paulus non vocaret "simulationem", siquidem erat plane conformis menti et principiis doctorum judaizantium, quales fingunt Cephan; — d) non nominaretur ille "Cephas" cum Apostolis Jacobo et Joanne in versiculo 9: vel si fingis (ut etiam adversarii finxerunt) "Jacobum et Joannem" hic non designare Apostolos, sed quosdam doctores judaizantes, homonymos Apostolis, tunc non debuisset Paulus acceptare illorum haereticorum "societatem" nec quasi commilitonibus et collegis, illis valde inferioribus hominibus "dextram societatis dare", nec cum ipsis apostolatum dividere gentium et judaeo-christianorum: "Et cum cognovissent (ait) gratiam quae data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi et Barnabae societatis: ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem." Insuper adverte, hanc divisionem apostolatus eamdem esse ac in versiculo praecedente,

ubi pro Cepha ponitur aperte Petrus et ubi omnes concedunt agi de Ss. Petro: « Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes » : cum hac differentia, quod in versic. 8 nominantur tantum duo praecipui duces apostolatus Judaeorum et Gentium, Petrus et Paulus (cf. supra p. 300): in versiculo autem sequente addunter et illi, quibus secundario sub illis incumbebat specialis missio vel Judaeorum vel Gentilium: scil. cum Petro (Cepha) Jacobus et Joannes, "in circumcisionem": cum Paulo Barnabas "in gentes". Ergo ex ipsa connexione et coherentia sententiarum, falsa est opinio adversa, Cephan illum, de quo in v. 9., diversum esse a Petro, de quo in v. 8; duos versiculos ad homines diversos pertinere.

Ex his omnibus concludere possumus cum Chrysost. l. c.: « Petrum illum esse de quo haec omnia dicit, cum ex iis quae praecesserunt, tum ex iis quae sequuntur" (aliis verbis, ex toto contextu)" manifestum est. » Item cum Hieronymo in h. l.: « Sunt qui Cephan, cui in faciem Paulus restitisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, sed alium de 70 discipulis isto vocabulo nuncupatum ..... Quibus primum respondendum, alterius nescio cujus Cephae nescire nos nomen, nisi ejus qui in Evangelio et in aliis Pauli Epistolis, et in hac quoque ipsa, modo Cephas modo Petrus scribitur... Deinde totum argumentum epistolae, quod oblique de Petro, Jacobo et Joanne dicitur, huic intelligentiae repugnare. » Item cum Gregorio Magno, hom. 18 in Ezechiel.: « Sunt vero nonnulli, qui non Petrum Apostolorum Principem, sed quemdam alium eo nomine, qui a Paulo est reprehensus, accipiunt, qui si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent. »

3°) Auctoritate Patrum. Ex Patribus

quorum scripta habemus (omitto enim Pseudo-Dorotheum, et Ecumenium, Byzantinum illum saeculi decimi); solus Clemens Alexandrinus nobis adversatus est in libris Hypotypseon, deperditis quidem, sed res attestatur ab Eusebio hist. eccl. l. I. c. 12, qui ait: "Quod vero ad 70 discipulos attinet, eorum catalogus nullibi reperitur ... Clemens in libro 6 Hypotypseon ... Cephan illum, cui Antiochiam ingresso Paulus se palam restitisse dicit, unum ait fuisse ex 70 discipulis, Petro Apostolo homonymum." — Cf. Études Religieuses 1866, t. 8e p. 325, seqq.

Haec autem exceptio invalidare nequit unanimitatem moralem Patrum, qui B. Petrum reprehensum a Paulo fuisse affirmant, imo opinionem Clementis, a nonnullis ignotis postea aliquando admissam, acriter impugnant, v. g. Chrysost., Hieron., Greg. M. modo citati. — Disputant inter se Aug. et Hieron. de reprehensionis modo, sed uterque admittit agi de B. Petro. — Nec tantum illi posteriores Patres, sed etiam qui tempore Clementis vivebant, Clementi contradixerunt. Sta S. Irenaeus, c. Haeres. l. III. c. 12: "Petrus quoque timens ne culparetur ab ipsis, ante maducans cum gentibus propter visionem (in domo Cornelii), ... separavit se"; Tertullianus defendens Apostolos Petrum et Paulum contra Gnosticos (supra p. 314). Sta Origenes Clementis Alexandrini opinionem, quamvis ejus discipulus et successor, non sequitur, et ait l. 2. contra Celsum n. 1, "Petrum ... cum gentibus edere desiisse", &c. Sta paulo postea Cyprianus, jam citatus supra p. 328. — Cf. alia testimonia apud Mamachi, l. c.

Adversarii, ut effugiant, dicunt Patres deceptos fuisse lectione mendosa Scripturae, quoniam in quibusdam codicibus antiquis non legitur (Gal. II. 9 et 11.) Κηφᾶς, sed Πέτρος. Transeat,

lectionem "Cephas" esse veram, quam Alexandrinus, Vaticanus, Sinaiticus et Vulgata nostra habent: saltem videtur probabilior. At cur supponis, Patres (v.g. Origenem, Hieronymum) non habuisse nisi mendosos codices? aut ignorasse lectionem "Cephas", habitam à Clemente Alexandrino, et à multis codicibus? — Cur fingis eos in illâ lectione ΠΕΤΡΟΣ suam interpretationem de B. Petro fundasse, quandò ipsi, interpretationem suam defendentes, nunquam appellant ad istam lectionem, sed ad totum contextum loci, ut facimus nos? Denique ex Patribus illis ipsis, qui certissimè "Cephan" non "Petrum" legebant, nihilominùs nostram tenent interpretationem: Ita v.g. Eusebius, comment. in Ps 76, ait: "Paulus coryphaeos apostolorum columnas nominavit, dicens: Jacobus et Cephas (Κηφᾶς) et Joannes, qui videbantur columnae esse," &c. Ergò Eusebius "Cephan" legit, et tamen B. Petrum intelligit, alioqui Cephan in "coryphaeis apostolorum" non numerasset. — Item Hieronymus, qui l. supra cit. testatur ipse se legere in hâc epistolâ "modo Cephan, modo Petrum".

Auctoritati Patrum subjungendus est S. Thomas (Comment. in Gal., et locis supra cit.) cum omnibus Scholasticis.

Primus autem, qui discedens à communi Theologorum sententiâ, Thesim nobis adversam propugnaverit, est Hardouinus vir planè singularis: cujus opinionem secuti sunt saeculo XVIII nonnulli alioquin non contemnendi scriptores catholici, inde existimantes meliùs defendi Petri primatum, ut Zaccaria (qui tamen non defendit nisi ut probabilem), Killer (Theol. Dogm., de Legibus n. 60, segg.); et saeculo XIX paucissimi nonnulli, ut Alonsius Vincenzi, de Hebraeorum et christianorum sacra monarchia, pars 2a; et hodiè in Galliâ aliqui magno fervore idem defendunt. — Haec sententia quomodò apologeticè

prodesse possit (ut dicunt ejus fautores), non video. Eam enim cum provisis irriserunt, et explodunt Protestantes, Rationalistae, aliique adversarii Primatûs, deberes solidè demonstrare, quod fieri nequit. Denus per impossibile hoc fieri: remanebunt explicandi Patres, qui admiserunt S. Petrum potuisse ita reprehendi à Paulo, potuisse facere quaecumque Paulus reprehendit: ergò tot ac tanti Doctores (dicent haeretici) negabant supremam Petri jurisdictionem, vel infallibilitatem? Ut Patres explices, ad nostram thesim recurrere debebis, ad explicationes quas cum ipsis Patribus supra dedimus. Ergò ista sententia (quam modeste diximus «parum probabilem») sibi non sufficit ad refellendos haereticos, imò superflùe catholicam Apologiam inbincat oneratque, et, quod pejus est, eam exponit irrisioni adversariorum, ex soliditatis defectu; viam regiam Traditionis gratis deserit, denique ex praeoccupatione quâdam apologeticâ Scripturam mutilat, tollit enim eximium exemplum quod Deus ibi nobis dare voluit, «justae libertatis in Paulo, et sanctae humilitatis in Petro», ut ait Aug. (cf. supra p. 329): tollit pulchrum illud et symbolicum spectaculum, quando Apostoli inter se «dextras societatis dederunt», antequam se ad diversa sua opera separarent (Gal. II. 9), &c. Quare Hieronymus in h. l.: «Si propter Porphyrii blasphemiam alius nobis fingendus est Ephras, ne Petrus putetur erasse, infinita de Scripturis erunt radenda divinis, quae ille, quia non intelligit, criminatur.»

Objectiones contra 2am partem.

1°). «Sententia communior non sufficit apologeticè ad defendendam Petri infallibilitatem, vel supremam jurisdictionem: vim facit verbis Sancti, ad ea benignius explicanda, impossibile est,

Paulum haec dixisse de Petro, &c." — Resp. Nego: cf. probationem partium precedentium nostrae thesis.

2°) "Conferendo Act. XV et Galat. II., apparet in Petro ingens contradictio, si Petrus identificatur cum illo Cephas quem Paulus reprehendit." — Resp. Nego: "contradictio" illa (ex quâ etiam affirmatâ Tubingenses concludere voluerunt, auctorem Actuum non fuisse veracem, mitigavisse dissidium doctrinale inter Petrum et Paulum &c.) non existit nisi in phantasiâ eorum, qui ubumque textum superficialiter aspexerunt, vel qui, in questione de ritibus mosaicis, nesciunt distinguere inter judaizationem doctrinalem et judaizationem meri facti, inter christianum dogma et disciplinam, inter disciplinam Hierosolymitanam et disciplinam Antiochenam, inter Petrum cum disciplinâ (praesertim locali) dispensare valentem, et alium quemlibet christianum, inter praxim ordinariam et casum extraordinarium, &c.: cf. probationem thesis, maximè 1ae partis. — Hague Card. Hergenröther (hist. de l'Eglise, 1re période, n. 28) ait: "Cette contradiction disparaît devant l'explication exacte des deux textes."

3°) "Petrus non potuit turbare Galatas, eis praedicando necessitatem circumcisionis, apud eos Apostolatum Pauli impugnando et calumniando, &c. Atqui haec fecit ille Cephas, de quo agitur Gal. II. Ergò." — Resp: Nego Min. Adversarii somniantur, "Cephan" esse unum eorum, de quibus Apostolus (Gal. I. 7) dicit in praesenti: "Sunt aliqui qui vos conturbant" &c. At quomodò probant? Dicit quidem Paulus, (Gal. II. 11), Cephan olim reprehensibilem fuisse: nullibi in Epistolâ dicit, Cephan nunc esse reprehensibilem, esse unum ex illis praesentibus Galatarum perturbatoribus quos tacito nomine impugnat. Non à Cepha, sed à nescio quo fascinatos dicit Galatas,

lib. III. 1. — Historiam antiquam Cephae, cum pluribus aliis factis pristinis, narrat ut facientem ad suum propositum: et est argumentum à fortiori: « Si ipse Cephas debuit à me reprehendi », &c. Cf. Palmieri opp. p. 317. H°) Gal. II, Paulus loquitur primum de « Petro », deinde de « Cephra ». Atqui non potest sine confusione eandem personam in eadem epistola diversis nominibus exprimere. Ergo non est eadem persona. » — Resp. Trans. Maj. (Dico transeat, quia lectio « Cephas » quamvis probabilior ut dicimus, tamen non est certa: nam aliqui codices non concordant): Nego Min. — Nam a) quando una persona diversis nominibus gaudet, facilis est transitus ex uno ad alium, etiam sine apparenti ratione. Exempla non desunt in ipsa Scriptura. v. g. Act. XIII, initio capitis (v. 1, 2, 7.) semper dicitur « Saulus »; et postea in eodem capite (v. 13, 16, &c.) eadem persona semper dicitur « Paulus ». Et ad ipsum Petrum, Luc. XXII. 31, « ait Dominus: Simon, Simon, » et statim v. 34 mutat nomen: « Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus », &c. — Et b) id à fortiori fieri potest, quando unum nomen non est nisi translatio alterius, eundem sensum retinens. — Sic, Act. IX. 36: « In Joppe autem fuit quaedam discipula, nomine Tabitha (in syro chald.), quae interpretata (in graeco) dicitur Dorcas (« la gazelle ») .... Et circumsteterunt illum (Petrum) omnes viduae flentes, et ostendentes ei tunicas et vestes, quas faciebat illis Dorcas ... Et conversus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. Et illa aperuit oculos suos », &c. Vides, ut transit ex uno ad alium. Neque erat ulla confusio, cum primis illis temporibus duae illae linguae, propter mixtionem Judaeo-Christianorum et aliorum, satis erant notae fidelibus ut saltem possent omnes cognoscere (quod minimum est) significationem nominum pro-

priarum, et duplicem earum formam. Atqui Christus ipse, cum primùm Simon Bar-Jona ipsi adductus est, nomen "Cephae" ipsi imposuerat, Joann. I. 42: "Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus." Unde propter reverentiam Domini, formam ipsam, quā usus erat Christus, cognoscere debebant fideles, licet etiam et saepiùs uterentur interpretatione "Petrus". Eò magis, quod sensum dogmaticum magni momenti habebat haec vox (cf. supra p. 220), ad quem sensum reddendum forma Πέτρος minorem habet aptitudinem, utpote non ita suggerens ideam praegrandis et solidi lapidis, super quem aedificari possit (supra pp. 224, 225). — Ipsum factum, quod vox "Cephas" non relicta est indeclinabilis, sicut quaedam aliae (v. g. Leo de tribu Juda, Apoc. v. 5; "dicentes ad Aaron" Act. VII. 40) &c., sed è contra invenitur in N. Test. graecizata per desinentias, et pariter in Vulgata latina: "Tu vocaberis Cephas", "Visus est Cephae" &c. — ipsum illud factum (inquam) innuit illam vocem satis usitatam fuisse apud fideles graecè loquentes. (Cf. supra p. 220). — c) In eo loco, in quo Paulus transit ab uno nomine ad aliud, satis indicat ipse eandem nihilominùs esse personam: nam apostolatum "circumcisionis" seu Judaeo-christianorum, quem Gal. II. 8. tribuit "Petro" (eum opponens apostolatui "gentium" quem sibi Paulo asserit), eumdem in sequenti versic. cum eādem oppositione attribuit "Cephae" (cf. supra p. 337). — d) In adversariorum hypothesi, multò major fuisset confusio à scribente Paulo inducta. Nam, sine ullā explicatione, uterentur nominibus benè notis Apostolorum "Jacobus, et Cephas, et Joannes" ad designandos alios, quos adversarii nostri fingunt fuisse Hierosolymitanos presbyteros, vel diaconos, vel quidquid aliud eorum phantasiae placet. Et

hoc ab Galatas remotos à Jerusalem, qui sub illis nominibus facilius debebant ipsos Apostolos, quam ignotos homines, intelligere.

Inst. Nomen « Petri » invenitur 157 vicibus in N. Test. : nomen « Cephae » octies tantum — Resp. Usus loquendi ipsius Pauli ante omnia esset considerandus : atqui Paulus sepius dicit « Cephan » quam « Petrum ». Scio, adversarios in I. Cor. XV. 5 : « Visus est Cephae, et post hoc undecim », et in aliis Pauli textibus ubi loquitur de Cepha, semper suum Cephan intundere distinctum à S. Petro : sed hoc sine ullo fundamento. Addo, juxta accuratissimam Tischendorfii editionem (ex antiquioribus codicibus, sinait., Alexand., Valic. &c.) legendum esse Gal. I. 18 : ἱστορῆσαι Κηφᾶν, in quo loco ipsi adversarii de S. Petro omnino agi concedunt (cf. locum expensum supra p. 286, 287) : et adverte hoc unum illum esse in eadem epistola, et pauló ante reprehensionem Cephae à Paulo.

Falsa est etiam illa suppositio adversariorum, quòd, si quis haberet duas formas sui nominis, unam syrochaldaicam, alteram graecam, apud Graecè loquentes sola graeca usitabatur. Imò aliquandò apud omnes prævalebat forma syrochaldaica : v. g. « Thomas » syrochald. idem significat ac graecè Δίδυμος (« jumeau ») ; sed quamvis utraque forma detur à Jo. XX. 24 : « Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus », tamen alibi in N. T., et in totâ Traditione, prævaluit nomen « Thomas », desertâ formâ graecâ etiam à scriptoribus graecis. — Et ipse « Cephas » quem fingunt, cognitus erat Graecis : cur igitur non graeco appellatus est nomine ?

5°) Paulus « Cephan » annumerat eis, qui « videbantur esse aliquid », qui « videbantur esse columnae » : atqui ille qui dicit : « videbantur », negat

eos tales revera fuisse? Ergo. — Resp. Nego Min., praesertim juxta usum loquendi illius temporis: exemplum habes, Marc. X. 42. "Videbantur" hic significat: "non solum erant sed etiam videbantur", scil. erant tales manifestè et ex judicio omnium; ego verò Paulus eram aequalis eorum in Apostolatu sed non videbar, multis meum Apostolatum impugnantibus: et ideo debui "conferre cum illis evangelium, quod praedico in gentibus" (Gal. II. 2), ut ipsi mei adversarii tandem agnoscerent ab illis Apostolis me non dissentire, utque cum centro unitatis connecterer, "ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem"; ideò etiam necesse fuit ut "dextras societatis", mihi darent, nempe ut solemniter confirmaretur coram omnibus illa inter nos connexio, et aequalitas quoad Apostolatum. Cf. supra p. 297.

6°) Arguunt ex eo quòd ibid. "Cephas" non ponitur primus, ut solet in N. Test. poni Pr. Petrus. Nam hic dicitur: "Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnae esse." — Resp. ad). Sectio; etsi probabilior non est certa. Codices quibus plures Patres usi sunt, insuper ex codicibus uncialibus quos habemus) codd. D, E, F, G Petrum seu Cephan praemittunt aliis duobus. — b) Distingue inter catalogos completos et solemnes Duodecim Apostolorum, in quibus semper Petrus nominatur et debebat nominari 1° loco (cf. supra p. 291), et casum satis diversum, quando tantùm duo vel tres Apostoli simul obiter nominantur. In hoc 2° casu, quamvis etiam tunc Petrus primus nominari soleat ("Petrus, et Jacobus, et Joannes" &c.), tamen nulla erat necessitas ut id semper fieret. Potuit aliquando non attendi ad ordinem dignitatis, variis ob causas. Sic Auctor Actuum, quamvis generatim dicat: "Paulus et Barnabas", tamen dicit XV. 12: "Barnabam et Paulum". Prisca seu Priscilla quamvis esset uxor Aquilae (Act. XVIII. 2), ante eum ponitur ibid. 18, et ab ipso Paulo, Rom. XVI. 3.

Ratio cur in nostro textu negligeretur ordo dignitatis inter Apostolos, fortasse haec fuit, quod "cum hic Paulus de munere Apostolatûs disserat, totusque in eo sit ut Galatis persuadeat esse se parem aliis Apostolis (formaliter ut Apostolis, cf. supra p. 278, 294, 297), non erat profecto in hac serie locorum opportuna satis mentio vel designatio primatûs." Palmieri de Rom. Pont. thes. 4. Hic enim non agitur de discrimine inter ipsos Apostolos ad invicem, sed de discrimine inter Apostolos et praedicatores Apostolis inferiores, in quam 2am categoriam inimici Pauli ipsum deprimere volebant; contra quos ibi pugnat. — Caeterum idem ordo "Jacobus, Petrus, Joannes" servatus est in dispositione "Epistolarum catholicarum," quin inde aliquid concludi possit: cf. tum textus graecos, tum latinam Vulgatam.

7°). Conantur probare, S. Petrum non fuisse Antiochiae, cum Paulus Cephan Antiochiae reprehenderet. Sed nituntur gratuitis coniecturis quae argumentis nostris praevalere non possunt; vel etiam falsis suppositis: caeterum tota illius temporis chronologia est obscura, et disputant inter se Chronologi. Et quamvis probaretur, Petrum tunc domicilium habuisse alibi, non erat adeo difficile ut Antiochiam veniret: Apostoli ex ipso suo munere multa faciebant itinera, quae non omnia fuerunt in Actibus narrata, cf. de Act. supra p. 290.

8°). "Liturgiae orientales nonnullae (ex Assemani, et Card. Sirla) memorant in suis menologiis festum S. Cephae, unius ex 70 discipulis." — Resp. a): aliud est quod scripserit aliquis Cephae distinctus a S. Petro, aliud quod de illo agatur Gal. II.; — prima re permissa ut probabili, ex ea non sequitur altera, imo haec rejicienda est ob contextum loci, aliaque nostra argumenta. b) Documenta allata non ea sunt, quae existentiam illius Cephae

faciant plus quam probabilem.

De hâc quæstione, præter libros cit., cf. « Études Religieuses ». - Pro nostrâ sententiâ, 1865 t. 7e p. 58, et 1866 t. 9e p. 325. Contra nostram sententiam: ibid. t. 7e, p. 192 et 443.

Scholion. - Concessâ identitate Cephæ et B. Petri, alia est hypothesis, hodie communiter rejecta de quâ tamen aliquid dicendum est. Auctor ejus videtur fuisse Origenes, quem secutus est S. Chrysost. et postea S. Hieronymus, qui celebrem habuit de hoc disceptationem cum S. Augustino. Fuerunt, nullam fuisse inter Apostolos veram contentionem, sed eos, quâdam œconomicâ ratione, quasi ex condicto fecisse fictum certamen, ut per hoc utriusque populi saluti consuleretur; ut judæo-christiani Petrum, gentes Paulum defensionem ipsorum assumere viderent, et sic impediretur ne alterutra pars ab Ecclesiâ recederet. "Aliquoties cùm adolescentulus Romæ controversias declamarem (ait Hieron. in h.l.), et ad vera certamina fictis me litibus exercerem, curribam ad tribunalia judicum, et disertissimos oratorum tanta inter se videbam acerbitate contendere, ut, omissis sæpe negotiis, in proprias contumelias verterentur, et joculari se invicem dente morderent. Si hoc illi faciunt, ut apud reos nullam suspicionem prævaricationis incurrant" (scil. ut ostendant se, quantùm possunt, clientis sui causam defendere), "et fallunt populum circumstantem" (dùm credit eos verè iratos et inter se inimicos); "quid putamus tantas Ecclesiæ columnas, Petrum et Paulum, tanta vasa sapientiæ, inter dissidentes judæos atque gentiles facere debuisse? nisi ut eorum simulata contentio pace credentium fieret, et Ecclesiæ fides sancto inter eos furgio concordaret."

Respondebat verò Augustinus, non posse ad-

mitti in Paulo mendacium. — Baronius (ad annum 51 n. 37) dicit responsum non esse ad rem, Augustinum non satis intellexisse sententiam Hieronymi: neque enim factum illud certamen propriè fuisset mendacium, nec mentitus fuisset Paulus, illud deinde narrando ad Galatas sicut factum erat; et Hieronymus ipse dicit non esse mendacium, sed dispensationem œconomicam. — Ut (ut ostendit contra Baronium Natalis Alexander hist. eccl. t. 3) responsio Augustini valet: fuisset enim mendacium Pauli, Scriptoris inspirati, ad Galatas. Nam Paulus dicit eis, Petrum hunc non rectè egisse: atqui in hypothesi adversariorum rectè egisset Petrus, et Paulus hoc ipse admitteret: ergò Paulus in hypothesi adversariorum mentiretur, ut arguit ipse Aug., epist. 116 inter epist. Hieronymi, n. 7, (Migne XXII. 938). Major constat ex Gal. II: quamquam enim in textu græco quædam sint ambigua, et potuerint explicari à Chrysostomo in sensu conformi ad istam hypothesim (sic κατὰ πρόσωπον, separatim sumptum à toto contextu, absolutè verti posset, non: « in faciem restiti », sed: « simulatè restiti », quia πρόσωπον, ut latinè persona, potest etiam significare larvam « un masque », item κατεγνωσμένος ἦν significare posset, non « reprehensibilis erat » ut in Vulg. dicitur, sed: « reprehensus erat », et quidem, ut notat Chrysost., ab aliis non à Paulo). — nihilominus, etiam his permissis, satis remanet in dictis Pauli, ut appareat ipsum verè damnare coram Galatis modum agendi Petri. Nam ait de Petro simul et aliis, ejus agendi modum simpliciter secutis: « Cum vidissem quod non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus ». Sc. Contextus etiam totus epistolæ hoc postulat: nullâ enim esset ratio illam narrationalam hic inserendi, nisi damnetur revera Cephas (quoad factum, non quoad intentionem) ac proinde à fortiori damnentur illi falsi

doctores qui non solo conversationis exemplo (ut Ephras), sed etiam praedicatione falsae doctrinae et falsae obligationis "cogunt gentes judaizare", et Galatas conturbant.

Nec argumenta Hieronymi sunt efficacia, quae evolvit ep. 112 (Migne XXII. 916):

a) Paulus ipse hic loquitur de aliqua "simulatione". — Resp.: de simulatione Petri, in sensu quem explicavimus supra p. 321 —, Conc.: de simulatione ubique Apostoli, scil. de stratagemate quod defendit ab Hieronymo, Nego. Cum Paulus, ut modo ostendimus, improbet illam "simulationem", nequit ea esse, cujus et ipse particeps et auctor fuerit.

b) Tum ex gestis in Conc. Hieros. (Act. XV), tum aliunde, Paulus plane sciebat principia Petri circa observationem Legis esse recta: ergo non potuit Petrum serio reprehendere. — Resp. Dist. Cons.: non potuit reprehendere principia, Conc.; non potuit reprehendere aliquem modum agendi his principiis periculosum, Nego.

c) Paulus ipse, in casibus quibusdam, fecit sicut Petrus (cf. exempla supra p. 307). Ergo "qua fronte Paulus in altero reprehendit, quod ipse commisit?" — Resp. Dist. Ant.: in casibus, quorum circumstantiae erant diversae, et ubi non aderat proximum periculum obscurandi principia et conturbandi neophytos ex gentibus, Conc.: iisdem omnino circumstantiis, Nego. — Paulus ista fecit inter Judaeos et sine Gentium offensione: coetum ejus principia Gentibus notissima erant — Cf. Bacuez l. c. n. 747.

d) Haec sententia melius excusat Paulum ab arrogantia erga Petrum. — Resp. Nostra sententia satis eum excusat: cf. 4am partem thesis.

Sed illa quaestio S. Hieronymum inter et S. Augustinum in amplioren campum excurrebat. Contendebat Hieronymus, statim post mortem Christi praecepta caeremonialia fuisse mortifera: ut

concluderet, Apostolos non potuisse ea observare sincere, sed tantùm simulatè. _ Quam opinionem rejecit Aug. (epist. cit.), et post eum omnes communiter Et meritò: nam a) cessante obligatione legis mosaicæ, nulla lege Dei vel Ecclesiæ fuit statim prohibita; et Hieron., adeò solers in oppugnanda sententiâ Aug., nullam talem legem allegare potuit; atqui ubi nulla lex erat in contrarium, possidebat libertas; præsertim cùm secùs tanta fuissent incommoda Judæo-christianis, maximè in Palæstina ubi lex cæremonialis tunc erat simul lex civilis (supra p. 308) b.) Magna erat ratio intrinseca, cur lex mosaica aliquandiù licita remaneret: ut scil. cæremoniæ diutiùs institutæ non contemnerentur nec confunderentur cum ritibus gentilium, quos neophyti ut illicitos statim deserere debebant; ut lex appareret sicut erat, terminata non verò improbata, nec dicerentur Apostoli eam contempsisse; et mater Synagoga cum honore ad tumulum deduceretur, ut ait Aug. — c) Circumcisio, legisque observantia, dicitur quidem à Paulo jam tunc damnosa (Gal. v. 2.), at non in se intrinsecè, sed extrinsecè ex intentione operantis, si nempe (ut apud pseudo-apostolos eorumque ásseclas fiebat) ea observarentur superstitiosè, ex judaico errore et affectu, ut necessaria ad salutem, ponendo in eis spem salutis (cf. Aug. l. c.; et 1. 2. q. 103 a. 4. — d) Aliud est illa honesta œconomia, qua ut apostoli, etsi observare ista non deberent, tamen aliquid eorum publicè aliquando observaverunt, "non simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ", ut ait Aug., quia tandem objectum illud erat licitum, et sic referri ad Deum poterat sincero affectu religioso, et simul hoc proderat ad lucrandas animas, ut ait Paulus I. Cor. IX. 20: "Factum sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer"; aliud est

eorum simulatio qualis concipitur ab Hieronymo, quæ fuisset rerum mendacium in negotio religionis, et grave scandalum, quo scienter inducerentur alios ad servanda legalia, cognita ut mortifera: fuisset enim signum falsæ religionis, et superstitionis, quod de Apostolis in gratiâ confirmatis dicere nefas est. Neque ob finem bonum lucrandi aliquas animas id facere potuissent: nam "non faciamus mala ut veniant bona", sicut præcipit ipse Paulus Rom. III. 8. — Cf. Turc. de Legibus, n. 51 usque ad 59. — Breviter totam controversiam inter S. Hier. et S. Aug. resumit S. Thomas, Comment. in Gal., lect. 3.

S. Hieronymus suam sententiam de Petro simulatorie reprehenso postea deseruit, sententiæque S. Augustini adhæsit: cf. de hoc Aug. ep. 180 (al. 260) ad Oceanum, n. 5, et ipsum Hier. adv. Rufin. l. 3. n. 2, et Dial. contra Pelag. l. I. n. 22.

Thesis XII.

Ex Traditione constat primatus jurisdictionis in Petro.

St. Q. — Omissis textibus, qui non sunt adeò clari de primatu jurisdictionis potiùs quam meri honoris (cf. supra p. 211), vel qui simpliciter repetunt verba Scripturæ de Petro, non paucos afferemus tùm Occidentalium tùm Orientalium Patrum, ad certa quædam capita relatos, quo facilius relineantur, meliusque appareat quomodò variis sub formis Primatum jurisdictionis Patres asserant. — Amplioremm textuum collectionem, et accuratè citatam, habes

apud Allnatt, "Cathedra Petri", Londini 1879.

Probatur. I. Ex Patribus.

1a classis testimoniorum: eorum qui asserunt Petro principatum seu auctoritatem in ipsos Apostolos.

S. Antonius Magnus (natus an. 250, obiit 355) epist. 17 (Migne XL. 1046): "Petrus Apostolorum Princeps". — Qui titulus apud multos alios SS. et in usu ecclesiastico invenitur.

S. Athanasius (natus 296, ob. 373) in Ps. 15 (Migne XXVII. 105): Πέτρος ὁ κορυφαῖος. Expressio illa, frequentissima apud Patres graecos: "coryphaeus Apostolorum" (Cf. Allnatt. l. c.), sub illâ figurâ desumptâ ex eo qui chorum ducit (sic Greg. Nyss. et Chrysost. infra, "coryphaeus Apostolici chori") sanè innuit regimen seu gubernationem.

Eusebius (n. 270, ob. 340) hist. eccl. II. 14 (Migne XX. 171): "Maximum inter apostolos Petrum, reliquorum omnium principem ac patronum" προϊσταμένου.

S. Jacobus Episc. Nisibensis in Mesopotamiâ, qui adfuit Conc. Nicaeno anno 325 (Opera edita Romae 1756, cum latinâ versione ex Armenio textu), Orat. 7. de Poenit. n. 6, ait: "Simon, caput Apostolorum". Qui titulus ex usu communi omnium hominum dicit aperte auctoritatem seu jurisdictionem, et saepè in aliis Patribus reperitur, v. g.

S. Greg. Nyssenus (episc. factus an. 371), Altera laudatio S. Stephani (Migne XLVI. 730, 734), dicit de Petro: Πρωτοστάτης καὶ κορυφαῖος τῆς ἀποστολικῆς χορείας.... Ἡ Κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων. "Apostolorum caput."

Patres Concilii oecum. Ephesini (an. 431), Act. apud Labbe t. 3. p. 625: "Ὁ ἔξαρχος καὶ κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων." (Exarchus erat terminus jurisdictionis). Cf. ib. p. 619.

S. Chrysost. (natus 347, ob. 407), hom. in illud, « Hoc scitote », n. 4. (Migne LVI. 275) : « Petrus itaque clarus illius coryphæus, os Apostolorum omnium, caput illius familiæ, orbis totius præfectus (ὁ τῆς οἰκουμένης ἀπάσης προστάτης), fundamentum Ecclesiæ. »

S. Nilus Abbas (discipulus S. Chrysostomi, præfectus urbis Constantinop., et abdicata illa præfectura circa an 390 factus monachus in monte Sinai), tract. de voluntar. paupertate c. 8 (Migne LXXIX. 979) ait : « Petrus, qui præses fuit in Apostolorum choro, et semper inter eos gubernavit », seu « fuit dux » ὁ ἐν αὐτοῖς ἡγεμονεύσας ἀεὶ Πέτρος... quæ vox omnino jurisdictionem significat.

Antequam ad occidentales transeamus, advertamus rem immi à S. Ignatio M. (an 107), ep. ad Smyrn. c. 3 (Migne V. 710, et extat etiam ut fragmentum apud Euseb. III. 36) : « Quando Christus venit ad Petrum et qui cum eo erant, eis dixit : Apprehendite, palpate me, &c. Τοὺς περὶ Πέτρον : hæc locutio græca significat plerumque servos, ministros, milites sub duce, discipulos alicujus magistri, sectatores, asseclas : hinc transiit (sed non est casus noster, ex contextu), ad solam personam significandam etsi multos habeat comites, singulari hellenismo. — Cf. et dicta supra p. 291.

S. Optatus Episc. Milevit. in Africâ, in tract. de Schism. Donatist. (scripto circa an 370) ait l. 2. n. 2 (supra p. 270) : « Omnium Apostolorum caput Petrus » et describit Petrum ut centrum unitatis relatè ad ipsos « Apostolos », qui fuissent « schismatici et peccatores », si (per impossibile) defendissent suas cathedras ut separatas à cathedrâ Petri, eique adversas.

S. Hieronymus (natus circa 340, ob. 420), adv. Jovinian. lib. 1. n. 26 (Migne II. 247) pariter dicit : « Inter

duodecim unus eligitur ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio."

2a Classis: qui specialim asserunt eandem Petri superioritatem in quosdam determinatos Apostolos.

S. Epiphanius (natus 310, ob. 403), haeres. 59, n. 17 (Migne XLI. 932) praedarum habet locum contra illas graecas vel russiacas theorias (celerime refutatas omnibus nostris argumentis), secundum quas Andreas (quem supponunt Ecclesiam byzantinam fundavisse) habuit primatum, utpote aetate et vocatione Petrum antecedens: "Andreas prior in Dominum incidit, quo Petrus erat aetate junior. Postea vero, cum absoluta illa suscepta est omnium rerum abdicatio, initium est a Petro factum. Tunc enim et ipse fratri suo praeivit (ἀρχηγεῖτο). Accedit quod Deus humanorum cordium motus ac propensiones animadvertit, ac qui sit primo loco dignus intelligit. Quare Petrum discipulorum suorum principem" (ἀρχηγὸν, quae vox jurisdictionem plane significat) "elegit, uti perspicue declaratum est."

S. Paulum fuisse etiam subordinatum ac subditum S. Petro, saepe innuunt vel aperte diunt Patres, v. g. ubi agunt de dissidio illo Antiocheno, de quo in thesi praeced. Nam

S. Cyprianus (ob. 258) in epist. 71 ad Quintum n. 3 (Migne IV. 410) in referendo dissidio antiocheno (Gal. II) Petri auctoritatem in Paulum supponit et salvam tuetur: "Nec Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem aedificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum quod Ecclesiae prius persecutor fuisset; sed

consilium veritatis admisit, et rationi legitimae quam Paulus vindicabat facilè consensit ... Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur.»

S. Aug. (supra p. 329) haec Cypriani laudat, et dicit Paulum hunc exemplum dedisse, quo confidenter auderent minores majoribus pro defendendâ veritate .. resistere»: agnoscit ergo Paulum fuisse «minorem» seu inferiorem, Petrum «majorem» seu superiorem. — Ibid. citavimus similia S. Greg. Magni: Petrus hunc «factus est sectator minoris sui.»

Marius Victorinus, in medio saeculo IV° (cf. textum supra p. 288) loquitur de «auctoritate» Petri, à Christo datâ, propter quam Paulus «debuit videre Petrum», antequam ad magnos suos labores transiret.

3a classis: eorum, qui dicunt, gubernium absolutè omnium, regnum, regimen totius Ecclesiae, datum fuisse Petro.

Origenes (natus Alexandriae circa an. 185, ob. 254) in ep. ad Rom. l. 5. n. 10 (Migne XIV. 1053): «Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius alterius ab eo virtutis confessio, nisi charitatis, exigitur.»

S. Asterius episc. Amaseae in Ponto (scribebat circa an. 369), hom. 8 in SS. Petr. et P. (Migne XL. 282): «Salvator .., cui peculiare quoddam deposuisset, universalem ac orbe toto diffusam viro huic commendat Ecclesiam (τὴν καθόλου καὶ οἰκουμενικὴν Ἐκκλησίαν), ubi tertio interrogasset illud, Amas me? Cumque is, multâ charitate singulis interrogationibus totidem professiones adjecisset, mundi curam accepit (ἐλάβετο τοῦ κόσμου εἰς ἐπιμέλειαν), velut unum gregem unus pastor.

S. Chrysost. hom. 3 in Act. n. 3 (Migne LX. 37) dicit de Petro curam habente Collegii Apostolici

in electione Matthiae: « Primus auctoritatem habet in negotio, utpote cui omnes commissi fuissent », litt. "qui omnes habeat in manu", αὐτὸς πάντας ἐγχειρισθείς. — Cf. hom. 21, n. 2 (ib. p. 165). — Et hom. 33 in act. n. 2 (ib. p. 240) agens de reverentia Pauli et Jacobi erga Petrum in Conc. Hieros.: « Illi enim (Petro) concreditus erat principatus » ἀρχή, quae vox jurisdictionem sonat.

S. Ambrosius (natus circa an. 335, ob. 397) de Fide l. 4. c. 5. n. 56 (Migne XVI. 623): « Cui (Petro) propriâ auctoritate regnum dabat (Christus), hujus fidem firmare non poterat? Quem cum petram dixit, firmamentum Ecclesiae indicavit. » — Idem in Lucam l. 10. (ib. p. 1843): « Quem elevandus in coelum amoris sui velut vicarium relinquebat... omnibus antefertur... perfectiores ut perfectior gubernaret. »

S. Leo Magnus (ob. 461), sermo 4. c. 2 (Migne LIV. 149): « De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. » Cf. et reliqua.

S. Maximus episc. Taurinensis (ob. 466) hom. 72 (Migne LVII. 403): « Petro, sicut bono dispensatori, clavem regni coelestis dedit; Paulo, tanquam idoneo doctori, magisterium ecclesiasticae institutionis injunxit; scilicet ut quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem; ut quorum corda Paulus patefecit doctrinâ verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna coelorum. Clavem enim quodammodo à Christo scientiae Paulus accepit... Ambo igitur claves à Domino perceperunt, scientiae iste, ille potentiae ». Alibi scientiam illam

Pauli non vocat clavem, sermo 67 (Migne ib. 666): « Et Petro quidem regni sui claves, Paulo verbi sapientiam dedit ... Ecclesiam fundavit in Petro. » Ex iis apparet, Paulum, peculiari sapientiâ verbi, disposuisse infideles ad Ecclesiam, Petrum vero supremam habuisse gubernationem Ecclesiæ. — Cf. explicata supra p. 299, segg.

S. Greg. Magnus (natus circa 520, ob. 604) epist. ad Mauritium Imper., l. 5. ep. 20. (Migne LXXVII. 745): « Cunctis Evangelium scientibus liquet, quòd voce Dominicâ sancto et omnium Apostolorum principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est ... Cura ei totius Ecclesiæ et principatus committitur. »

Veneral. Beda, Anglus (natus 673, ob. 735) l. 2. hom. 16 (Migne XCIV. 223): « B. Petrus ... specialiter claves regni cœlorum et principatum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant quia quicumque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possint regni cœlestis ingredi. »

4ª classis: qui idem dicendo, comparant Petrum Moysi supremo gubernatori populi Israel:

S. Macarius Ægyptius (natus 300, ob. 399) hom. 26. n. 23 (Migne XXXIV. 690): « Moysi successit (διεδέξατο) Petrus, cui nova Ecclesia Christi ac verum sacerdotium commissum est. »

S. Augustinus (natus 354, ob. 430) cont. Faustum l. 22. c. 70 (Migne XLII. 445): « Petrus ... factus est pastor Ecclesiæ, sicut Moyses ... factus est rector illius Synagogæ. » — Cf. S. Hieron. ep. ad Rusticum, &c.

5ª classis: qui decretum Apostolicum Concilii Hierosol. (Act. XV.) tribuunt soli Petro scilicet tanquam supremæ auctoritati cui cæteri

Apostoli subordinabantur, secundario tantum ferentes legem:

Ita Tertullianus (natus circa an. 150, ob. circa 220), etsi jam haereticus, scribit in lib. de Pudicitia c. 21 (Migne II. 1025): « Sic et in illâ disceptatione custodiendae necne Legis, primus omnium Petrus Spiritu instinctus, et de nationum vocatione praefatus: Et nunc, inquit, cur tentatis Dominum de imponendo jugo fratribus, &c. (Act. XV. 10, 11). Haec sententia (Petri) et solvit quae omissa sunt Legis, et alligavit quae reservata sunt » (scil. obligavit gentiles — ad quaedam puncta reservata, abstinentiam à suffocato et sanguine, &c.)

S. Hieronymus ep. 111 ad Aug. n. 8 (Migne XXII. 920) refert orationem Petri in Concilio Hieros., et addit: « Tacuit autem omnis multitudo, et in sententiam ejus Jacobus Apostolus et omnes simul Presbyteri transierunt. » Et concludit « Petrum principem hujus esse decreti, Legem post Evangelium non esse servandam. Denique tantae auctoritatis Petrus fuit, ut Paulus in epist. sua scripserit: Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum », &c.

6a classis: qui exhibent Petrum ut centrum unitatis, cui omnes adhaerere obligantur, si volunt manere in verâ Ecclesiâ:

S. Cyprianus ep. 173 ad Jubaianum n. 7 (Migne III. 1114): « Petro primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit ut id solveretur in coelis quod ille solvisset in terris. » — Et ib. n. 11 (ib. p. 1116): « Ecclesia, quae una est, super unum, qui et claves ejus accepit, Domini voce fundata est. » — Similia habentur in lib. de Unit. Ecclesiae, n. 4 (Migne IV. 499): in quo tamen loco

quaedam commata impugnantur à Protestantibus ut interpolata, v. g. "primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia" &c. : sed quoniam hoc loco non indigemus, non vacat eam defendere.

S. Pacianus (factus episc. Barcilon. in Hispania an. 370) epist. 3. n. 11 (Migne XIII. 1071): "Ipso referente Matthaeo, paulò superiùs ad Petrum locutus est Dominus; ad unum ideo ut unitatem fundaret ex uno ... : Ego tibi dico, quia tu es Petrus" &c.

S. Ambrosius in Ps. 40, n. 30 (Migne XIV. 1082): "Ipse est Petrus, cui dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia." Cf. explicata supra p. 219.

S. Leo M., ep. 10 ad Episcopos Prov. Vien. (Migne LIV. 629 ...): "Ab ipso (Petro), quasi quodam capite, dona sua voluit (Christus) in corpus omne manare: ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere." Cf. et reliqua.

— S. Martin Revue des Sciences ecclés. Avril 1876, "St Pierre et le rationalisme devant les églises orientales" (eadem edita sunt etiam in "Revue des questions hist.") proclara dat testimonia Patrum Syrorum, S. Ephraemi (ob. 373), Jacobi Episc. Sarugi in Mesopotamia (natus 451, ob. 521), imò ipsius celebris inter Chaldaeo-Nestorianos Mar-Narsai (ob. 496); item S. Gregorii Illuminatoris, apostoli Armeniae, vel saltem alicujus antiqui scriptoris Armeni referentis ejus historiam (Cf. "l'Univers pittoresque, Arménie" p. 39 en noté).

II. Ex monumentis Catacumbarum, aliisque ejusmodi:

1°) Nullum cognoscitur in antiquitate Christiana monumentum, in quo exhibeatur alius quam

Petrus gerens symbolum clavium: Petrus autem non raro exhibetur eas recipiens à Domino (Fresque de la Platonia, sarcophage du cimetière du Vatican; sarcoph. de la crypte de St Maximin; tombeau du musée d'Arles, n. 70; mosaïque de Ste Agathe in Suburra, &c. Cf. Martigny Dictionnaire des antiquités chrétiennes, art. Clefs de St Pierre).

2°) Si Petrus depingitur cum Paulo (quod est frequentissimum, typo utrinsque traditionali sæpè servato) vel cum omnibus Apostolis, sæpè aliquo peculiari vestis ornamento ab aliis distinguitur, vel sede excelsiore, vel quâdam tiarâ dum alii habent nudum caput: ita ut disparitas significetur. « En général, quand S. Pierre et S. Paul paraissent s'entretenir ensemble (Garrucci, Vetri, XI. v. 2), S. Pierre fait ordinairement un geste d'allocution ou présente d'un air impérieux un volume à son interlocuteur, celui-ci au contraire écoute attentivement, fait de la main un signe d'adhésion ou l'appuie sur le volume qu'il tient sur ses genoux. » Martigny ib., art. Pierre).

3°) Sæpè inter alios Apostolos exhibetur solus Petrus recipiens à Christo volumen Legis, ut exprimendum eum fore Legislatorem, vel Magistratum et Legis divinæ interpretem (Cf. Garrucci, Storia della Arte cristiana, vol. I, p. 395 et 401). V. g. in pulcherrimo sarcophago delatis Constantinianæ, in Museo Lateranensi. « Les deux personnages placés aux côtés de N. S. (ait D. Spencer Northcote, Rome souterraine, trad. par Paul Allard, l. 4. c. 8. p. 389) sont évidemment S. Pierre et S. Paul, le type traditionnel, dont nous avons vu tant d'exemples, se reconnaît clairement dans leurs visages. S. Paul est à droite, S. Pierre, à gauche, reçoit dans ses mains, par respect, entourée d'un voile,

la loi nouvelle, sous la forme d'un volume roulé que lui présente le Sauveur : les magistrats païens recevaient dans cette posture le recueil des constitutions impériales avant de partir pour leur province. N. Seigneur, soit dans les fresques, soit dans les fonds de coupe, soit dans les bas-reliefs, est souvent représenté donnant ainsi à Pierre, nouveau Moïse, le livre de la nouvelle loi. Quelquefois le volume porte cette inscription : DOMINUS DAT LEGEM. » — Aliquando etiam Petrus, Legem accipiens, distinguitur Cruce quam fert humero, ut in hoc vitro (« fond de coupe ») servato in bibliotheca Vaticana (Rome souterraine, ib. c. 7. p. 363) :

4°) Nullum reperitur est monumentum, in quo sceptrum seu virgam deferat alius, quam vel Christus sive omnis potestatis, vel Moyses, vel Petrus (Rome souterr., ib. p. 365). —

De Ordine XLVI. — 1.

Inter monumenta autem, in quibus Petrus apparet cum illo supremæ auctoritatis signo, eminet in museo Lateranensi sarcophagus pretiosus atque ingens 4ti sæculi. « Dans l'un des compartiments du bas-relief, nous le voyons (St Pierre) debout, le bâton du commandement à la main, près de N. S. qui lui prédit sa chute, symbolisée par un coq placé à ses pieds. Puis nous le voyons fait prisonnier par les soldats d'Agrippa, mais portant encore la verge dans sa main, car aucune violence humaine ne peut arracher au vicaire de J.-C. le signe de la juridiction qu'il a reçue d'en haut. » Rome souterr., ib. p. 365, cf. p. 381, et Martigny l. cit. Sic se habet hæc pars illius sculpturæ :

5°) Vidimus, Patres supremam Petri jurisdictionem in totum populum Dei electum expressisse, comparando Petrum cum Moyse (supra p.). Eadem comparatio frequentissimè occurrit in antiquis artis christianæ monumentis, præcipuè eligendo ex vitâ Moysis illud factum, quando

dux ille populi suâ virgâ effecit, in bonum populi sitientis, ut aqua ex petrâ scaturiret: quod factum, allegoricè Petro applicatum, hoc habet speciale et eximium, ut mentî revocet, tum sub figurâ sceptri materiale symbolum supremæ auctoritatis, tum sub figurâ petræ illam participationem et accessionem Petri ad principem petram qui est ipse Christus (Cf. supra p. 226, 230), tum sub figurâ aquæ "aquam vivam, aquam salientem in vitam æternam" (Jo. IV. 10, 14), spiritualem scilicet gratiam animarum que salutem, qui finis est potestatis Petri, specificans illam potestatem eamque à civili jurisdictione distinguens (supra p. 51, 73).

At, (dices) quomodò ex monumentis illis pictis vel insculptis constare potest, comparari revera Petrum cum Moyse? — Triplici modo:

a) Aliquandò duæ scenæ simul conjunguntur seu opponuntur quodam parallelismo, una Moysis rupem percutientis, altera alludens ad vitam ipsius Petri. Sic in cœmeterio Callisti, pictura, quæ à Criticis æstimatur ad sæculum II^m pertinere, exhibet hinc virum percutientem virgâ rupem, illinc virum piscantem, quod 2^m allusit ad Petrum piscatorem, cui dixit Christus post miraculosam piscaturam: (Luc. V. 10): "Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens":



c) Aliquandò vir ille, qui percutit petram ex quâ bibunt aliqui Israelitæ, depingitur cum traditionalibus lineamentis vultûs Petri, et sic fit quasi compenetratio figuræ et figurati, Moysis et Petri (Rome souterr. p. 321). Quod etiam melius appareat, quandò (ut fit in uno ex sarcophagis supra laudatis Musei Lateranensis) scena hæc rupis percussæ succedit immediatè aliis scenis è vitâ Petri evidenter desumptis, et vultus prorsùs idem percutienti rupem datus est, qui Petro in omnibus scenis anterioribus datus erat. Imò aliquando scenæ ita inter se commiscentur, ut una ex pluribus exsurgat. Sic in alio ex sarcophagis Musei Lateranensis, de quo ait Northcote, Rome souterr. p. 387): « S'interprétation que nous avons si souvent donnée de la figure de Moïse et de celle de Pierre, et de la compénétration de ces deux types, est confirmée avec une force singulière par un de ces bas-reliefs: on voit l'Apôtre emmené par les satellites d'Hérode, et montrant encore du doigt l'eau qui coule d'un rocher au-dessus de lui. »

c) Aliquando viro percutienti rupem inscribitur ipsum nomen Petri. Sic in duobus vitris deauratis, qui in Bibliothecâ Vaticanâ asservantur, quorum unum hanc exhibet effigiem:

III. Ex ipsorum Paganorum indirecto testimonio thesis aliquatenus confirmatur.

Phlegon, Asiaticus, qui vixit initio saeculi II, imperatoris Hadriani libertus et familiaris, scripsit graece libros, quos multi dixerunt fuisse ab ipso imperatore compositos («Phlegontis libri Hadriani esse dicuntur», ait Spartianus in vitâ Hadriani). Eos legerat Origenes, qui sic ait l. 2. contra Celsum, n. 14: «Phlegon in 13°, aut, ni fallor, in 14° Chronicorum, rerum quarumdam futurarum praescientiam Christo tribuit; quamvis erret in nomine, Petrum pro Jesu appellans.» Atqui ut vir ille confunderet Petrum cum ipso Domino et supremo Magistro Christianorum, debuit esse peroulgatissima Petri celebritas, comperiusque illius Primatus, jam illo tempore ad Apostolica tempora propinquissimo.

Porphyrius philosophus, praecipuus ex paganis Christianismi adversariis (in medio saeculo III) «procacitatis» arguebat (in libris hodie deperditis, sed testem hujus loci habemus S. Hieronymum, supra p. 324) S. Danum, eo quòd «Principem Apostolorum Petrum ausus est reprehendere». Ergo primatus Petri ipsis ethnicis in 3° saeculo erat notus.

Argumentum ex antiquis Liturgiis brevitatis causâ omittimus.

Objectiones solvuntur.

1°). Patres aliqui dicunt, Petrum, accipiendo claves, gessisse personam Ecclesiae: — difficultatem solvimus supra p. 245, 246, 252.

2°). Dicunt Cyprianus aliique, omnes Apostolos fuisse pares: scil. qua Apostolos; sicut homines qua homines sunt aequales: cf. supra p. 278. — Nam, ut explicat Card. Du Perron, in resp. ad regem Angliae c. 56, duo erant necessaria Apostolis, ut rite munere suo Apostolico fungerentur: primò, ut illud exercerent cum eâ potestate amplissimâ, immediatè

à Christo concessâ, quae erat propria Apostolatûs stricte dicti, eumque distinguebat ab inferioribus speciebus praedicantium: secundò, ut nonnisi servata Ecclesiae unitate illud munus Apostolicum exerceretur. Defectu primae rei, qui Apostolatûs munus obiret, non jam Apostolus, sed Pseudo-Apostolus esset: defectu secundae, jam non catholicus sed schismaticus esset. Ergo, ut nihil Apostolico muneri in Apostolis deesset, necessaria erat potestas Apostolatus à Christo collata, et necessaria erat potestas in Petro ad unitatem servandam (primatus jurisdictionis), ac proinde, ut à potestate Petri dependerent Apostoli, oportebat. Distingue igitur quaestionem utrum talis vir v.g. Paulus sit annumerandus Apostolis, seu habeat auctoritatem essentialem Apostolatûs; et quaestionem, utrum habeat et exerceat illam auctoritatem modo consentaneo unitati, seu cum quâdam subordinatione ad Petrum. Paulus tractat 1am quaestionem saepè propter suos detractores, praescindendo à 2a: et quando sola tractatur 1a quaestio, debent considerari Apostoli praecise ut Apostoli, ac proinde ut aequales. Cf. supra pp. 294, 296, 297.

3°). Ambrosius dicit, Paulum non esse inferiorem Petro: Dist. in potestate et primatu, Nego: in meritis, laboribus et passione, Conc. Nam a) ipse se explicat, serm. 12. de SS. Petro et Paulo: "Inter illos quis cui praeponatur, incertum est: puto enim illos aequales esse meritis, qui aequales sunt passione." — Et b) clarissimè primatum Petri asserit alibi, v.g. in textibus allatis in thesi. — De aequalitate secundum quid inter Petrum et Paulum cf supra pp. 299, segg.

4°) De diversitate Petrum in explicando Matt. XVI. 18, et Jo. XXI. 15. seq., diximus supra pp. 223. segg., et p. 263.

5°). Dicunt aliqui Patres, Primatum Petri in eo esse seu ad hoc spectare, "ut unitas Ecclesiæ manifestetur: Dist.: quasi esset Petrus mera figura unitatis, Nego: quat. eam et repræsentat et efficit, Conc. — a) Sanè repræsentatio seu significatio unitatis Ecclesiæ per aliquam personam non excludit quod eadem persona efficiat eamdem unitatem, influxu illo quem jurisdictio seu jus coactivum habet ad compaginandam totam societatem." Nim coactivam non excludi ob repræsentationem seu figuram unitatis, vel Ecclesiæ (ait Ballerinius, De vi ac ratione primatûs, c. 9), patet ex Conciliis generalibus, quæ licet universam Ecclesiam repræsentent, vi tamen maxime coactivâ potiuntur." Suis igitur doctrinis confodiuntur hic Gallicani, Schismatici Orientales, &c. qui admittunt Concilia ecum. et repræsentare Ecclesiam et simul habere summam jurisdictionem. Adverte obiter, Concilium potiùs repræsentare Ecclesiam ut catholicam seu ut universalem in suâ unitate, Petrum verò, ex singulari suâ personâ, Ecclesiam perfectiùs repræsentare ut unam. — b) Patres aliunde affirmant, primatum Petri institutum fuisse ut unitas haberetur, ut schismata tollerentur: atqui sola unitatis figura, seu repræsentatio, schismata non tollit: ergò ubi loquuntur de illa unitatis repræsentatione, non intelligunt solam, meram repræsentationem.

6°). In veteribus monumentis, imaginibus scilicet et nummis, Paulus dexteram, Petrus sinistram occupat. Ergò superioritas Pauli significatur. — Rejp.: Nego Cons. Nam a) controvertitur inter archæologos, utrum dextera apud antiquos Græcos et Romanos esset locus nobilior. — b) Etiam hâc concessâ generali regulâ, facile concipitur, propter peculiares causas accidentales dari potuisse excep-

tiones regulae. Jam verò quòd Petrus sinistram occupet, videtur esse potius exceptio. Spencer Northcote, Rome Souterr. p. 362 : « St. Pierre occupe le plus souvent la droite de St. Paul, ou la droite du Christ quand il est représenté entre les deux apôtres ; mais, dans un certain nombre de monuments, cet ordre est interverti. » Martigny, Dictionn., art. Pierre : « Les monuments les plus anciens qui soient en notre possession, les verres dorés, donnent, à peu près sans exception, la droite à S. Pierre et la gauche à S. Paul. Ce n'est que plus tard que, communément dans les sculptures et les mosaïques, et plus tard encore, mais constamment, dans les plombs des Papes, cet ordre fut interverti (Cf. Manachi, t. 5 p. 803). On ne saurait supposer assurément au Souverain Pontife l'intention de constater son infériorité sur les sceaux mêmes destinés à imprimer le cachet de l'authenticité aux actes de son autorité souveraine comme successeur de Pierre. » — c) Similes olim interversiones non raro in aliis personis apparent. v. g. in antiquis nummis imperatores christiani interdum ad dexteram Deiparae cernuntur. « Cette distinction de la droite et de la gauche (dit S. Northcote ibid.) était assez indifférente aux anciens. On trouve une fois J.-C. représenté à la gauche de S. Paul. Ste Agnès est quelquefois à la droite, et Marie à la gauche. Souvent, dans les fonds de coupe, le mari est dessiné à la gauche de sa femme. Les artistes païens représentant Jupiter entre Junon et Minerve observent la même indifférence quant à la position respective des deux déesses. » — d). Concludendum est, tam incertum signum ridiculè objici contra clarissima argumenta, quae primatum Petri in antiquis monumentis multiplici modo asserunt : et positis illis argumentis,

potius esse supponendam peculiarem quamdam inter-versionis causam, etsi eam nesciremus." Alors même que S. Pierre serait toujours placé à gauche (ut bene arguit Martigny l. c.) ce fait ne prouverait rien contre sa primauté établie par tant d'autres arguments; on en pourrait conclure tout au plus, que les artistes avaient en vue bien moins les peintures en elles-mêmes que les spectateurs, par rapport auxquels ce qui est à droite dans le dessin se trouve à gauche et réciproquement." — Haec quaestio saepe disputata est, jam à S. Petro Damiano (opusc. 35), S. Thoma (lect. 1. in Galat.), Durand (Rationale, VII. 24), De Marca (opusc. de primatu Petri), &c.

Thesis XIII.

Primatum Petri ita Christus instituit, ut esset perpetuus, scilicet in successoribus permaneret.

St. P. In praecedentibus probavimus Petri primatum, abstrahendo ab ejus perpetuitate post Petrum, seu ab ejus transmissione ad successores. Nunc probabimus illam perpetuitatem, et quidem ut jure divino institutam: successores tamen adhuc spectabimus in confuso, praescindendo ab eis determinate designandis, scil. ubi fuerint post Petrum, et quis nunc sit Petri successor.

Adversarios hic habemus non solum indirecte eos plurimos, qui primatum jurisdictionis in ipsa persona Petri negaverunt (Protestantes, Schismaticos Orientales, Gallicanos saltem rigidiores, &c.): sed magis directe aliquos, qui primatum jurisdictionis in Petro concedentes, eum cum Petro interiisse fin-

runt: ita videtur contendisse Tertullianus post suum lapsum, Novatiani, &c.

Thesis est de fide definita à Conc. Vaticano, Constit. « Pastor aeternus » cap. 2.: « Quod autem in B. Petro ... Christus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. » Et in fine capitis: « Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut B. Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, ... A. S. »

Probatur.

I. Ex Scriptura, Matt. XVI. 18:

1°) Ex demonstratis supra p. 218, segg. (cf. 235, segg., et 271). — Petrus per primatum jurisdictionis se habet ad Ecclesiam, ut fundamentum (unitatis centrum et sustentaculum, impediens partium dissolutionem) ad aedificium: et hoc ex institutione ipsius Christi.

Atqui de natura fundamenti est, ut tandiu duret, quamdiu ipsum aedificium, unitasque aedificii non persisteret sine suo sustentaculo.

Ergo primatus ille jurisdictionis, ex institutione Christi, debet esse perpetuus, seu tamdiu durare, quamdiu ipsa Ecclesia.

Sed Ecclesia, cum suâ essentiali unitate sociali et visibili, ex divinis promissionibus durare debet usque ad mundi finem: cf. tract. de Ecclesia.

Ergo et primatus, ex institutione Christi.

Atqui Petrus brevi moriturus non poterat illo munere personaliter fungi usque ad

mundi finem.

Ergò necesse est ut Petrus in verbis Christi non sumatur merè personaliter, physicâ personalitate, sed etiam quatenùs unam personam moralem facit cum suis successoribus, qui sunt quasi continuatio ipsius usque ad mundi finem. Ergò.

Adverte, omninò fuisse consonum stylo seu modo loquendi quem Christus adhibere debuit (quippe qui se accommodabat usui hominum inter quos et ad quos loquebatur), ut a) sub figurâ et symbolo «fundamenti et ædificii» significaretur influxus Petri ejusque successorum in Ecclesiam et dependentia totius Ecclesiæ à centro unitatis: quod enim verum est de hominibus in genere omnibus, eos sub figuris sensibilibus res spirituales concipere debere, verius est de illis Orientalibus ad quos loquebatur, quibus familiares erant imagines vividæ, minimè verò familiaria nomina abstracta et frigida, ut est «jurisdictio», &c., ita ut ridiculum esset exigere, Christum loqui more scholastico, vel stylo administrativo et politico: — b) pariter consonum fuisse, ut Christus successores Petri exprimeret in obliquo tantùm et implicitè, includendo eos in personâ Petri tanquam unam cum ipso personam, et alloquendo eos simul cum ipso. Nam in usu Judæorum, conservato & conservato apud ipsam Scripturam, mos erat compellandi et exprimendi totam successionem et posteritatem alicujus viri sub ejus nomine v.g. Genes. XLIX. 8, Jacob moriturus sic compellat præsentem filium suum Juda, sub ejus nomine connotans futuram ejus sobolem: «Juda, te laudabunt fratres tui ... Non auferetur sceptrum de Juda», &c. — Cf. quæ ait Noe de suis filiis, Genes. IX. 27. — Imò talem fuisse usum ipsius Christi, apparet ex

Matt. XXVIII. 18, seqq., ubi ait Apostolis: « Euntes ergò docete omnes gentes ... baptizantes eos ... Et ecce ego vobiscum sum » (scil. assisto vobis ita in terra laborantibus, docentibus, &c. Cf. de Eccl. thes. 8) « omnibus diebus usque ad consummationem sæculi ». Quoniam verò Apostoli tandiù in terrâ laboraturi non erant, necesse est ut hic in eorum personâ Christus compellet implicitè et designet in obliquo eorum successores.

2°) Ratio intrinseca, propter quam Christus instituit (quæ institutio jam probata est in thesibus præced.) ut unus Petrus supremam haberet jurisdictionem, fuit aptitudo illius instituti ad necessariam unitatem Ecclesiæ procurandam et conservandam inter multiplices causas dissolutionis.

Atqui et causæ illæ dissolutionis, et necessitas unitatis Ecclesiæ, et aptitudo Primatûs ad conservandam illam unitatem, perseverant post mortem Petri et per sæcula, imò magis urgent quam vivente Petro.

Ergò ratio, seu causa finalis, propter quam Christus instituit Primatum, post mortem Petri et per sæcula perseverat, imò magis urget.

Sed si eadem causa finalis Primatûs perseveraret imò magis urgeret, Christus debuit velle, ut etiam Primatus perseveraret.

Ergo Christus debuit velle, ut Primatus perseveraret post mortem Petri et per sæcula usque ad mundi finem.

Probo Majorem. ex contextu: « Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (Ecclesiam). » — Particula « et » (ut alibi sæpe fit in stylo biblico) hic significare debet consecutionem effectûs, seu finem obtentum: quasi diceret Christus Petro: « Super te tanquam petram ædificabo Ecclesiam

meam, ita ut potestates tenebrarum cum suis copiis et auxiliis omnibus non possint unquam destruere illud aedificium Ecclesiae, illam societatem quam in te fundabo": seu: "et consequenter potestates tenebrarum nunquam destruent.", &c. (Sensum verborum figuratorum "portae inferi", &c. jam explicavimus supra p. 219, 220.). — Etenim a) si non admittitur ille sensus particularis et, quem dicimus, nulla erit rationalibus connexio inter utrumque comma: incoherens erit sermo, neque explicabitur cur Christus primum aliquid promittat Petro: "Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam", deinde, relicto prorsus Petro, aliquid asserat de potestatibus tartareis et de Ecclesiâ, tum redeat ad Petrum: "Et tibi dabo claves", &c. — Insuper b) illa relatio causalis quam Christus vult ponere inter factum quod Ecclesia fundetur super petram, et factum quod non destruatur, omnino confirmatur ex alio loco ipsius Christi, Matth. VII. 24. seqq., ubi architectus sapiens (qualis utique debet esse Christus in aedificanda sua Ecclesia) ab architecto stulto contradistinguitur hoc puncto praecise, quod suam domum "fundavit super petram", et expresse dicitur (per particulam causalem "enim") hanc fuisse causam, cur hostilis impetus ventorum &c. non potuerit praevalere adversus illam domum: "Vir sapiens ... aedificavit domum suam supra petram. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram." — Praeterea c) ipsa natura rerum, ubi agitur de "fundamento" et "aedificio", infert relationem causalitatis et finalitatis quam dicimus. Denique d) Patres dicunt, finem primatûs Petri fuisse conservationem unitatis, absque schismate &c. (Cf. Optatum et Hieronymum, supra p. 353;

Cyprianum, p. 358, Pacianum, Ambros. Leonem, p. 359.)
Probo 1am Minorem polysyllogismi.
Post mortem Petri, a) unitas visibilis Ecclesiæ, cùm sit proprietas Ecclesiæ essentialis (cf. trad. de Eccl.) non est minùs necessaria quam antea: imò fit aliquo sensu magis necessaria ut nota inserviens ad veram Ecclesiam dignoscendam (cf. ibid.), cujusmodi notæ minùs erant necessariæ viventibus Apostolis, propter abundantiam miraculorum et charismatum, &c. — b) Causæ autem dissolutionis non sunt minores: scandala, hæreses seu errores in fide, schismata seu dissensiones voluntatum et rebelliones contra hierarchiam, &c. Talia prædixit ipse Christus semper futura (Matt. XVIII. 7): « Necesse est ut veniant scandala ». Et Paulus, I. Cor. XI. 19: « Oportet et hæreses esse ». Imò post Petrum majus est eorum periculum, quia Ecclesia magis ac magis extensa est, et hoc ex ipsius Christi institutione, qui Ecclesiam destinaverat ad « omnes gentes ». Præterea, ante mortem Petri, summi duces Ecclesiæ, scilicet Apostoli, specialibus charismatibus impediebantur ne ipsi schismata et hæreses facerent, et ideò exercitium jurisdictionis Petri in ipsos Apostolos non erat ita necessarium (supra p. 282, et ipsum de Marca, p. 270): — post mortem Petri et aliorum Apostolorum, summi duces Ecclesiæ, scilicet Episcopi, specialibus Apostolorum charismatibus destituuntur, nam historiâ patet, multos episcopos fuisse hæreticos vel schismaticos et maximas creavisse difficultates mixtali, v. g. toto tempore quo duravit Arianismus — Protestantes verò illi, qui ne Episcopatum quidem admittunt, nonnisi augent difficultatem, multiplicato numero eorum ministrorum qui nullam humanam auctoritatem habent supra se; vel si (ut multi fecerunt) supra ministros constituunt

reges seu supremam auctoritatem civilem, augeat etiam difficultatem: quia nationalismus tendit ad diversas Ecclesias prorsus separandas, et inter Reges plane ab invicem independentes, multis causis divisos, et saepe bella inter se gerentes, nullum ponunt vinculum unitatis, quo salvetur unica jurisdictio ecclesiastica, unica societas à Christo fundata. — c) Aptitudo Primatûs jurisdictionis ad unitatem servandam fundatur in rerum naturâ, ac proinde non perit. Quò magis ad unum revocatur potestas minusque in plures scinditur, eò aptior est ad resistendum causis dissolutionis, experientiâ teste. Hinc ipsi Romani, quamvis in democratico statu, quandò periculum urgebat, ad unum revocabant omnem potestatem, unumque constituere solebant dictatorem. « Manifestum est (ait S. Th. 1. p. q. 103. a. 3) quòd plures multa invicem non possunt, nisi ipsi aliquomodo uniantur. Illud autem quod est per se unum, potest esse causa unitatis convenientiùs, quam multi uniti. » Jam verò ille qui habet primatum jurisdictionis est unum per se, collectio verò Episcoporum (vel quorumcumque ministrorum, vel regum) est unum per accidens: ergò. Et haec historia Protestantium praeclarè confirmat: qui defectu Primatûs, in sectas innumerabiles celerrimè sunt divisi: dum nullus coetus Christianus tantam unitatem in tantâ amplitudine habet, quantam Ecclesia catholica, quae Primatum servavit. — Coeterùm post mortem Petri, extensâ Ecclesiâ, convenientia Primatûs ad custodiam unitatis fiebat major: nam quo latiùs patet regnum, eò potentius esse debet unitatis centrum, et efficacius ad resistendum majoribus causis dissolutionis, unitatemque tuendam. Ideoque dixit Montesquieu, melius convenire parvae civitati democratiam, amplissimo im-

perio monarchiam. S. Hurter, thes. 65, 66, 67.

Probo 2am Minorem. Non negamus, in alio ordine Providentiæ unitatem Ecclesiæ, etiam amplissimè extensæ, servari potuisse à Deo aliis mediis quam illo jurisdictionis primatu: v. g. largiendo gratias internas aliaque charismata extraordinaria tam abundanter, ut schismata, hæreses &c. vel impedirentur omninò, vel de se citissimè evanescerent. At in hac thesi spectamus præsentem ordinem, et proficisaimur ex hoc facto (probato in thesibus præcedentibus), quòd Christus Petro primatum jurisdictionis dederit, et ex hoc altero facto (probato supra in hac thesi), quòd Christus in tali dono hunc finem spectaverit, ut unitas Ecclesiæ per Primatum servaretur. Quibus positis, sic arguimus: Christus erat sapiens institutor. Atqui talis non fuisset, si primatum instituens tanquam medium ad aliquem finem obtinendum, ita instituisset eum, ut brevi tempore duraret, quandiu fere nulla esset exercitii ejus necessitas, et præcisè tunc exstingueretur, quando maxime urgeret necessitas illius medii ad illum finem, quandò maxime militaret ratio propter quam munus fuerat institutum: scilicet post mortem Petri. Ergo.

Obj. Dictum est supra p. 246, segg., finem, quem habuit Christus Primatum promittens et conferens Petro, fuisse retributionem seu remunerationem pro Petri fide. Ergò finis non est Ecclesiæ unitas.

Resp. a) Nego Cons: nam legislator in aliquâ institutione plures fines habere potest; et in l. cit. diximus, illam rationem retributionis non esse unicam rationem, cur Christus ita egerit. Imò illa non est nisi finis extrinsecus (seu finis operantis): finis intrinsecus ipsius instituti Primatûs (finis operis) est

id ad quod Primatus naturâ suâ tendit, scilicet conservatio unitatis in societate.

Resp. 2). Melius distinguuntur, in illâ quæstione finis, duæ revera quæstiones: 1° Cur (seu ex quo fine) Primatus à Christo institutus sit? — 2° Cur (seu ex quo fine) primatus Petro potius, quam cuilibet ex Apostolis, à Christo delatus sit? — Circa 1am quæstionem, quam tangimus solam in hac thesi, unanimes sunt Patres. — circa 2am, quamvis rationem remunerationis sæpè afferant (quæ fundatur in textu ut ostendimus p. 247), tamen aliqui Patres et alia motiva indicant, non ita certa; ut prioritatem ætatis vel vocationis. Cf. Ballerini de ratione Primatûs, c. 8.

Confirmari potest 2m nostrum argumentum confessionibus Protestantium aliquorum ex præcipuis:

Celeberrimus Hugo Grotius in opusc. "Votum pro pace eccles.", ad art. 7. (Opp., Edit. Basileæ 1732, p. 658) dit: "Ordo (Ecclesiæ) sive in partibus, sive in toto, continetur principatu quodam, sive Præpositi unitate: et hoc est quod in Petro nos Christus docuit. Hoc à Christo didicit Cyprianus; idem cum Cypriano dicit Hieronymus: "Super "Petrum fundatur Ecclesia..., inter duodecim unus "eligitur, ut capite constituto, schismatum tollatur "occasio." Tale caput est inter Presbyteros Episcopus, inter Episcopos Metropolitanus, aut alio quis modo electus, ut cæteris præsit. Tale inter omnes Episcopus Romanus. Hic ordo in Ecclesia semper manere debet, quia semper manet causa, i.e., periculum à schismate. Diotrephes id sibi malo more arrogavit quod ad alios pertinebat, ut postea Novatus & Novatianus... Quot dissidia sanata sunt auctoritate Romanæ Sedis, quoties

oppressa innocentia ibi præsidium repererit, non alium testem, quam eumdem Blondellum (Calvinistam) volo."

Idem Grotius in opusc. "Rivetiani Apologetici discussio" (in eod. editione, p. 695): "Sine tali primatu, extra controversiis non poterat: sicut hodie apud Protestantes nulla est ratio, quâ ortarum inter ipsos controversiarum reperiatur finis. Et hic primatus post Apostolos mansit in Sede Romanâ: quod manifestum facit historia, etiam in ipso Blondelli libro. Cypriani locus... legi tantum opus habet, ut appareat ab eo agnosci Petri primatum cum auctoritate... Quæ ratio fuit cur inter duodecim unus præsideret, eadem ratio fuit, cur in presbyterio unus esset Præses, non temporarius, sed perpetuus: et eodem modo inter Episcopos, inter Metropolitas, inter Primates." —

Idem in opusc. "Animadversiones in Animadv. Riveti", ad art. 7. (eod. edit. p. 614): "Sicut exercitus, sicut navis regi non potest nisi per gradus Præfectorum, qui gradus in unum desinant, ita nec Ecclesia. Etiamsi omnes qui sunt in Ecclesiâ essent dilectione summâ præditi, tamen tali ordine esset opus. Deus non amat facere semper miracula: sed ad res optimas etiam optimas monstrat vias, qualis est ad unitatem Ecclesiæ certus ordo. Hic ordo quis esse deberet, monstravit in Petro Christus... Primatus ille sub Christo et sine tyrannico terrore exerceri potest, et ita, ut Episcopis sua in Ecclesias ipsorum fidei creditas jura conservet. Gravissima olim quæ per Græciam Asiamque fuere schismata, auctoritate Romanæ Sedis sanata nemo negare potest, qui in Ecclesiæ historiâ advisandâ aliquid laboris posuerit. Quæ verò est causa, cur qui opinionibus dissident

inter Catholicos, maneant in eodem corpore non ruptâ communione? contra, qui inter Protestantes dissident, idem facere nequeant, ubicunque multa de dilectione fraterna loquantur? Hoc qui recte expenderit, inveniet quanta sit vis Primatûs."

Jacobi I^i, regis Angliæ. Bucani unius ex primis Reformatoribus, Hofmeisteri, et ipsius Calvini habes confessiones apud eumdem Grotium (ib. p. 696).

Apud Ballerini de Primatu c. 8, habes citatum, inter alios protestantes, Cartwright, dicentem: "Si necessarium est ad unitatem in Ecclesiâ tuendam unum Archiepiscopum aliis præesse: cur non pari ratione toti Ecclesiæ Dei unus præerit Archiepiscopus?" Quod ratiocinium simplicissimum Anglicanos bene logicæ convincit et condemnat.

Leibnitius vir tanti ingenii atque eruditionis, in opusculo "Systema Theologicum", cujus integram translationem habes apud Migne, Démonstr. évangéliques t. 4, hæc scribit (p. 1092): "A la hiérarchie des pasteurs de l'Eglise appartient non-seulement le sacerdoce et les degrés qui y servent de préparation, mais aussi l'épiscopat et la primauté du souverain Pontife; on doit regarder toutes ces institutions comme de droit divin." Et p. 1093: "Mais parce qu'on ne peut tenir continuellement ni fréquemment de Concile, les évêques ne peuvent sans cesse abandonner les peuples qu'ils gouvernent, et cependant, comme la personne de l'Eglise doit toujours vivre et subsister, afin de pouvoir faire connaître sa volonté, c'était une conséquence nécessaire, qui nous est indiquée par le droit divin même et dans les mémorables paroles du Christ à Pierre ..., conséquence reconnue dans l'Eglise, qu'un des apôtres, et qu'ensuite un des évêques, qui lui succéderait, fût revêtu d'une plus grande puissance, afin que

par lui, comme centre visible de l'unité, le corps de l'Eglise formât un seul tout, et trouvât un secours dans les besoins ordinaires ; qu'il pût aussi convoquer le Concile, s'il était nécessaire, et le diriger après sa réunion ; et que dans les intervalles des Conciles il donnât tous ses soins pour que la république chrétienne ne souffrit aucun dommage. Et comme les anciens attestent d'un commun accord que l'apôtre Pierre a gouverné l'Eglise dans la ville de Rome, capitale de l'univers, qu'il y a souffert le martyre, et qu'il a designé son successeur, et comme jamais aucun autre évêque n'y est venu pour en occuper le siège, c'est avec raison que nous reconnaissons l'évêque de Rome comme le 1er de tous. Ainsi on doit admettre que dans toutes les choses qui ne permettent pas les retards de la convocation d'un concile général, ou qui ne meritent pas d'être traitées en concile général, le 1er des évêques ou le souverain Pontife a le même pouvoir que l'Eglise tout entière, qu'il peut excommunier toute personne ou lever l'excommunication, que tous les fidèles sont obligés de lui être sincèrement soumis et obéissants », &c.

Idem Leibnitz, epist 8 ad Jo. Fabricium, theologum protestantem (Leibnitii Opp., ed. Dutens, Genevæ 1768, t. 5. p. 228) : « Cùm Deus sit Deus ordinis, et corpus unius Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ uno regimine hierarchiaque universali continendum juris divini sit, consequens est, ut ejusdem sit juris supremus in eo Spiritualis Magistratus, terminis se justis continens (hæc verba nunc addo), directoriâ potestate, omnique necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesiæ agendi facultate instructus. »

Idem, tract. de jure supremat. c. 31. (ed. Dutens. t. 4. p. 401) : « Considerandum est (ex majorum

nostrorum opinione) totam Ecclesiam universalem habendam esse pro una quadam velut Republica sub Pontifice Dei Vicario Spirituali, ... in qua Primatum aliquem non ordinis tantum, sed et quodammodo jurisdictionis, Pontifici Romano etiam veteres non negant; nec refert hoc loco, divino an humano jure habeat; modò constet per multa sæcula magno omnium consensu atque applausu in Occidente potestatem sane maximam exercuisse. Et multorum egregiorum virorum ea fuit etiam apud protestantes sententia, hoc jus Pontifici relinqui posse, Ecclesiæ utile esse, si abusus quidam tollantur. Quinimo Philippus Melanchthon, vir sine controversiâ et prudentissimus et moderatissimus, cùm articulis Smalcaldicis subscriberet, protestationem adjicere ausus est, quâ declarabat sibi videri jurisdictionem Spiritualem Episcopis reddi posse, si alii malis mederi velint.»

II. Ex Patribus argumentum melius afferretur in thesi sequenti: quia dum dicunt, Petro dari jure divino successorem in primatu, simul designant quis sit ille successor, Episcopus scil Romanus

Corollarium. Ergo primatus jurisdictionis est in Ecclesiâ "potestas ordinaria": sic enim vocatur illa, quæ semper in Ecclesia esse debet. Ergò distinguendus est omninò ab illis Apostolatûs prærogativis "extraordinariis", quas scilicet, propter quamdam necessitatem tantùm initialem, voluit positivè Deus esse tantùm initio, ad Evangelium promulgandum Ecclesiasque fundandas, non autem manere postea. V. g. revelationes immediatæ à Deo, ordinatæ ad prædicationem Evangelii, quales habuit Paulus (Gal. I. 12), vel Petrus (Act. X), penitùs cessaverunt in successoribus Apostolorum et ipsius Petri. —

Ad rem Card. Joan. de Turrecremata (saeculo XV) in egregio opere "Summa de Ecclesiâ", l. 2. c. 35: « Sicut Adam quaedam dona habuit personalia, sicut omnium scientiam (et scientiam infusam a primo momento existentiae), quaedam verò pro suâ posteritate in statu innocentiae, sicut originalem justitiam: sic Petrus aliqua dona habuit à Christo pro suâ personâ, sicut miraculorum gratiam, ut, quod ad ejus umbram sanarentur infirmi (cf. supra p. 285), quaedam verò etiam pro successoribus suis in Ecclesiâ, et haec sunt illa sine quibus Ecclesia non staret, sicut claves ligandi et solvendi, aliter portae inferi praevalerent adversus eam: unde hanc amplitudinem potestatis et eminentiam principatûs, per quem Ecclesia resistit mundo et diabolo, Christus contulit Petro pro se et suis successoribus; et ita, cùm claves accepit, Ecclesiam dicitur significasse, quia per totam posteritatem Ecclesiae in successores Petri esset derivanda. » — Cf. supra p. 245.

Pariter praerogativa illa jurisdictionis extensae ad omnem locum erat et in Petro, et in aliis Apostolis (supra p. 268): sed erat in Petro ordinaria, in ceteris Apostolis extraordinaria. Nam illa extensio, utpote de essentiâ primatûs jurisdictionis, manere debet in successore Petri, manente in eo essentiâ primatûs ea nostrâ praesente thesi: successores autem Apostolorum (excepto solo successore Petri, ratione primatûs) non habent singuli nisi gregem particularem in loco restricto, ut alibi probabimus. Extensio illa, quatenùs inclusa in Apostolatu, erat extraordinaria: quatenùs inclusa in Primatu, erat ordinaria: de distinctione Apostolatûs et Primatûs cf. supra p. 278. — Jurisdictio verò purè episcopalis in singulis Apostolis, scilicet jurisdictio quatenùs praecisa ab illa extensione ad omnem locum, erat in eis ordinaria, quia ad successores

erat transitura, et semper in Ecclesiâ permanere debebat Episcopatus.

Neque ulla est in eo repugnantia, quod quis verè sit successor alterius, nec tamen succedat omnibus prorogativis quas habebat alter; in hoc altero tunc distinguuntur duæ formalitates seu duo munera vel jura, unum in quo succeditur (ordinarium), alterum in quo non succeditur (extraordinarium). Itaque textus illi, in quibus Christus alloquitur cum personâ præsente successores ejusdem personæ tanquam unam cum eâ personam moralem (quod agnoscitur ex contextu), tantùm potestatem ordinariam conferunt et probant per se: potestas autem extraordinaria, quæ aliunde potuit superaddi in eo Apostolo vel Apostolis quos alloquitur Christus, probari debet aliunde, ex aliis Scripturæ locis, vel ex Traditione: et sic nihil est in nostrâ exegesi arbitrarium, nihil gratis confictum.

Thesis XIV.

Romanus Pontifex est Beati Petri in eodem primatu successor.

St. Q. « Primatûs Petro delati ratio (seu essentia ipsa, — ait Roskovany, de Primatu Rom. Pont., p. 1ª, n. 9.) nullam peculiarem sedem Episcopalem, cui ipse alligaretur, per se videtur postulasse: cùm nec Petrus, primis à Christi ascensione temporibus, ullius particularis Ecclesiæ regimen capessivisse legatur (et tamen Primatum jam tenebat). At, quod per se Primatus Petro delatus minime exegisse videtur, id certa in Primatu successio requirebat, quæ, bono Ecclesiæ, perseverare facileque expediri debebat: « Petri enim successores (sunt verba Bossuetii, Defensio Declar. Cleri Gallic.),

cùm « ordinandi fuerint, de cœlo lapsuri non sunt, « neque ad ordinandos eos, ubi opus fuerit, totam Eccle- « siam citari commoverique oportebit. Necesse ergo est, « ut sit aliqua Ecclesiæ Catholicæ pars, ex quâ ex- « sistunt (Petri successores) aliique aliis subrogantur. » Cœtæ cuidam Sedi Primatum alligari oportuit, ne vagus incertusque foret Primatûs locus, quò in urgentibus Ecclesiæ necessitatibus è remotissimis quoque regionibus tutò confugeretur. Hinc particularis Episcopatûs, cui Primatus adjungeretur, à Petro eligendi necessitas satis elucet. » — Cæterùm etsi hæc necessitas non esset stricta et absoluta, nobis sufficeret, Deum (quòd ex Traditione scire possumus) positivè elegisse hunc modum, multò aptiorem ad transmittendum per sæcula Primatum.

Igitur quærenda sunt hæc duo simul, ubinam alicui Sedi peculiari Primatus post Petrum remanserit alligatus, et quænam fuerit illa peculiaris Sedes, vel etiam hodie quænam sit. — Præscindimus in hac Thesi, utrùm ita jure divino alligatus sit Primatus tali Sedi, ut nunquam absolutè possit jure ecclesiastico in aliam transferri.

Omittimus propter præsenti argumentum deductum ex factis, seu ex Primatûs exercitio à Romanis Pontificibus per prima sæcula.

Thesis est definita à Concilio Florentino in Decreto unionis Græcorum (Denz. n. 589): « Diffinimus, S. Apostolicam Sedem, et Rom. Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, » &c. — Et à Conc. Vaticano: Constit. « Pastor æternus », cap. 2: « Si quis dixerit... Romanum Pontificem non esse Beati Petri in eodem primatu successor, A. S. »

Probatur.

1°) Ut Corollarium ex Thesi præcedente. Si primatus jurisdictionis, collatus Petro, debet esse perpetuus in Ecclesiâ, à priori debet esse hodie aliquis Petri in eo primatu successor.

Atqui primatus jurisdictionis, collatus Petro, debet esse perpetuus in Ecclesia, scil. tandiu durare quandiu ipsa Ecclesia, nempe usque ad mundi finem: ut constat ex Thesi præcedente.

Ergo debet esse hodie, &c.

Atqui si debet esse hodie aliquis Petri successor in primatu jurisdictionis, nullus alius assignari potest nisi Romanus Pontifex.

Ergo.

Probo ultimam Minorem, hoc argumento: Ille solus potest esse hodie Petri successor in primatu jurisdictionis, qui solus et vindicat ipse sibi hunc titulum, et ab aliis multis agnoscitur ut talis.

Atqui solus Romanus Pontifex et vindicat sibi hunc titulum, et ab aliis multis agnoscitur ut talis. — Ergo.

Probo Majorem hujus ultimi argumenti. Impossibile est, illam successionem Petri esse in eo homine, qui ipse constanter nesciat se illam habere, vel eam nunquam reclamet, et ab aliis constanter ignoretur ut Petri successor in primatu jurisdictionis. Nam a tali homine minime obtineretur finis intrinsecus Primatûs, quem Christus juxta Thesim præcedentem intendebat dum eum conferebat Petro et successoribus ejus: et sic portæ inferi prævalerent adversùs Ecclesiam, contra prædictionem Christi: quare nequit talem hypothesim permittere Dei Providentia.

Probo Minorem. Est factum historicum, omnibus notum, quod a) Romanus Pontifex hodie titulum illum munusque sibi vindicat, et ab omnibus

Catholicis, qui ingenti numero sunt, agnoscitur ut talis, et hoc à longo tempore; et quòd b) nullus alius in mundo titulum illum aut sibi vindicat aut ab aliis accipit, et hoc a longo tempore: etenim, extra Catholicos, illi qui se quocumque modo christianos dicunt, vel proclamant omnes ministros Christi æquales, sublato omni primatu (ita multi Protestantes); vel, si quis primas admittitur, ut Archiepiscopus Cantuariensis apud Anglicanos, Patriarcha Constantinopolitanus apud quosdam Orientalium, nemo ex istis sibi primatum vindicat ut successor Petri: et primatus ab ipsis concipitur, tanquam localis, non tanquam in totum orbem christianum se extendens cum vera potestate jurisdictionis. (Ulrich in tract. de Ecclesia, ubi de modo quo intelligitur unitas Ecclesiæ apud istos).

2°) Ex Patribus.

Sæculo I^{i}, S. Clemens Rom. (cf. supra p. 19) scribit ad Corinthios, Epist. I, versus finem, scilicet in illa lacuna quæ usque ad nostros dies exsistebat, ex mutilatione unius folii integri in unico codice græco (Cf. Migne I. 325), feliciter autem impleta est invento „codice Constantinopolitano„ ab episcopo schismatico Philotheo Bryennio, scribit, inquam, cap. 59 (versio est rationalistarum Gebhardt et Harnack, Lipsiæ 1876): « Sin autem quidam non parebunt iis quæ ille (Christus) per nos dixit, cognoscant, offensioni et periculo haud exiguo se implicaturos esse; nos verò innocentes erimus ab hoc peccato. » Et cap. 63: " Gaudium enim et lætitiam nobis præstabitis, si obedientes facti iis quæ a nobis scripta sunt (ὑπήκοοι γενόμενοι τοῖς ὑφ' ἡμῶν γεγραμμένοις), per Spiritum S. eradicaveritis nefandam zeli vestri iram secundùm sermonem quem fecimus de pace et concordiâ in hac epistola. Misimus autem viros fidos et castos, à juventute usque ad senectutem inculpatè nobiscum

versatos, qui testes erunt vos inter et nos. Hoc vero fecimus ut cognoscatis omnem curam nostram id et spectasse et spectare, ut quam celerime ad pacem perveniatis." — Addunt in nota editores citati, etsi minime catholici: "Ecce quanta auctoritate hic Roma locuta sit." Et Dr. Salmon anglicanus (Dict. of Christ. Biog. and Liter., I. 558) ait: "Very noticeable in the new part of the letter is the tone of authority used by the Roman Church in making an unsolicited interference with the affairs of another Church." — Clemens aperte postulat obedientiam Sedi Romanae: atqui obedientiae correlativa est potestas jurisdictionis. Postulat obedientiam, non ab Ecclesia vicina, non ab aliqua Ecclesia fundata a Romana Sede post Apostolos, sed ab Ecclesia apostolica Corinthiorum, fundata ab ipso Paulo, et remota ab Urbe. Declarat, curam suam se extendere ad negotia illorum; non tantum in puritatem dogmatis invigilat ut magister veritatis, sed in disciplinam, in bonum ordinem, et exigit "celerrimam pacificationem" rebellionis et discordiarum. Et haec adhuc vivente Joanne Apostolo (ut Critici arbitrantur); Clementis potius est, licet non Apostoli, illa negotia componere ratione Primatus. Nec Corinthii contra talem Clementis interventum reclamant: imo non multo postea, saeculo II, Episcopus ipse Corinthiorum S. Dionysius, scribens ad Solerem Rom. Pontificem et ad Ecclesiam Romanam, ait (fragm. apud Eusebium l. IV. c. 33, Migne XX. 390): "Hodie sacrum diem Dominicum transegimus; in quo epistolam vestram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistolam, optimis praeceptis ac documentis abundabimus." Et Eusebius inde concludit, "Clementis epistolam ad Corinthios scriptam ... ex prisca consuetu-

dine in ecclesia (scil. in conventu fidelium die Dominica) legi solitam esse"; et l. III. c. 16, de epistola Clementis, quam vocat "eximiam et mirabilem, ab omnibus uno consensu receptam", testatur "hanc in plerisque ecclesiis, et nostrâ et superiori memoriâ, palam recitari consuevisse." Cf. et S. Irenaeum, l. 3. c. 3. n. 3. — Ergò bene diffusa erat notitia verborum Clementis: proinde si Romana Ecclesia (ut dixerunt Protestantes et Schismatici) fuisset aequalis aliis, si Clemens "obedientiam" ex merâ usurpatione postulavisset, si primatum Jurisdictionis mentitus esset, quomodò non surrexissent reclamationes tunc (quando, ut notat Irenaeus l. c. "adhuc multi supererant ab Apostolis docti"), vel saltem saeculo sequente? quomodò controversia magna de Primatu non exorta fuisset? Cujus controversiae ne vestigium quidem apparet in historiâ et scriptis Patrum. Ergo passim in Ecclesiâ Primatus Romanae Sedis agnoscebatur, saeculo I et II. — Cf. DD. Freppel, Les Pères Apost., p. 133.

S. Ignatius, discipulus Joannis, qui vixit saec. I, scribebat an. 107 ad Romanos, Proem. (Migne V. 686): "Ignatius... Ecclesiae... quae praesidet (προκάθηται) in loco regionis Romanorum, digna Deo, digna decore, digna quae beata praedicetur, ... universo coetui charitatis praesidens (προκαθημένη τῆς ἀγάπης), ... salutem." (Et similia habentur in versione Curetoni ex ms. syriaco). — Jam verò notandum est a) verbum illud "praesidere" alibi reperiri bis in Ignatio, et in utroque loco significare superioritatem jurisdictionis; scil. ad Magnesios n. 6 (Migne V. 667): "Episcopo praesidente loco Dei", et ibid.: "Uniamini Episcopo et praesidentibus." — b) Aliis Ecclesiis scribens Ignatius, loco hujus vocis "praesidet", semper adhibet simpliciter vocem "est": "Ecclesiae quae est (τῇ

ουση) Ephesi in Asia", "Ecclesiam quae Magnesiae est ad Maeandrum", et sic de aliis. — Adverte etiam, juxta ipsum Ecclesiam Romanam universaliter "praesidere charitati", scil. universo coetui Christianorum uniendo. "Il voit dans l'évêque de Rome l'héritier de la prééminence de Pierre (ait Alzog, Patrol. Paris 1877, p. 64): de là le nom de présidente du lien de la charité, qu'il décerne à l'Eglise de Rome." — Deinde in eadem epistola ad Rom., ait c. 3: "Nulli unquam invidistis; alios docuistis. Ego vero illa quoque firma esse volo, quae docetis et praecipitis." Agnoscit ergo et magisterium et praecepta dari ab Ecclesia Romana.

Saeculo II°, S. Irenaeus, in celeberrimo textu Adv. Haeres. l. 3. c. 3 (Migne VII. 848): "Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesiâ adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his (haereticis) deliratur... Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones: maximae, et antiquissimae, et omnibus cognitae, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos (sectarios)." Rationem deinde redditurus, cur ex traditione hujus Ecclesiae Romanae, potiùs quam cujuscumque aliarum, haereses dignoscendas et confundendas proposuerit, tanquam causam affert primatum ejusdem Ecclesiae, sic pergens: "Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem (alii, potiorem) principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles;

in quâ semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis Traditio." Deinde enumerat successionem Romanorum Pontificum ab Apostolis, et ubi nominat Clementem, advertit ad rem suam, quòd sub Clemente "scripsit quae est Romae Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, et reparans fidem earum", &c.; et concludit: "Hac ordinatione et successione" (quam perduxit usque ad Eleutherium tunc Rom. Pontificem), "ea quae est ab Apostolis in Ecclesiâ traditio et veritatis praeconatio, pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesiâ ab Apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate."

In hoc textu, -1°) ex toto ratiocinio et scopo Irenaei, sententia Ecclesiae Romanae est medium breve et compendiarium ad cognoscendam sententiam totius veraeque Ecclesiae Christi, quae rectitudinem Traditionis servaverit, confundendosque haereticos; - 2°) methodus illa est absolutè certa, "plenissima ostensio": quod nequit intelligi, nisi valor traditionis Ecclesiae Romanae spectetur hic non tantùm historicè, sed etiam theologicè, scilicet cum infallibilitate proveniente ex supernaturali Dei charismate, alligato illi Sedi et successioni (secundùm doctrinam ipsius Irenaei alibi, l. 4. c. 26. n. 2: "qui cum Episcopatûs successione charisma veritatis certum secundùm placitum Patris acceperunt", cf. supra p. 61): et ideò multùm Irenaeus insistit verificandae Romanae successioni, in nostro textu: et semper ad successionem appellat, - 3°) in Ecclesiâ Romanâ considerat non tantùm magisterium infallibile, sed etiam jurisdictionem: nam a) affertur in particulare exemplum Clemens Romanus, "ad pacem Corinthios congregans (ex influxus jurisdictionalis centri unitatis ad conjungendam societatem

et vitandas separationes), et reparare fidem eorum (ex magisterium additum in epistolâ Clementis); — et b) rationem, cur Deus specialem infallibilitatem conjunxerit cum Sede Romana, hanc affert, quod illi Ecclesiæ voluerit dare «potentiorem principalitatem» inter eos qui sunt undique fideles: jam verò hæc voces versionis antiquæ S. Irenæi (cujus textum græcum non habemus) significant primatum jurisdictionis: nam, ut citemus eruditam disputationem de hoc textu, additam in fine tomi 4ti Collectionis Latensis Conciliorum (Conc. Galliæ), n. 23: «Vigenti tribus versionis antiquæ locis» (quæ proferuntur in illâ dissertatione) «principalitas vel synonyma vox principatus potestatem, dominationem, imperium significat. Nullum alium locum, ubi voces illæ positæ essent, toto opere perlecto, reperimus, neque adversarii attulerunt. Quare ab iis quærere possumus, quo jure, loco vigesimo quarto, hanc vocem in diversam significationem trahere possint.»

Alias cavillationes fecerunt adversarii Sedis Romanæ, ut verum sensum Irenæi effugerent: sed ipse contextus, ipsa series ratiocinationis quam supra ostendimus, sufficit ad eas condemnandas. Grabius, Jamus, et alii, hoc modo locum intelligunt: «Propter potentiorem principalitatem imperii Romani, necessariò fit ut undique fideles conveniant i.e. physicè confluant ad imperii urbem præcipuam (et historicè constat, ait Milman, Hist. of Lat. Christ. l. 1. c. 1., omnem hæresim, et omnes fere hæresiarchas, venisse Romam, et ibi conatos esse ut Romanum Episcopum ad suas partes pertraherent): inde Romæ cognosci potest, quid in singulis Ecclesiis sentiatur: et sic via compendiaria habetur ad cognoscendam antiquam Traditionem.» Sed a) Irenæus ex sensu obvio loquitur de principalitate Ecclesiæ Romanæ, non imperii vel urbis, qui sensus

detortus nullâ voce in toto contextu significatur; – b) in istâ interpretatione, nihil ad rem faceret legitima successio Episcoporum Romanorum, in quâ tamen Irenaeus tantopere insistit: appellat enim semper Irenaeus ad successionem illam, non ad itinera quae dicunt adversarii (Hergenröther de Ecclesia et Statu, in versione anglicâ "Catholic Church and Christian State", t. 1. p. 96). – c) Si omnes Christiani, haeretici aeque ac alii, Romam concurrebant, quae securitas inde oririi poterat de verâ doctrina Apostolica servata Romae, posito quod traditio Ecclesiae Romanae merè historicè et humano modo spectetur, ut eam spectare volunt adversarii, sine speciali infallibilitate supernaturali? Quomodò potest Irenaeus ex tali omnium concursu concludere, fidem Ecclesiae Romanae esse normam securam, ex quâ possint haereses omnes rejici et convinci, "plenissima ostensione"? Adscribitur Irenaeo ratiocinium prorsùs ridiculum. – Cf. egregiam dissertationem Benedictini Massuet de hoc textu, apud Migne Patr. gr., V. 276, seqq.; – et jam citatam dissert. in Collect. Lacensi, quae est Patris Schneemann; – et Allnatt, "Cathedra Petri", 2d Edit., p. 70, seqq. et p. 84, seqq.

Saeculo IIIo. S. Cyprianus, ep. 55 ad Cornelium Papam n. 14 (Migne III. 818) ait de quibusdam schismaticis, qui pseudoepiscopum sibi constituerant et conabantur ut iste à Romano Pontifice confirmaretur: "Navigare audent et ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis et profanis litteras ferre", &c. Splendidum testimonium, quod suis cavillationibus frustra tentaverunt obscurare haeretici. "Ecclesiam principalem" dicit, sicut vetus interpres Irenaei dicit "potentiorem principalitatem" (supra): sicut Aug. epist 42. dicet postea: "In quâ semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus".

Et ratio quam dat Cyprianus illius principalitatis non est magnitudo urbis Romæ vel quidlibet aliud, ut finxerunt hæretici, sed quia est "Cathedra Petri", centrum et origo "unitatis sacerdotalis". – Hinc ad eumdem Cornelium Pontificem Romanum scribit epist. 45 n. 3 (Migne III. 711.) se procurasse ut generalis epistola Episcoporum Africanorum Romam mitteretur, "ut te universi Collegæ nostri et communicationem tuam, id est Catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter et charitatem, probarent firmiter ac tenerent." Idem est igitur, juxta Cyprianum, communicare cum Cornelio Papa, et servare unitatem et charitatem Ecclesiæ Catholicæ. – Eadem repetit ad Antonianum ep. 52. n. 1. (Migne III. 763): "Ut jam sciret (Cornelius) te secum, hoc est cum catholicâ Ecclesiâ, communicare." Ibid. (p. 772) ait Cornelium legitime electum fuisse, "cùm Fabiani locus, id est cùm locus Petri et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret."

Testimonium Cypriano anteriùs habemus in ipso hæretico auctore celebris operis nuper inventi (1842) et à D. Renan aliisque multùm citati, "Philosophumena" (Migne, inter opp. Origenis). Ille ignotus auctor injuriosè loquens de S. Zephyrino Papa (regnavit an 197–217) et de successore ejus S. Callisto (217–222), coævis suis et adversariis suæ doctrinæ indirectè tamen testatur hunc vindicatam et agnitam supremam Romanæ sedis auctoritatem. Nam v. g. dicit, lib. 9. n. 7 (Migne XVI. 3369): "Zephyrino illâ ætate se administrare arbitrante Ecclesiam." Et n. 12 § 13 (ib. 3385, 3386), dum increpat Callixtum quòd omnia peccata remissibilia dixerit, quòd dispensationes ab irregularitate bigamiæ concesserit ordinandis, quòd permiserit matrimonia inter liberos et servos contra legem civilem imperatorum,

(quæ omnia nonnisi laudanda) simul testatur influxum ejus : « Turbæ ad scholam illam confluunt » ; ... « hujus viri doctrina per totum mundum divulgata ». Qui ipsi adhærent, servant nomen Ecclesiæ catholicæ : « Et inter hæc conamina, impudentes illi Catholicam Ecclesiam semel appellare aggrediuntur. » — « Depuis l'apparition des Philosophumena (ait DD. Freppel, Origène t. 1er, 8e leçon), je me suis demandé plus d'une fois ce que les adversaires de la papauté ont voulu chercher dans un livre d'où ressort avec tant d'éclat le rôle que cette grande institution remplissait au commencement du IIIe siècle. Ce témoignage rendu à l'autorité des successeurs de S. Pierre doit leur paraître d'autant moins suspect qu'il émane d'une bouche ennemie. Sans doute l'évêque schismatique prodigue les injures aux Pontifes romains : il affecte d'appeler callistiens les fidèles en communion avec le pape... Il dit que « Zéphyrin prétend gouverner l'Eglise » ; il s'indigne de ce qu'après tant d'attentats les chrétiens soumis à l'autorité de Calliste osent encore s'intituler l'Eglise catholique. Mais toutes ces colères maladroites ne servent qu'à éclaircir la situation. Il est donc vrai, comme du reste on n'avait pas lieu d'en douter, que les évêques de Rome se sont toujours crus en droit de gouverner l'Eglise ; et qu'au IIIe siècle comme aujourd'hui, le titre de catholique était la marque distinctive de la communion avec le Pape en matière de foi et de discipline religieuse. Aussi, malgré tout son désir de rabaisser celui qui l'a condamné, le rapsode des Philosophumena se voit-il obligé de convenir « que la doctrine de Calliste est répandue dans l'univers entier ». Il va jusqu'à ranger les quarto-décimans au nombre des hérétiques (Ibid. lib. 4. n. 18), oubliant que la

décision du pape Victor (sec II) sur la célébration de la Pâque est la seule autorité qui lui permette de leur infliger une telle qualification : il reconnaît donc aux souverains Pontifes le droit d'établir des règles de discipline obligatoires pour l'Eglise universelle. Et puis, voyez l'attitude que prend l'évêque de Rome dans cette pièce... C'est lui qui détermine les cas où un évêque peut être déposé ; or il n'y a pas d'acte plus grave dans la juridiction pontificale. C'est lui qui décide si le mariage d'un clerc constitué dans les ordres inférieurs entraîne pour le fait même son exclusion, si les prohibitions intolérantes de la loi civile empêchent la validité d'un mariage contracté suivant les lois de l'Eglise. Le déclamateur anonyme dont nous discutons l'oeuvre est si convaincu de cette suprématie universelle, qu'il veut rendre le pape Calliste responsable de tout ce qui se passe dans l'Eglise entière. Sous lui, dit-il, (ἐπι τούτου) on a commencé de faire telle ou telle chose, formule absolument identique à celle-ci : Sous le règne de ce monarque, il s'est introduit telle coutume ou glissé tel abus."

Seculo IVo. Concilium Sardicense, (an. 343), insigne munero Episcoporum (quidam "oecumenicum" illud Suisse propugnaverunt) haec habet in can. 3o. (Hefélé, hist. des Conc., t. I. p. 550) :

" Osius episcopus dixit : ... Quòd si aliquis episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterùm Concilium renovetur : si vobis placet, S. Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano episcopo, et, si judicaverit renovandum esse judicium, renoveture et det judices ; si autem probaverit talem

causam esse, ut non refricentur ea quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet." — Consonat textus graecus (apud Hefele ibid.). — Impugnaverunt illos canones multò postea Schismatici orientales, tanquam pro solo Occidente factos: sed antea eos admiserant maximi eorum Doctores, et diù in Oriente viguerant. Haec habet ipse Photius in Excerptis ex vita S. Athanasii (Bibliotheca Photii, c. 258): "Athanasius, cùm pervenisset Hierosolymam, Maximo episcopo et confessori nota fecit Acta Sardicensis Concilii. Athanasius autem Alexandriam cùm venisset, convenitus Episcoporum in Aegypto egit, quae Synodus constituebat eis, quae in Sardicensi ac Hierosolymitana Synodo decreta erant." Addit eruditissimus doctor Coraniensis Christianus Lupus, in suo libro de Appellationibus ad Cathedram Petri, c. 13.: "Quòd pro Sardicensis Concilii publicatione diversas in Aegypto Synodos celebraverit (Athanasius), testantur Socrates et Hermias Sozomenus. Et suis ad omnes sub coelo absentes Episcopos litteris subjunxit Sardicensis Synodus: — Quin et vos quoque, ut spiritu praesentes in nostrâ Synodo, studete idem suffragium conferatis per vestras subscriptiones, quo ab omnibus ubique Sacrorum Ministris concordia servetur. — Plurimos et Occidentales et Orientales subscripsisse demonstrat in 2ª ad Constantium Imperatorem Apologiâ S. Athanasius." Et c. 31: "D. Archiepiscopus (P. de Marca, Gallicanus) fatetur, Sardicensium canonum usum esse antiquum apud Orientales. Et jure merito. Etenim Orientalium Antistitum (praesertim S. Athanasii) Romanae appellationes nobis pepererunt istos Canones. Et quòd ipsos S. Athanasius non personam Aegyptum, sed etiam apud Hierosol. synodaliter

publicaverit, est omnibus notum. Eosdem subscribi fecit à cunctis melioribus Orientis Episcopis. Quod ipsum omninò fecerunt Marcellus Ancyranus, Lucius Adrianopolitanus, Asclepas Gazensis Episcopus, aliique omnes reparati per istam Synodum (Sardicensem). Paulus Constantinop. facere non potuit, quoniam in istius Synodi odium fuit ab Eusebianis suffocatus in balneo. Juncta istos canones, Petrus Alexandrinus, ejus successor Joannes Chrysalaia, Maximus Constantinop., ejus successores S. Jo. Chrysostomus et S. Flavianus, Eutherius Cappadocensis, Hilladius Cabarsensis, Theodoretus Cyrensis, Eusebius Doryloensis, aliique longe plures Episcopi appellarunt Romam, et impetrarunt suam causam retractari ... Ad Theodosium scribit Valentinianus Imperator, quòd S. Flavianus «secundùm Conciliorum solemnitatem appellasset.» Omninò intelligit Sardicense Concilium, atque ita affirmat ipsum viguisse per omne Rom. Imperium.

Jam verò in textu à nobis citato, agnoscitur suprema quædam Romani Pontificis in Episcopos jurisdictio, et hoc quatenùs est successor S. Petri.

Præter canonem quem citavimus, duo sequentes ejusdem Concilii tractant etiam de appellationibus ad Episcopum Romanum. «Le sens de ces 3 canons (ait Hefele l. c. p. 558) est au fond très intelligible et très clair, et cependant ils ont été l'objet d'une controverse très vive entre les théologiens gallicans et ultramontains: cela vient de ce que ces canons n'ont été presque jamais étudiés en eux-mêmes, on s'est contenté de chercher à les utiliser en faveur de tel ou tel système de droit canon ecclésiastique.»

«La 1re question qui se présente est de savoir si les droits que le Synode de Sardique

reconnaît au Pape lui étaient reconnus pour la 1re fois, et s'il ne les avait pas auparavant; c'est ce que soutiennent les gallicans ... Mais Noël Alexandre, quoique gallican lui-même, a démontré d'une manière irréfutable (hist. eccl., saec. IV. diss. 28) qu'il n'en était pas ainsi; que le principe de l'appellation était déjà contenu dans l'idée de la primauté, et par conséquent dans le fait même de la fondation divine de cette primauté; il a prouvé que ce principe de l'appellation à Rome avait mis en pratique avant la tenue du Conc. de Sardique, et que ce concile n'avait fait que définir et proclamer un droit qui existait auparavant. Après Noël Alex., cette démonstration a été reprise avec le même succès par les Ballerini (Edition des Œuvres de S. Léon - reprod. par Migne), Roskovanz, évêque de Waitzen en Hongrie (de Primatu, p. 191, segg.), et par d'autres. La formule : « si placet » (cf. textum supra cit.), employée dans un Synode, ne signifie jamais: - Si cela vous convient, nous allons introduire qqch. de nouveau -, ce qui serait complètement hétérodoxe pour les définitions dogmatiques; elle signifie simplement, ici comme ailleurs : - Si vous le trouvez bon, nous allons définir et proclamer ceci ou cela. - Les mots du 3e canon: S. Petri Apostoli memoriam honoremus, n'autorisent pas non plus à penser que le Synode accordait au Pape une prérogative toute nouvelle; en effet, la reconnaissance d'un droit qui appartient au Pape, même d'un droit ancien, se fait toujours par respect pour Pierre, qui le 1er a reçu de N.-S. la primauté. Il ne faut pas non plus oublier qu'à l'époque du syn. de Sardique, le droit d'appeler à Rome n'était pas reconnu partout; les eusébiens l'avaient contesté quelque temps auparavant au pape Jules (cf. la let

tre du pape St S. Athan., Apolog. c. Arian., c. 22, 23, 25).

« Edm. Richer a suscité une 2e controverse sur les canons qui nous occupent. Comme le nom du pape Jules se trouve dans le 3e canon, il suppose que le droit d'appellation à Rome n'a été établi qu'en faveur de ce Pape, et qu'il a cessé avec ses successeurs. Le célèbre protestant Spittler a très bien réfuté cette argumentation gallicane. « On prétend, dit Spittler (Œuvres, VIII. « 139), que les canons de Sardique n'ont été que « provisoires, qu'ils ont été décrétés pour les besoins « de cette époque, en particulier pour sauver « Athanase persécuté à outrance par les ariens... « Mais est-ce que cette distinction entre canons pro- « visoires et définitifs n'enlève pas toute autorité « aux canons des Conciles ? Comment sera-t-il « possible de distinguer les canons provisoires de « ceux qui sont destinés à durer toujours ? Les « Pères du Syn. de Sardique se sont exprimés « sans poser de restriction : n'est-ce pas alors faire « de l'exégèse fantastique que de poser des res- « trictions aux canons qu'ils ont décrétés ? On ne « peut nier que la position très-embarrassée où « se trouvait Athanase, a grandement contribué « à faire décréter ces canons ; mais est-ce à dire « pour cela qu'ils sont provisoires ? Si on regardait « comme provisoire ce que telle ou telle circonstan- « ce particulière a fait décréter, on infirmerait pres- « que toutes les lois les plus importantes de l'ancien « ne Eglise. » Nous ajouterons que dans le 4e et le 5e canon, qui traitent aussi de l'appellation à Rome, on ne nomme plus in specie le pape Jules, mais bien l'évêque Romain. Et en outre, si les Pères de Sardique désiraient venir en aide à Athanase, ils auraient bien mal réussi dans leur projet en ne confirmant qu'au pape Jules

les droits dont nous parlons, car le pape Jules mourut peu de mois après la tenue du synode, et Athanase se serait trouvé sans protecteur."

"La 3e controverse porte sur le caractère de cette prérogative qui est attribuée au Pape par les canons de Sardique. Les gallicans, et avec eux Van Espen & Fébronius, pensent qu'ils ne parlent pas d'une appellation proprement dite à Rome, mais d'une simple révision du 1er jugement, et qu'ils ne reconnaissent au Pape que le droit d'ordonner cette révision .... Noël Alex. (l.c.) &c... ont réfuté ce sentiment, qui ne peut être que le résultat d'une opinion préconçue." — Cæterum hæc 3a controversia potius ad jus canonicum spectat, quam ad nos: nam prærogativa Rom. Pontificis ibi asserta, etsi concipiatur ita immunita ut voluit Gallicani, tamen supponit in eo primatum jurisdictionis.

Paulò ante ipsum Conc. Sardicense, Papa Julius scripserat ad eusebianos seu arianos gravissimam epistolam (apud Athanas. (Apol. 2a), de quâ breviter ait historicus græcus Socrates l. 2. c. 17 (Migne LXVII. 219): "Julius... graviter conquestus est... quòd contra Canones ipsum ad Synodum non vocassent, cùm ecclesiasticâ regulâ interdictum sit, ne præter sententiam Romani pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur." Eadem sic refert Sozomenus l. 3. c. 10 (Migne ib. 1058): "legem esse pontificiam (ἐπαρτικὸν), ut pro irritis habeantur quæ præter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta."

In illo sæculo et alii Romani Pontifices primatum jurisdictionis vindicaverunt ut successores Petri (quidquid contra dicere non erubuerit Janus, tempore Conc. Vaticani). — Sic S. Siricius (an. 386)

epist. 1ª ad Himerium episc. Tarraconensem (Migne XIII. 1131), hæc habet in proœmio: « Portamus onera omnium qui gravantur: quinimo hæc portat in nobis B. Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit et tuetur hæredes. » Et cap. 2. n. 3, datâ regulâ de tempore conferendi baptismi: « Nunc præfatam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ petræ, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli. » Et c. 7. n. 11: « Noverint se ab omni ecclesiastico honore quo indigne usi sunt, Apostolicæ Sedis auctoritate dejectos, nec unquam posse veneranda altaria celebrare mysteria. » Et c. 15. n. 20: « Ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum presbyterum ad Romanum Ecclesiam, utpote ad caput tui corporis, retulisti, sufficientia quantum opinor responsa reddidimus... Et quanquam statuta Sedis Apostolicæ vel Canonum venerabilia definita, nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum », &c.

Item Papa S. Anastasius I (an. 399), epist. 1. ad Joannem episcopum Hierosolymitanum n. 5, de erroribus Origenis tunc renovatis in Oriente ait (Migne Patr. lat. XX. 72): « Mihi certa cura non deerit Evangelii fidem circa meos custodire populos, partesque corporis mei, per spatia diversa terrarum, quantum possum, litteris convenire, ne qua profanæ interpretationis origo subrepat. »

S. Ambrosius cum Episcopis Concilii Aquileiæ, in epist. ad Imperatores (ep. XI. n. 4, Migne XVI. 946) ait: « Totius orbis Romani » (in quo et Occidentalis et Orientalis Ecclesia tunc continebantur) « caput Romanam Ecclesiam... ne tur-

bari sineret, obsecranda fuit clementia vestra; inde enim" (scil. ex Rom. Ecclesia) in omnes venerandæ communionis jura dimanant." — Idem Ambros., loquens de suo fratre Satyro, qui post naufragium devenerat in locum de schismate suspectum, ait (de Excessu Satyri, l. I. n. 47, Migne ib. 1306): "Advocavit ad se episcopum, ... percontatusque ex eo est, utrumnam cum episcopis catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia, consentiret?" Romana ergo Ecclesia est centrum unitatis, criteriumque verae Christi Ecclesiae. Et ratio hujus rei est successio Petri. Nam idem Ambros., de Poenit. l. I. c. 7. (Migne ib. 476) ait de Novatianis schismaticis: "Claves regni non susceperunt... Non habent enim Petri haereditatem, qui Petri sedem non habent, quam impiâ divisione discerpsunt."

S. Optatus de schismaticis similia habet supra p. 85: "Undè est ergò quòd claves regni cœlorum vos usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri militatis? — Et l. 2. c. 9 (Migne XI. 962): "Probatum est... et per Cathedram Petri, quae nostra est, per ipsam et cæteras dotes apud nos esse." — Cf. et locum cit. supra p. 270, cum consequentibus.

S. Hieronymus, dum in Oriente viveret, exorto schismate, cum tres simul essent Antiochiae episcopi, Meletius, Paulinus et Vitalis, scribit ad Damasum Papam, ut sciat quem ex tribus judicet esse verum Episcopum, epist. 15 n. 2 (Migne XXII. 355): "Cum successore Piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri, communione consocior. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit,

profanus est ... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit (Luc XI. 23): hoc est, qui Christi non est, Antichristi est .... Cui apud Antiochiam debeam communicare, significes." – Ergò Rom. Pontificem habet ut necessarium centrum unitatis, et hoc, quia est successor Petri, super quem ædificata est Ecclesia. – Pariter ep. 16 ad eumdem (ib. 359): "In tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat ... Ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi hærere se dicunt; possem credere si hoc unus assereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obtestor Beatitudinem tuam ... ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes."

Adjungamus testimonium hominis pagani sæc. 4º. – Ammianus Marcellinus, familiaris imperatoris Juliani apostatæ, et dux in ejus exercitu, libro 15. c. 7. narrat imperatorem arianum Constantium, Athanasio infensissimum, non tantùm procuravisse, ut Athanasius conciliabulis episcoporum damnaretur, sed etiam ardenter desideravisse, ut à Liberio Papa condemnatio ista confirmaretur: "Id enim ille (Constantius), Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ urbis Episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti", &c. – Ergò etiam paganis Primatus erat res nota et vulgaris. Subjungit Ammianus fortem Pontificis resistentiam: "Jubente Principe Liberius monitus perseveranter renitebatur, nec visum hominem nec auditum damnare nefas ultimum sæpe exclamans."

Sed et paganus imperator Aurelianus,

saeculo proceed., non ignorabat Episcopum Romanum agnosci à Christianis tam orientalibus quam occidentalibus tanquam centrum unitatis christianae: nam, teste Eusebio hist. eccl. l. 7. c. 30 (Migne XX. 719), " cùm Paulus (Samosatenus, à synodo Antiochena depositus anno 268) è domo ecclesiae nullatenùs excedere vellet (quamvis alium episcopum loco ejus constituisset Synodus), interpellatus imperator Aurelianus rectissime hoc negotium dijudicavit (adverte approbationem ipsius Eusebii, quamvis Orientalis), iis domum tradi praecipiens, quibus Italici christianae religionis antistites et Romanus episcopus scriberent. Hoc modo vir supra memoratus (Paulus) cum summo dedecore per sacrilegam potestatem ab ecclesiâ exturbatus est. " Mentio verò aliorum episcoporum Italiae ostendit, Aureliano non ignotum fuisse usum illum Romanae Sedis, ut in gravioribus negotiis viciniores illos Episcopos ut consiliatores haberet.

Saeculo V^o. ineunte (vel etiam in fine IV^i.) S. Augustinus eadem exprimit. — S. g. in lib. c. epistolam Manichaei, c. 4 (Migne XLII. 175), enumerans motiva, quae ipsum retinent in " Ecclesia catholica ", ait: " Tenet (me) ab ipsâ sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum ", scil. episcoporum (cf. supra p. 182). — Et Donatistis, ut eos reducat ad ovile, offert idem criterium verae Ecclesiae, l. cit. supra p. 232: « Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede ».

S. Innocentius I respondet ad S. Aug. aliosque Patres Concilii Carthag. (an. 416), ep. 29 n. 1. (Migne XX. 583): « Antiquae traditionis exempla servantes ... ad nostrum referendum approbas-

tis esse judicium, scientes quid Apostolicæ Sedi, cùm omnes hoc loco positi ipsum Sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopalis et tota auctoritas nominis hujus emersit ... Patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quòd illi non humana sed divinâ decrevere sententiâ, ut quidquid, quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret: ut tota hujus auctoritate justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cuncta procederent, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent) quid prociperent," &c. — Cf. et S. Zosimum Papam, epist. 12 ad Afros (Migne ib. 676). — Nec dicatur, Rom. Pontificum suspecta esse testimonia, cùm loquantur in propria causa. Nam ut advertit Kuster, a) "ipsa confidentia, quâ Pontifici, est indicium juris auctoritatisque ab omni fraude et usurpatione aliena." Et si fuisset usurpatio, fuissent reclamationes et controversiæ quæ non fuerunt. b) "omnem usurpationis suspicionem excludit nota loquentium doctrina et sanctitas. c). Maximum pondus adjicit concentus atque conspiratio aliorum, qui eodem tempore floruerunt, patrum: nihil enim est, quod sibi vindicent romani episcopi, quod non pariter ἀφορισις episcopis ipsis tribuatur, ut ex testimoniis allatis patet."

S. Cyrillus Alexandrinus (episc. ab an. 412 ad 444) ait in homilia 11. in S. Mariam Deiparam (Migne LXXVII. 1039): "Testem locupletem proferamus, sanctissimum Cœlestinum et archiepiscopum totius orbis (ἀρχιεπίσκοπον πάσης τῆς οἰκουμένης), et patrem, et patriarcham ma-

gnæ vobis Romæ." — Et S. Cyrillus non aurus est Nestorium damnare, antequam totam causam ad Sedem Apostolicam retulisset, suâ epist. 2 (al. 8): cf. omnes epistolas de hac causa in opusc. 18 Collectionis Sabuni a D. Hurter. — Coelestinus Papa damnat Nestorium, et jubet Cyrillo ut sententiam exsequatur, ep. 4 (al. 11.) ad Cyrill. n. 14: "Auctoritate igitur tecum nostræ Sedis adscitâ, nostrâ vice usus, hanc exsequeris districto rigore sententiam, ut aut intra decem dies, ab hujus conventionis die numerandos, pravas prædicationes suas scriptâ professione condemnet ... aut nisi hoc fecerit, mox Sanctitas tua illi Ecclesiæ (Constantinop.) provisura, à nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum." — Et Jo. Antiochenus, ep. 1. ad Nest. n. 3, testatur S. Cyrillum ut justam habuisse illam "sententiam Domini sui", adeò ut exarcaverit Nestorium ad retractationem, quamvis terminus præfinitus valde angustus esset. Cf. Acta conc. Ephes. p. 1. c. 15.

Concilium vecum. Ephesinum (an 431) cujus anima erat idem Cyrillus, scribit ad Imperatorem (Hard. I. 1432): "Coacti per SS. Canones et epistolam SS. Patris nostri et comministri Cœlestini ... ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessariò venimus." Agnoscit ergò Concilium, se a Rom. Pontifice obligari. — In eodem Concilio Philippus Rom. Sedis legatus dicere jussit (Act. 3, Hard. I. 1477): "Nulli dubium, imò omnibus sæculis notum est, quòd Sanctus Petrus princeps et caput Apostolorum, fidei columna et Eccl. catholicæ fundamentum à D. N. J. C. ... claves regni accepit ... qui ad hoc usque tempus semper in suis successoribus vivit et judicium exercet." Et: "Gratias agimus sanctæ venerandoeque Synodo, quòd litteris sancti beatique Papæ nostri Jo-

bis recitatis, sancta membra ... sancto capiti vos adjunxeritis. Non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei vel etiam Apostolorum caput esse B. Apostolum Petrum." – Omnia in hoc Concilio (celeberrimo quod factum fuerit à tempore Nicæni I) sunt valde notanda: ipse episcopus Constantinopolit. depositus sententiâ episcopi Romani; patriarcha Alexandrinus, Cyrillus, agit ut delegatus episcopi Romani, cum omni subordinatione: consentit Antiochenus; omnes Ecclesiæ eminentiores et orientales, clarè apparent subditæ: ipsum Concilium œcumenicum agnoscit in se Pontificis auctoritatem.

S. Vincentius Lirinensis (an. 434), Commonit. adv. hæres., c. 6 (Migne L. 645): « Cum ergo undique ad novitatem rei omnes reclamarent ..., Papa Stephanus, Apostolicæ Sedis antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen pro cæteris restitit, dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantùm fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat."

S. Petrus Chrysologus episc. Ravennæ (an 449), epist. ad Eutychem (Orientalem hæreticum) c. 2. (Migne LIV. 743): « In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ à beatissimo papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propriâ sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem."

S. Leo Magnus, sermo 3 (al. 2) c. 3 & 4 (Migne LIV. 146), postquam retulit verba Christi: Tu es Petrus, &c., addit: « Manet ergò dispositio veritatis, et B. Petrus in acceptâ fortitudine petræ perseverans, susceptæ Ecclesiæ gubernacula non reliquit. ... Cujus in sede suâ vivit potestas, et excellit auctoritas ... In personâ hujus-

litatis meae ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodiâ perseveret, et cujus dignitas etiam in indigno haerede non deficit ... Quem non solum hujus Sedis praesulem, sed et omnium episcoporum noverunt esse primatem." – cf. Serm. 5 (al. 4) n. 4 (ib. 155).

Concilium oecumen. Chalcedonense (an. 451), majus numero quam omnia alia oecumenica in primis Ecclesiae saeculis (circiter 600 Episcopi aderant, et ferè omnes ab Oriente) splendidum affert argumentum (praesertim contra Schismaticos orientales qui prima illa Concilia venerantur), quod sic potest efferri (Cf. Ellies, ministrum anglicanum conversum, "The throne of the Fisherman" p. 9, segg. : p. 505, segg. ; p. 531, segg.) :

Nullus Rom. Pontifex tam aperte, tam saepe vindicavit suae Sedi primatum jurisdictionis, quam S. Leo Magnus; et Conc. Chalcedonense id plane cognovit. Jam verò Concilium non modò non reclamavit, sed clarissimis dictis & factis Leonem in hoc probavit. – Ergo.

Breviter evolvamus argumentum. – S. Leo, ut alia plura omittam, haec scribebat, quinque annis ante Concilium, ad Anastasium, Episc. Thessalonicensem, in ipsa epistola, qua conferebat ei auctoritatem in metropolitanos et episcopos, ut vices Apostolicae Sedis impleret in Oriente, (epist. 14. c. 11, Migne LIV. 676) : " Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit : et haec connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipuè exigit concordiam Sacerdotum (scil. Episcoporum). Quibus cùm dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis : quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cùm omnium par

esset electio, uni tamen datum est ut ceteris praemineret. De quâ formâ, Episcoporum quoque est orta distinctio, et magnâ ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et nonnulli quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent amplioren, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluerel, et nihil usquam à suo capite dissideret.»

Notio seu conceptus primatûs jurisdictionis, qualem ibi et alibi S. Leo evolvit, est eadem ipsa notio, quam nos Catholici habemus. Insuper ejus dictis concordabant facta. — Ante Conc. Chalced., cùm jam damnasset Eutychem Flavianus episc. Constantinop. (a. 448), et Eutyches Romam appellavisset, S. Leo scribens Flaviano (ep. 23., Migne ibid. 731), de ejus silentio conqueritur additque: «Facti tui volumus nosse rationem, et usque ad nostram notitiam cuncta deferri»; atque iterùm postulat ab eo, ut sibi «plenissime et lucide universa, quod ante facere debuit, indicare festinet.» — Deinde, imperatore Theodosio II. protegente, Eutychianismus asserlus est in conciliabulo quod «Latrocinium Ephesinum» vocatus est. Cùm plures episcopi, qui latrocinio ephesino interfuerant, pœnitentiam egissent atque Leonis communionem flagitassent, Leo (ep. 81-95) Anatolio episc. Constantinop. (cujus electionem confirmaverat, epist. 69, 104) conditiones prescribit, sub quibus episcopi illi lapsi recipi possunt ab ipso et Apostolicæ Sedis legatis. (Cf. Hurter Thes. 77., n. 517). — Tandem habetur Concilium Chalcedonense, præsidentibus legatis Rom. Pontificis: in actione 1ª, statim ab illis Legatis denuntiatur Dioscorus patriarcha Alexandrinus, quod inconsultâ Romanâ Sede

et hinc contra jus et usum, generale Concilium convocare eique praeesse sit ausus (nempe latroc. Ephes): proin non inter Patres judex, sed in medio ut reus sedere jubetur; Act. 3ª, ex Leonis sententia à Praesidibus pronuntiatur depositus, acclamante Patrum choro. Act. 2ª, epistola Leonis de quaestione dogmatica Incarnationis legitur ut norma fidei, &c.

Videamus nunc Conc. illud oecum. Chalcedonense quid de Primatu senserit. — In actione 2ª, audita Leonis epistola, exclamant Patres: « Petrus per Leonem locutus est: » successionem B. Petri in Rom. Pontifice praeclarè exprimentes, simulque venerantes ejus auctoritatem (Pariter dicent postea Graeci in conc. oecumen. VI act. 18: « Per Agathonem Petrus loquebatur. »). — Deinde in epistola synodica Concilii ad Papam (Migne inter opp. Leonis, LIV. 951) clarissime affirmatur Primatus: « Vocis B. Petri omnibus constitutus interpres . . . (Nobis in Concilio congregatis) « sicut membris caput, praeeras (ἡγεμόνευες, vox jurisdictionem planè significans) in his qui tuum tenebant ordinem » scil. in personâ tuorum legatorum. Cùm loquens de sceleribus Dioscori, patriarchae Alexandrini, Concilium ait: « In vineam irruens, quam optimam reperit plantationem, evertit... Et post haec omnia, insuper et contra ipsum, cui vineae custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam, i.e. contra tuam quoque dicimus Sanctitatem » Et in fine: « Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium. » Et postulat « eorum quae gesta sunt firmitatem » (βεβαίωσίν τε καὶ συγκατάθεσιν: « nous te faisons connaître tout ce que nous avons fait, afin que tu le confirmes et que tu y donnes ton assentiment », Héfélé, hist. des Conc. t. 3, p. 14[illegible]). Quid majus de primatu jurisdictionis dici poterat ab aliquo oecumen. Concilio?

[illegible] LIV. — 2.

Concludamus igitur cum Bossuetio, 1re. instruct. pastorale sur les promesses de l'Eglise, n. 32 : « Il ne faut qu'un peu de bon sens et de bonne foi pour avouer que l'Eglise catholique tire son origine d'en haut pour une marque de son unité sa communion avec la chaire de St. Pierre, dans laquelle tous les autres sièges ont gardé l'unité : in qua sola unitas ab omnibus servaretur, comme parlent les Pères : en sorte qu'en y demeurant, comme nous faisons, sans que rien ait été capable de nous en distraire, nous sommes le corps qui a vu tomber à droite et à gauche tous ceux qui se sont séparés eux-mêmes ; et on ne peut nous montrer par un fait positif et constant, comme il le faudrait pour ne point discourir en l'air, que nous ayons jamais changé d'état, ainsi que nous le montrons à tous les autres. Dans cet inviolable attachement à la chaire de St. Pierre, nous sommes guidés par la promesse de J.-C... Le ministère de Pierre est devenu ordinaire, principal et fondamental dans toute l'Eglise. Si les Grecs se sont avisés dans les derniers siècles de contester cette vérité, après l'avoir confessée cent fois, et l'avoir reconnue avec nous, non point seulement en spéculation, mais encore en pratique, dans les Conciles que nous avons tenus ensemble durant 700 ans ; s'ils n'ont plus voulu dire comme ils faisaient : « Pierre a parlé par Léon ; Pierre a parlé par Agathon ; Léon nous « présidait comme le chef préside à ses membres ; « les saints canons et les lettres de notre père Célestin « nous ont forcés à prononcer cette sentence », et cent autres choses semblables : les actes de ces Conciles qui ne sont rien moins que les registres publics de l'Eglise catholique, nous restent encore en témoignage contre eux, et l'on y verra éternellement l'état où nous étions en commun dans la foi et dans l'origine de la religion. »

Etiam saeculo IX, Ignatius episc. Constantinopol. ad Papam Nicolaum I scribebat (Migne CXXIX. 60), citatis verbis Christi, Tu es Petrus, &c.: « Tales beatas voces non secundùm quamdam utique sortem Apostolorum Principi solùm circumscripsit et definivit (Christus), sed per eum ad omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi erant summi pastores et divinissimi sacrique Pontifices senioris Romae, transmisit. » — Dicit « senioris Romae », ut eam distinguat à Constantinopoli, quam urbem Constantinus voluerat « novam Romam » appellari, quandò illuc transtulit Romani imperii sedem.

Multa alia Traditionis testimonia habes apud Allnatt, « Cathedra Petri »; — cf. Hurter, Opusc. selecta Patrum, t. 10, praefatio in S. Optat., p. 20 seqq.

Scholion I. De exercitio Primatûs in primis saeculis, et agnitione ejus practicâ.

Jam aliquid de hoc diximus in thesi, siquidem non pauca ex allatis testimoniis vel continentur in epistolis Pontificum, negotia quaedam in variis Ecclesiis disponentibus pro supremâ ipsorum jurisdictione, vel alludunt ad facta in quibus ille primatus exercetur. Nihilominùs ex historia ecclesiastica posset nova quaedam thesis colligi, innumera ejusmodi facta exhibens. Habes eam in P. Hurter, nempe thesim 77. Nos ejus tantùm afferemus compendium, deficiente tempore:

1°) 1ª classis factorum, Consultationes. Scilicet Romanum Episcopum consulebant alii episcopi in ipsorum negotiis, non solùm vicini episcopi, sed universim occidentales, imò et orientales: nec solùm episcopi singuli, sed etiam Synodi. —

Sæculo III, exemplum habes Dionysii Alexandrini, consulentis Xystum II (obiit a. 258); verba ejus referuntur ab Eusebio, hist. eccles. l. 7. c. 9. (Migne XX. 654). Post tempora persecutionum, consultationes illæ potuerunt esse frequentiores: quantâ fuerint frequentiâ, ostendunt verba S. Hieronymi, epist. 123 ad Ageruchiam n. 10 (Migne XXII. 1052): « Cùm in sacris ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem, » &c. Et adverte, Hieronymum loqui de brevi tempore (an. 382-384) quo Romæ apud Damasum vixit. — Neque objicias, quosdam Doctores Ecclesiæ, ut Aug., Basil., Hieron., fuisse etiam consultos. Nam consulebantur non propter Sedem suam, sed propter personalem sapientiam, ideò successores eorum non consulebantur: nec consulebantur ab integris synodis. (Hunter l. c.).

2°) Recursus ad Rom. Pontificem ad controversias solvendas, pacem restituendam, &c. — Sic sæc. II. S. Polycarpus, discipulus Joannis Apostoli, episc. Smyrnensis, ex Oriente Romam venit, ut cum Aniceto Papa conferret de quibusdam controversiis: teste S. Irenæo ejus discipulo, in epist. quam scripsit ad Victorem Papam, citata ab Eusebio l. 5. c. 24 (Migne XX. 507), cf. et Eusebium l. 4. c. 14. — Eodem sæculo, teste Euseb. l. 5. c. 3, martyres Lugdunenses dùm essent in carcere scripserunt ad Eleutherum papam, pro pace ecclesiarum Asiæ, cum quibus communicabant per epistolas, quæ ecclesiæ tunc turbabantur dissensionibus occasione Montanismi. — Sæc. 3°, S. Cyprianus ep. 67 (Migne III. 990) S. Stephanum Papam rogat ut intervenial contra Marcianum, Arelatensem episcopum Novatiano addictum, et procuret electionem alterius episcopi. — Sæc. 4°, plurimi epis-

copi Aegyptii in causâ Athanasii ad Julium scribunt (Cf. Apologiam S. Athanasii, Migne XXV. 251, 279, 282), Liberius ep. 3. ad Constantium imperatorem, n. 2., testatur ad se recurrisse, non solùm 80 episcopos aegyptios pro Athanasio, sed etiam episcopos Orio faventes contra Athanasium (Migne VIII. 1352). S. Basilius (ep. 70, Migne XXXII. 434) Damaso (an. 371) exponit statum Orientis, et postulat ejus «visitationem» ut «unicum remedium malorum»; et simul S. Athanasium monet (ep. 69. n. 1., il. 431) se "ad episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat, ... ut ipse hoc negotium propriâ auctoritate disponat" αὐτὸν ἀνθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα. — Item episcopi Orientales à Damaso postulant ut deponat Timotheum, cf. Damas. ep. 9. (Migne XIII. 370): — Sc. Sc. apud Hurter ib.

3°) Appellationes ad supremam Rom. Pontificis judicium, factae ab episcopis et aliis, qui in Synodis fuerant depositi. — Sic appellavit Basilides, episc. Legionis in Hispania, à Conc. provinciali depositus, circa an. 251: teste S. Cypriano cum Conc. Carthagin. (ep. 68, al. 67, n. 5, Migne III. 1028). — Item Privatus episc. Lambesitanus (à concilio 90 episcoporum damnatus, circa an. 250, teste S. Cypr. ep. 55 ad Corn. n. 10, Migne III. 810): nam ut constat ex epist. cleri romani ad S. Cyprian., inter hujus epist., ep. 30 al. 36, n. 4 (Migne IV. 306), ipse appellavit ad Ecclesiam Romanam sede vacante, neque ab eâ obtinuit quod injustè desiderabat. — Cf. exempla allata, supra p. 396, 397, S. Athanasii episc. Alexandr., S. Chrysostomi episc. Constantinop., et aliorum. — Doctissimus Theodoretus, in concilio (seu potius «Latrocinio») ephesino à Dioscoro depositus, epist. 113 (Migne LXXXIII. 1315) scribit ad S. Leonem Papam: "At ego Apostolicae vestrae Sedis expecto sententiam, et oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi ad

rectum ac justum tribunal vestrum provocanti opem ferat", &c. – De Flaviano Constantinop. Romam hinc pariter appellante Valentinianus imperator haec scribit ad Theodosium imper., inter epist. S. Leonis 55ª (Migne LIV. 859): « Debemus ... dignitatem propriae venerationis B. Ap. Petro inhaerentem et in nostris temporibus conservare; quatenus beatissimus Romanae civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide et sacerdotibus judicare ... Constantinop.ⁱⁿ episcopus eum per libellos appellavit", &c. – Cf. multa alia apud Hawker l.c.; – Hewick, the Primacy, p. 1., c. 15, « Appeals »; – Christ. Lupum, in lib. cui titulus: « Divinum ac immobile S. Petri circa omnium sub coelo fidelium ad Romanam ejus Cathedram appellationes assertum privilegium. » – Et adverte quod in ejusmodi causis sape Rom. Pontifices non solum episcopos suâ sede pulsos, sed et ipsos judices ad suum citabant tribunal ad reddendam rationem. Sic teste Theodoreto, hist. eccles. l. 2. c. 3 (Migne LXXXII. 995), « Julius, ecclesiasticam sequens regulam, et ipsos (Eusebianos episcopos qui Athanasium damnaverant) Romam venire jussit (ἐκέλευσε), et divino Athanasio ad judicium diem dixit (εἰς τὴν δίκην ἐκάλεσε). Qui simul ac citationem (τὴν κλῆσιν) accepit, in viam quam primum se dedit (an. 341), &c. »

4°) Communionem Romanae Sedis obtinere conabantur ii, qui etiam in remotis regionibus fuerant excommunicati, ut ita per supremam auctoritatem in catholicam Ecclesiam reintegrarentur. – Sic Marcion, ob turpe stuprum excommunicatus ab ipso suo patre, Episcopo Sinopensi ad Sextum Eucainum, « Romam post Hygini papae obitum sese contulit (an. 142) », et à clero Romano,

sede vacante, "ut in communionem admitteretur, frustra petiit", ut narrat S. Epiphanius, haeres. 42 n. 1 (Migne XLI. 695). — Item Montanistae hypocrisi suâ litteras communionis extorsisse videntur à Rom. Pontifice, qui eas tamen Praxea suadente revocavit: teste Tertulliano jam haeretico, contra Praxeam c. 1. (Migne II. 155): "Nam idem (Praxeas) hunc episcopum romanum (probabiliter Victorem 183-202)... coegit et litteras pacis revocare jam emissas, &c." — Pariter schismatici illi Africani, de quibus an. 252 scribebat Cyprianus: "Navigare audent ad Petri cathedram", &c., cf. locum supra p. 392. — Alia apud Hurter ibid.

Omittimus exempla eorum (ut Origenis, Dionysii Alexandrini, &c.) qui fidei suae in suspicionem adductae apologiam fecerunt coram Romanâ sede, quia haec potiùs ad magisterium Rom. Pontificis pertinent (de quo in tract. de Ecclesia): sicut et damnatio errorum et haeresaeon.

5°) Leges disciplinae generalis, etiam pro Oriente, ferebat Rom. Pontifex, verâ potestate coactivâ. — Ita Victor, saeculo II, cùm jam à tempore Apostolorum vigerent disciplinae diversae circa tempus celebrandi Pascha (Orientalibus Ecclesiis plerisque eadem die celebrantibus quâ Judaei, Occidentalibus verò die diversa, et semper die Dominicâ), uniformitatem statuere voluit; quare injunxit episcopis Asiae, ut factis synodis acceptarent hunc Occidentalium morem, minatusque est eis excommunicationem in casu resistentiae: neque ejus minae habitae sunt tanquam jurisdictionis alienae usurpatio, vel tanquam inania verba, ut apparet ex ipsis Orientalium reclamationibus: sed tantùm executionem impedire conati sunt repraesentationibus et argumentis, quibus suam disciplinam defendebant ut apostolicam et à

praecedentibus Romanis episcopis tolleratam. Haec omnia constant ex narratione Eusebii, Hist. eccl. l. 5. c. 23 et 24 (Migne XX. 490 segg.) S. Irenaeus, qui et ipse sentiebat de Paschate sicut Rom. Pontifex, tamen intercessit pro Ecclesiis Asiae non excommunicandis. "Victorem decenter admonet (ait Euseb. ibid.), ne integras Dei Ecclesias, morem sibi à majoribus traditum custodientes, à communione abscindat." Si Victor in hac excommunicatione severior et imprudentior fuisset, nihil contra nos; caeterùm quoad ipsam rem intentam, sapientiam ejus comprobavit postea Concil. oecumen. Nicaenum I, dum haereticis annumeravit Quartodecimanos, qui persistebant in celebratione Paschae eodem die quo Judaei. "Haereticos" dixit, vel sensu lato, vel quia id observabant affectu judaico, quasi lex Mosaica salten in hoc adhuc obligaret. Erat ergò in hac re non tantùm uniformitatis defectus notabilis, sed etiam aliquod periculum fidei. Cf. Hewick p. 1. c. 10. n. 2; D. de Smedt, Dissertat. selectae, diss. 2., c. 5. — Huc pertinet cura quam habuit Sedes Romana quotannis indicendi universae Ecclesiae tempus celebrandi festa paschalia. Testis est synodus Arelatensis (an. 314), ad Silvestrum Papam: "De observatione paschae Domini, ut uno die et uno tempore per omnem orbem à nobis observetur, et juxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas." (Can. 1.°; Hefele, K. I. p. 180).

6.°) Cura ecclesiarum pauperum etiam in dissitis regionibus, et quamvis ipsi Romani essent tot persecutionibus obnoxii, apparet in Romanis Pontificibus ex testimonio saeculi II., scil. S. Dionysii episc. Corinthiorum scribentis ad Ecclesiam Romanam (apud Euseb. hist. eccl. l. 4. c. 23, Migne XX. 387): "Haec enim vobis consuetudo est jam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficio

rum genere officiatis, et Ecclesiis quamplurimis, quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria sitæ subsidia transmittatis; et hâc ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum fratribus qui in metallis opus facient (« Chrétiens condamnés aux mines ») necessaria suppeditatis: per hæc quæ ab initio transmittere consuevistis munera, morem institutumque Romanorum à majoribus vestris acceptum Romani retinentes. Atque hunc morem beatus episcopus vester Soter non servavit solùm, verùm etiam adauxit: tum munera sanctis destinata copiosè subministrans, tum fratres peregrè advenientes tanquam liberos suos pater amantissimus beatis sermonibus consolando.» — Item, sæc. III, S. Dionysius episc. Alexandrinus in epist. ad Stephanum Papam (apud Eusel. l. 7. c. 5, Migne XX. 643): « Syriarum provinciæ omnes cum Arabia, quibus identidem necessaria suppeditatis...»

Institutio vicarii representantis S. Pontificem in Oriente, confirmatio electionis episcoporum, confirmatio decretorum ipsius Concilii œcumenici, sunt alia facta quorum exemplum vidimus in S. Leone Magno, supra p. 408, seqq.: nec vacat, alia dare exempla. — Missio legatorum ad restituendam pacem ex auctoritate Rom. Pontificis, habet exemplum sæculo I in Clemente Rom., supra p. 386.

Scholion II. Ad solvendas objectiones.

1°) Objiciunt: — « Facta et testimonia, quæ afferri solent, explicari possent de illa jurisdictione, quæ in episcopo Romano à Schismaticis orientalibus aliisque agnoscitur, quâ est patriarcha Ecclesiæ occidentalis.» — Resp. Neg.; post tot facta et testimonia à nobis allata (in thesi et scholio I) ex ecclesiis præsertim orientalibus, atque

etiam ex primariis inter eas, scil. Alexandrina, antiochena, constantinop.« Facta allata probant (ut ait Hurter l.c.), nullum esse fere jus alicujus momenti, quod Romani Episcopi in occidentali exercuerunt Ecclesiâ, quod non etiam pro temporum adjunctis, universa Ecclesia suffragante, in Ecclesiâ orientali exercuerint.« — Jam ita respondebat Rabbanus c. opposita græcorum, l. 4. c. 8. (Migne CXXI. 334, segg.)

2°) Ut admittant Primatum Romani Pontificis, nollent aliqui ejus exercitium tale omnino inveniri in historia primorum sæculorum, quale videmus hodie apud catholicos. — Ut ista non est rationabilis exigentia. Nam a) distinguendum est, in omni institutione, inter substantiam ejus, et inter ea quæ accidentalia sunt, vel pertinent ad integritatem, sed possunt abesse salva substantia (ut in corpore humano). Substantiam primatûs jam extitisse ab initio Ecclesiæ, satis superque probant documenta à nobis allata: et hoc sufficit. — b) Exercitium supremæ potestatis nec est quid continuum, nec habet tempora regulariter determinata, sed pro adjunctis debet apparere magis minusve frequenter. Quare »Sicut reges potestatis suæ plenitudinem non exserunt nulla urgente necessitate...: ita necesse non est, ut Romani Episcopi, quo Ecclesiæ primates haberi possint, cujusvis sæculi anno vel anni mense quovis in orbis angulo omnem suam exserant auctoritatem. Immeritò ergò postulatur, ut tam continuum potestatis exercitium demonstretur. Sicut autem regia majestas et prærogativa in causis negotiisque gravioribus se prodit, ita quoque Romani Episcopi primatum videmus in causis Ecclesiæ majoribus maxime effulsisse.« Hurter l.c. — c) »Ordo supernaturalis externaque Ecclesiæ facies plurimùm (ut multis exemplis ostendi

potest) ab ordine naturali pendet; ut anima, in suis functionibus, à corporis valetudine. Hinc ratio redditur, quare, persecutionum, bellorum, turbarum &c. tempore, minus resplenderat Primatus, effulgeat verò magis tempore pacis sub imperatoribus piis (sicut ipsa Ecclesia, si externum spectes splendorem): nam et sol, in se alioquin sibi semper idem, non eumdem quavis tempestate emittit splendorem. Quinque modo (in nostra aetate) maxime expeditum sit commercium sociale inter populos vel remotissimos, mirum quoque esse non debet, si primatus fastigium suum attigit, quod attinet ad ejus munus revocandi ad unitatem, qui sunt undique pastores et oves." Hurter ibid. — d). "Sicut temerarii forent, qui reges antiquorum populorum regiâ carnisse auctoritate assererent, eò quòd antiquitas de hujus potestatis exercitio saepe sileat (idcirco enim silet, quia vel per se id intelligitur, vel quia monumenta, quibus illorum regum gesta consignata fuere, perierunt): ita immeritò exigunt adversarii, ut veterum pontificum gesta in medium proferantur. Ex legitimorum successorum agendi ratione, quam universa probavit Ecclesia, jure colligimus praedecessorum agendi rationem vel saltem agendi jus. Ceterum pulvis antiquitatis monumenta periere; ex paucis verò quae supersunt, satis ut vidimus colligitur Romanorum pontificum primatus." Hurter l.c. — e). Sicut quoad dogma, Deus revelatione sua posuit principia fidei, ut multas inde conclusiones reliquit humano ingenio paulatim deducendas: ita quoad disciplinam, Deus revelatione suâ instituit gubernium Ecclesiae ipsumque Primatum, ut multas illius gubernii Primatisque applicationes et derivationes reliquit successu temporum faciendas. Et generatim "sicut in ordine naturali omne corpus organicum et vivum, in ordine sociali societas quaelibet, in ordine logico

quodlibet veritatum systema, in ordine supernali ipsa justificatio, in ordine revelationis ipsa veritatis revelatae intelligentia, ac generatim ipsa Ecclesia, habet sua stadia explicationis et consummationis: ita et Primatus .... Romani Pontifices temporum cursu nonnulla exercuerunt jura explicite, quae implicite, ac veluti in semine, latebant in Primatu: sicut etiam in homine saepe latent vires, subinde mirae, quae nonnisi certis in adjunctis, urgente necessitate excitantur et actuantur, et ad vitae conservationem, augmentum, perfectionem sunt vel necessariae vel perutiles." (Hunc.) Hoc passim inculcant theologi catholici, ut Card. Hergenröther, Anti-Janus, § 7, p. 70, segg.; Andries (Audis) Petra Romana, p. 2. diagn. 2, Sc. Adrem De Maistre in l. Esprit générateur: "C'est une pitié de voir d'excellents esprits se tuer à prouver par l'enfance que la virilité est un abus; tandis qu'une institution quelconque adulte en naissant est une absurdité au premier chef, une véritable contradiction logique." — Hurter l.c.

3°) Igitur quamdam evolutionem in potestate ecclesiastica concedimus: at non talem ac tantam, ut essentialiter transformata sit; talem fingunt nostri adversarii, ut Renan supra p. 25, Haque cum essentia à Christo posita sit, ipsaque maneat sub illa evolutione, Primatus qualis est post illam evolutionem remanet simpliciter divinum institutum, seu de jure Divino. Discrimen enim inter divinum et humanum institutum non sta ex parte historicae evolutionis, quae potest apparere eadem in utroque, sed ex parte primae institutionis: atqui Scriptura et Traditione in libris precedentibus probatum est, primam institutionem Primatûs à Christo esse, et quidem veri primatûs jurisdictionis, de natura autem talis primatûs est, quia jurisdictionis

tas particulares potestates comprehendit, ut varias applicationes et derivationes virtute contineat: proinde eas Christus ipse virtualiter posuit. Et sophisticum est dicere cum Protestantibus aliisque: "Primatus varia habuit stadia evolutionis: ergo humanum est institutum." — Transformationem autem non fuisse substantialem (qualis fuisset, si Christus et Apostoli proclamavissent omnes Episcopos aequales, et deinde usurpatione et fraude hominum fuisset introducta inaequalitas), probatur tum a) ex nostris argumentis supra, quae ipsi Christo institutionem Primatûs adscribunt, tum b) ex historicâ et practicâ impossibilitate quod tanta mutatio admitteretur ab omnibus Ecclesiis absque controversiis &c; cf. de hoc arg. Card. Mazzella n. 933, et quae diximus supra p. 26; et p. 387, 388.

4°). Canon 6us Conc. oecum. Nicaeni I (an. 325) magnis controversiis locum dedit. Sublata obscuritate quae ex quibusdam antiquis latinis versionibus et additionibus orta erat, et sumpto solo textu originali graeco, clarè apparet a) Patres Nicaenos, postquam per canonem IIIum agnoverant auctoritatem Metropolitanorum in Episcopos unius provinciae, nunc per 6um agnoscere et conservare velle in episcopo Alexandrino (pariter in Antiocheno) quamdam auctoritatem ipsis ordinariis Metropolitanis superiorem, et plures provincias comprehendentem, quae auctoritas postea dicta est "Patriarchalis". — b) Ut suum decretum fulciant, Patres vbiter commemorant jus simile, scilicet Patriarchale, in episcopo Romano: ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν: "siquidem et episcopo Romano hoc consuetum est." (Hefele, t. I. p. 378). — c) Nihil praeterea de Rom. Episcopo addunt, nec de ejus Primatu in universam Ecclesiam loquuntur. — Ex hoc silentio arguunt nonnulli contra nos: Patres Nicaeni de-

buissent Primatum ibi proclamare, si illum agnovissent. Alqui non proclamaverunt: ergo. - Resp. Nego M.aj. - Concilii finis præcipuus, efflagitante Constantino imper., erat, ut pax Ecclesiæ redderetur. Atqui pax graviter turbabatur, inter alia, Schismate Meletiano, quare Concilium hanc quæstionem sedulò tractavit, ut apparet etiam ex ejus epistola synodica ad episcopos Ægypti (apud Socratem, Hist. eccl. l. 1. c. 9. Cf Hefele t. I. p. 343). Jam verò episcopus ægyptius Melelius auctoritatem patriarchæ Alexandrini rejiciebat, cum 28 Episcopis sibi subditis, lege ipsi æqualem contendebat. Ideò necesse erat Concilio prærogativam episcopi Alexandrini in Ægypto, Lybia et Pentapoli, solemniter asserere; nulla verò ibi urgebat necessitas asserendi Primatum Rom. Pontificis, quæ erat quæstio prorsùs diversa, et ad rem præsentem non spectans. "Patribus Nicænis (ait Roskovany, de Primatu § 36) non id fuit consilii, omnem omninò Romanæ urbis Episcopi auctoritatem explicare; verùm dumtaxat, exemplo à Romanæ urbis Episcopo velut Patriarcha petito, ostendere, nil præter ordinem et consuetudinem Episcopo Alexandrino concessum haberi... Fidelibus necessum non erat, notitiam de Primatu Rom. Pontificis nunc primùm infundere, quam quippe longe antea habebant" (ut patet ex testimoniis nostræ thesis), "et de quâ nulla tunc erat controversia. Sanè verò quam maxime intererat, Conciliari mucrone ferire temerarios Meletii ausus, unitati Ecclesiæ perniciosos." - Et Hefele t. 1. p. 386: "Il ne faut pas oublier que le pape réunit en lui plusieurs dignités ecclésiastiques: il est évêque, métropolitain, patriarche et enfin primat de toute l'Eglise. Chacune de ces dignités peut être envisagée à part, et c'est ce que fait notre canon: il ne considère pas le pape comme primat de l'Eglise universelle ou comme

simple évêque de Rome, mais il le considère comme l'un de ces grands métropolitains (patriarches) qui avaient plusieurs provinces ecclésiastiques sous leur juridiction."

Imò aliquod indirectum argumentum potest ex illo canone 3i Concilii derivari pro Primatu: sic doctor Maassen (Der Primat des Bischofs von Rom und die alten Patriarchalkirchen) arguit (apud Hefele, t. I. p. 392): "Pourquoi, dans leur décret, ont-ils pris pour exemple la constitution du patriarcat romain? Pourquoi ne se sont-ils pas contentés de rédiger leurs décrets sans rappeler cette analogie?... Leur propre sentiment sur l'utilité de l'institution des patriarcats ne leur parut pas suffisant pour motiver leur décret, ils ne voulurent pas présenter à l'approbation du pape ces décrets confirmant d'une manière absolue les privilèges des métropolitains supérieurs. Ils aimèrent mieux rappeler que l'évêque de Rome jouissait déjà de la même situation; c'était faire implicitement approuver ce décret par le pape, que de montrer à Rome une institution analogue à celle que l'on voulait établir. En se réservant un certain nombre de provinces pour s'en occuper d'une manière plus particulière, le pape n'a-t-il pas montré par là que l'on devait agir de même pour d'autres Eglises? Son initiative ne laisse-t-elle pas voir qu'il trouve bon de céder à d'autres évêques une partie de la puissance qui lui revient exclusivement en sa qualité de 1er pasteur de l'Eglise universelle? L'évêque de Rome a donc été, à proprement parler, le fondateur de l'institution des patriarcats (c.-à-d. qu'il a donné à certains patriarches une partie du pouvoir qui lui revenait sur l'Eglise universelle). Il a lui-même tracé la marche à suivre, et c'est là le motif fourni par les Pères de Nicée pour justifier leur ordonnance. Peut-on s'étonner ensuite que

l'antiquité la plus reculée ait vu dans ce canon un témoignage ... en faveur de la primauté, ainsi que le dit le pape Gélase Ier dans Hardouin (II. 959)?"

5°) Concilium Sardicense (an. 343) non creavit (sed agnovit) jus appellationis ad Rom. Pontificem, multò minùs creavit Primatum in genere: cf. supra p. 395, segg.

6°) Conc. Constantinop. I. (oecumen. II, an. 381) hunc habuit canonem 3um: « Constantinop.e civitatis Episcopum habere oportet prærogativas honoris (τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς) post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma." — Ignoramus hunc canonem 1°) meri historicè, ut exhibentem sententiam hanc multorum in Oriente. Hæc dicentes, num. negabant Primatum Romani Pontificis? Minimè. Etenim α) hic non agitur de Primatu in universam Ecclesiam, de hac quæstione præscinditur: agitur de ordine sedium patriarchalium, et consideratur Rom. Episcopus ut Patriarcha: nam eadem vox hic adhibetur (τὰ πρεσβεῖα) quæ in Nicæno can. 6. supra citato adhibita fuerat ad designandam illam dignitatem quarumdam Ecclesiarum supra ipsos Metropolitanos, quæ postea "patriarchalis" vocata est. β) Episcopus Constantinop. non æquatur Romano, sed expressè ponitur "post" eum. — Sensus illius "post" est obvius et clarus, et intellectus est suo tempore et à prioribus Græcis sicut à nobis, quamvis Græci recentiores voluerint illum cavillationibus obscurare. « Beaucoup de Grecs (ait Hefele, hist. des Conc., t. 2 p. 204) ont voulu prouver, par ce canon, que l'évêque de Constantinople avait été proclamé légal, sous tous les rapports, de l'évêque de Rome, et ils soutiennent, pour y parvenir, que, dans ce canon, la préposition "après" n'indique que la postériorité du temps. Mais déjà au moyen-âge le commentateur grec Zonaras avait rendu sur ce point hommage

à la vérité, en reconnaissant que cette explication n'était pas fondée, et en ajoutant que dans sa Novelle 130 du 5e livre du 3e titre de ses Institutions impériales, l'empereur Justinien avait reconnu la supériorité du siège de Rome sur celui de Constantinople." – Si nunc istum canonem spectamus 2°) theologice et juridicè, quærentes utrùm habeat valorem canonis alicujus Concilii œcumenici: negandus est ejus valor. Nam a.) Romani Pontifices nunquam approbaverunt, imò ab initio rejecerunt hunc canonem (et quosdam alios disciplinares ejusdem Concilii). "Photius (ait Héfélé t. 2. p. 216) prétend que le pape Damase approuva peu après ce 2e concile œcuménique; mais... cette approbation du Pape ne portait que sur le symbole (scil. Symbolum, quod in Missâ recitamus), et non pas sur les canons. ... S. Grégoire le Gd, confirmant ce que S. Léon avait dit, écrivait dans une de ses lettres (l. 7, epist. 34): « Romana autem Ecclesia eosdem canones vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accepit; in hoc autem eam accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. » – Ratio autem, cur hunc canonem non acciperet Ecclesia Romana, non fuit, quia Primatui adversaretur (nam ei per se non adversatur, ut probavimus); sed quia, perturbans ordinem constitutum à magno Concilio Niceno can. 6., eveheret episcopum Constantinop. supra patriarchas Alexandriæ et Antiochiæ: nam expressè S. Leo istum canonem (postea renovatum) damnat eo quod « secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit » (Epist. 106 ad Anatolium episc. C. P., c. 2; Migne LIV. 1003): neque usquam queritur, quòd suo Primatui iste canon adversetur. Ceterùm b.) confirmatio Romani Pontificis, quæ semper necessaria est ad valorem œcumenicum alicujus decreti, eò magis in casu erat necessaria, quòd illud

Concilium ut meri Orientale fuerat à Theodosio imper. convocatum, et convenerunt in eo soli Orientales (150 episcopi): unde non potuit œcumenicum dici, nisi accedente postea assensu Occidentalium ac præsertim approbatione Romani Pontificis: sed hic assensus et approbatio non in omnia Concilii gesta se extendit. Imò nonnisi post multos annos Concilium illud fuit positum in eadem lineâ ac Nicænum, sive apud Latinos, sive apud ipsos Græcos, cf. Hefele t. 2. p. 216.

7°) In Concilio Chalcedonensi, œcum. 4° (an. 451), 200 Episcopi Orientales (ex 600 vel 630 Patribus Concilii), jam non præsentibus Legatis Romanæ Sedis (qui Actione sequente de fraude conquesti sunt), subscripserunt huic canoni 28°: « Sanctorum Patrum decreta ubique sequentes, et canonem, qui nuper lectus est, 150 Episcoporum agnoscentes (scil. canonem 3^m Concilii Constantinop., de quo diximus in num. præced.), eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis (περὶ τῶν πρεσβείων) Ecclesiæ Constantinop. novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, eo quòd urbs illa imperaret, jure Patres privilegia (τὰ πρεσβεῖα) tribuerunt. Et eâdem consideratione moti 150 Episcopi (Conc. Constantin.) novæ Romæ throno æqualia privilegia (τὰ ἴσα πρεσβεῖα) tribuerunt, recte judicantes, urbem, quæ et imperio et senatu honorata sit et æqualibus cum antiquissimâ regina Româ privilegiis (civilibus) fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis non secùs ac illam (ὡς ἐκείνην) extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem (δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν); et ut Pontice et Asiane et Thracie Diœceseos Metropolitani soli, præterea Episcopi prædictarum diœcesum quæ sunt inter barbaros, à prædicto throno Constantinop. Ecclesiæ ordinentur », &c. (Textus græcus apud Hefele t. 3. p. 123). ——

Spectemus hunc canonem 1°) merè historicè: num est ibi testimonium historicum multorum Orientalium illius temporis contra Primatum? Minimè: sed hic praescinditur à quæstione Primatûs in universam Ecclesiam, et consideratur Sedes Romana quatenùs est Patriarchalis, et sub hoc tantùm respectu aliqua paritas instituitur inter utramque sedem. Hoc patet a) quia dicunt Patres Chalcedonenses se "eadem decernere" quæ Patres Constantinop. decreverant: atqui hi præscindebant à Primatu, ut in num. præcedente probavimus; — b) quia utuntur eadem voce τὰ πρεσβεῖα, quæ in can. 6° Conc. Nicæni (ubi primùm solemniter regulata est quæstio de metropolitanis superioribus, seu Patriarchis) significat, non Primatum jurisdictionis in totam Ecclesiam, sed privilegia omnium Metropolitanorum superiorum; — c) quia ipsi Chalcedonenses in fine canonis privilegium, de quo loquuntur, explicant de protestate ordinandi quosdam determinatos Metropolitanos inferiores, volunt ergò ut, sicut Episcopus Romanus, qua Patriarcha Occidentis (vel potius fortasse, qua exarchus seu primas Italiæ), solebat determinatos quosdam Metropolitanos ordinare, ita Episcopus Constantinop. determinatos quosdam ex vicinis ordinare posset, et in hoc ponebant paritatem; — d) quia dicunt Constantinopolim esse debere "secundam post illam (Romam)"; — e) quia in epist. Synodicâ quam jam citavimus (supra p. 410), Patres illi, cum ipso episcopo Constantinop. Anatolio, disertissimè profitentur primatum jurisdictionis in S. Leone Papa, tùm verbis claris, tùm etiam facto quia postulant confirmationem (βεβαίωσιν) suorum decretorum in genere, et in particulari illius decreti de Sede Constantinop.; quod etiam specialibus epistolis postulavunt Anatolius, et imperator, atqui ridiculum fuisset eumdem Primatum Rom. Pontificis simul asserere et negare;

– f.) quia ipse S. Leo M. ita intellexit canonem, ut dicimus. Nam ille Pontifex, qui summum Primatum in universam Ecclesiam ut jure divino institutum in B. Petro semper clarissimè propugnavit (cf. supra p. 403 seqq.), et in ipso illo Concilio manifestè exercuit, non conquestus est de sui Primatûs negatione. "Si hanc audaciam Græcorum vel advertisset vel saltem subodoratus fuisset, velle nempe Episcopum Byzantinum parem se facere Romano in Primatu quem in universam Ecclesiam obtinet, id aperte reprobasset, et veluti perniciosum scisma et manifestam hæresim damnasset; atqui in omnibus Leonis epistolis super hac re datis nulla exstat hujusmodi reprobatio aut damnatio . . . : Solùmque ipse queritur de violato canone Nicæno 6: quoad sedes Patriarchales, et de ambitione Anatolii." (Palmieri de Rom. Pont., Schol. post thes. X). – At saltem (objicies) testantur incidenter Patres Chalcedonenses, Primatum Romani Pontificis esse humanæ originis: "Antiquæ Romæ throno, eo quòd urbs ipsa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt." Resp. Nego assertum. Nam a) ex demonstratis, illa "privilegia" (πρεσβεῖα) nihil aliud sunt nisi specialia jura patriarchalia, quæ sunt revera humanæ originis, etiam in Rom. Pontifice, et per hoc valde differunt à Primatu in universam Ecclesiam, qui est juris divini: à quo Primatu præscindit ille canon. – b) Ibi aliquid asserit canon, quod est evidenter falsum historicè (unde si testaretur contra nos, ejus testimonium non esset admittendum). "Patres" illi, qui dicuntur "tribuisse" jura patriarchalia episcopo Romano, nequeunt esse nisi Patres Niceni: "Si dans la suite des temps on avait accordé à l'Eglise de Rome ces prérogatives ecclésiastiques (ait Hefele t. 3. p. 12 f.), il n'y aurait eu qu'un Concile général qui eût pu le faire, de même que 2 Conciles généraux ont accordé au siége de Constantinople

les privilèges dont il jouit." Jam verò Patres Nicæni, ut apparet ex eorum canone 6° (supra p. 423), nec "tribuerunt" aliquid Pontifici Romano, sed simpliciter videntur memorare quod ante ipsos "consuetum" erat, nec præsertim aliquid ei tribuerunt quia Roma erat urbs imperialis, nam minime ipsi afferunt hanc rationem in suo canone; neque affertur à Patribus anterioribus ad fundandum quodlibet jus in Episcopo Romano: sola ratio quæ afferatur à Cypriano aliisque, hæc est, quod ibi sit "Cathedra Petri". Cf. Hefele l.c., Palmieri l.c.; et testimonia allata in thesi. — Si canonem 28^m Chalced. nunc speclamus 2°) theologicè et juridicè, nullum habet valorem. Nam non solùm a) non fuit ei data confirmatio, quam ejus auctores à S. Leone Papa postulabant; sed b) S. Leo eum positivè rejecit et irritavit, scribens epist. 105 ad Pulcheriam imperatricem, c. 3. (Migne LIV. 1000): "Consessiones episcoporum (Chalced.), sanctorum canonum apud Niceam conditorum regulis repugnantes,.. in irritum mitti mus, et per auctoritatem B. Petri Apostoli, generali prorsùs definitione cassamus."; cf. epist. 114 ad Patres Chalced. (Migne ib. 1029) et ep. 104 ad Marcianum (Hefele p. 146, seqq.). c) Ipse Anatolius episc. C.P^{us} desorit istum canonem, saltem ore tenùs, et se excusavit, scribens ad S. Leonem de suâ obedientiâ" (inter epist. Leonis 132, Migne LIV. 1084), et addens: "De his autem quæ Constantinop^{ae}. gratiâ sedis sancita sunt in Chalced. nuper universali Synodo, pro certo Beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me, homine qui semper otium et quietem, in humilitate me continens, ab ineunte meâ ætate dilexerim, sed Constantinop^{ae} Ecclesiæ reverentissimus clerus est, qui hoc habuit studium..; cùm et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestræ Beatitudinis fuerit reservata." — d) Ipsi Græci

istum canonem non admiserunt communiter in suos libros usque ad tempora Photii (ut notat Döllinger in sua hist. eccl.). « Dans beaucoup de manuscrits des procès-verbaux du Conc. de Chalcédoine (cit Hefele, t. 3. p. 132), et non pas seulement dans des mss. latins, mais encore dans des manuscrits grecs et arabes, ce canon ne se trouve pas... Ainsi les collections latines de Denys le Petit et d'Isidore, et de même la Prisca, la collection grecque de Jean d'Antioche,... et la traduction arabe de Joseph l'Egyptien, ne renferment que 27 canons de Chalcédoine. »

8°) Protestantes et alii adversarii, supponentes Primatum Romani Pontificis non esse institutionis divinæ, quærunt varias causas, ex quibus ortus sit. — Nos, probata divina institutione ex Script. et Trad., hujusmodi causas rejicimus quatenus fundantes jura Primatûs: eas tamen concedimus potuisse adjuvare ad hoc, ut divinum institutum suavius et facilius ad praxim deduceretur. Harum causæ quas memorat Palmer (p. 7. c. 3): magnus Romæ numerus clericorum et christianorum, divitiæ et charitas eximia Ecclesiæ Romanæ (cf. supra p.); jura ejus fides, et ardens studium in damnandis hæreticis; vobis Romæ temporalis dignitas, &c. Cæterum pleraque ex dictis adjunctis sunt potius effectus Primatûs: semel enim religionis christianæ centro constituto in Romanâ urbe, consequens planè erat, ut vitam ibi suam peculiari ratione religio christiana exereret et manifestaret. (Card. Mazzella n. 939). — Quoad dignitatem temporalem Urbis, hæc advertimus cum P. Palmieri de Rom. Pont. p. 348: « Aliud est quærere, cur Deus voluerit Romanam Sedem jure cæteris eligere pro successione in Primatu, aliud, quo jure Rom. Pontifex succedat. Huic alteri simpliciter respondendum est: jure divino, quia Deus voluit, quæcumque sit ratio cur Deus voluerit. Hæc enim (ratio)

nihil refert: dummodò namque Deus id voluerit, voluerit esse perpetuum, Romanus Pontifex jure divino succedit. Priori verò quæstioni primùm responderi potest, parùm referre id nosse: deinde probabiliter (non certò) ex quâdam analogiâ responderi potest, Romam electam esse hunc, quia hunc regina erat Roma non quidem universi, sed magnæ partis orbis cognili, et præstantissima civitas, « ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per « totum mundi corpus effunderet » (Leo M., serm. 83, n. 3). Verùm hæc ratio eligendæ Sedis principis..... necessaria non erat, cùm Primatus et omnis ecclesiastica potestas sit prorsùs independens à dignitate quavis et potestate civili.» — Et potuit talis ratio, si revera Deum movit, tantùm spectare ad exordium facilioremque in mundo introductionem Primatûs, non ad ejus per omnia sæcula perseverantiam. Videndum est igitur, quid Deus in hac re voluerit. Jam verò ipse S. Leo, qui illam dedit rationem, non intelligit eam nisi quoad exordium Primatûs, nam epist. 104. c. 3 ad Marcianum ipse ait (Migne LIV. 993): « Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam, ac protegente deseterâ Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia divinarum; nec præter illam petram quam Dominus in fundamento posuit (Matt. XVI. 18), stabilis erit ulla constructio. Proprio perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto (Anatolio), quòd vestræ pietatis auxilio, et mei favoris assensu, episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem.» — Aliud sanè est, quòd cuidam urbi (Romæ), quæ tùm erat præcipua, Deus initio voluerit Primatum alligare, fingendo ibi Petri Sedem; — aliud, quòd circa Primatum posuerit Deus hoc generale principium: « Primatus eam sequetur

mobiliter urbem, quæ pro tempore erit civiliter "præcipua". Tale principium neque in Scripturâ neque in Traditione reperitur; sed contra restricit Traditio ad solam "Cathedram Petri", scil. ad factum quoddam immutabile et perpetuò verum de eâdem urbe, et in hoc facto videt fundamentum verum Primatûs pro tali urbe. Plura de his infra, ubi de transferibilitate Primatûs.

9°) S. Hieronymus in epistolâ illâ ad Evangelum (al. Evagrium), obscurâ ex ipsa sua brevitate, ex qua difficultates plures exsurgunt contra diaconos, contra Episcopos, &c., dicit Episcopos omnes, incluso Romano, esse "ejusdem meriti et sacerdotii": nempe æquales dicit quoad potestatem ordinis, ut explicavimus supra p. 187. — Ex illâ æqualitate non est mirum, Romanum Pontificem alios Episcopos vocare fratres, collegas, consacerdotes, &c., et his nominibus ab aliis Episcopis vocatum fuisse, v. g. à Cypriano. Hæc nomina non obstant, quominus inæqualitas habeatur alio sub respecto; sic Petrus omnes "seniores Ecclesiæ" alloquens, dicit se "conseniorem" seu compresbyterum (I. Petri V. 1); sic ipse Christus discipulos suos vocat "fratres" (Jo. XX. 17).

Inst. S. Hieron. ibid. dicit: "Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe. Quid mihi profers unius urbis (Romæ) consuetudinem?" — Resp. Hic agitur de consuetudine abusivâ introductâ in clero Romano, quòd diaconi quædam munia sibi arrogabant in cæremoniis (cf. supra p. 202). Jam verò diaconi romani istam non introduxerant ex jussu Romani Pontificis, sed ex se; nec consuetudo abusiva, ex eo quòd non statim ei resistitur à Superiore, dici potest ab eo approbata; denique etsi Episcopus Romanus quosdam novos usus approbaret pro suâ particulari Ecclesia,

non sequitur illos usus eo ipso transformari in legem disciplinæ generalis, quæ spectat ad universam Ecclesiam; sed hunc agerel ut Episcopus Romæ, et ut sic æqualis aliis, non verò ut habens Primatum. Ergo in illâ quæstione, auctoritas Primatûs erat prorsùs extra quæstionem; nulla alia pro diaconorum usurpatione aderat "auctoritas" ad summum, nisi ea quam habet consuetudo unius Ecclesiæ particularis, quæ auctoritas non est tanta, præsertim si contraria haberetur consuetudo aliarum Ecclesiarum orbis, ut advertit Hieronymus. Auctoritas consuetudinis hujusmodi per se eo major est, quo est plurium Ecclesiarum, si nihil contra eam Suprema potestas decreverit.

10°) Non negant primatum Romani Pontificis illi Patres, qui (ut Irenæus, supra p. 417, et Cyprianus) correctione fraternâ usi sunt erga Rom. Pontificem: cf. de correctione Petri, supra p. 324, segg. — Imò ubi Rom. Pontifex dat tanquam aliquod præceptum particulare alicui Ecclesiæ vel homini, cùm in hoc ipse non sit infallibilis, fieri potest ut legitimè resistatur præcepto, si nempe præceptum certò appareat contrarium legi Dei (sicut de omnibus Superioribus est commune axioma). Et sic potuit aliquis Pater resistere præcepto Romani Pontificis, et simul admittere supremam ejus jurisdictionem. Quare nihil contra nos deduci potest ex celebri controversiâ inter S. Cyprianum et S. Stephanum Papam de rebaptizatione. "Cyprianus (ait Rosmovanus, de Primatu §. 31), præsertim quod diversitatem processus hoc in punctu nosset, jure dubitare se posse credidit. Pro suâ sententiâ de iterando hæreticorum Baptismo videbatur quidem sibi habere praxim suæ Ecclesiæ, ante annos 50 à prædecessore suo Agrippino invectam ..." Stephanus autem Pontifex respondit Cypriano non per definitionem fidei, sed per præceptum disciplinæ

nare; et quoniam illud præceptum datum est sub formâ rescripti ad Cyprianum (cf. epist. 74. Cypr. ad Pompeium), quoniam versabatur circa solas illas Ecclesias in Africa, quarum actualem disciplinam reprobabat Stephanus, eis imponens disciplinam alibi vigentem, potuit existimare Cyprianus, non agi de lege disciplinæ generalis sed de præcepto particulari, in quo errare certè possunt Rom. Pontifices: « Licet verò tum Stephanus (pergit Rosshirtius) in eo longiùs processisse videri possit, quòd, nondùm plene evoluto doctrinæ controversæ momento, potestatis executivæ usum facere, communionemque Ecclesiæ alibi sentientes removere voluerit, tùm Cyprianus in suis contra Stephanum litteris favori plùs æquo indulserit: nullibi tamen priùs suas de Romanæ Ecclesiæ prærogativâ sententias revocasse legitur (Cyprianus). Nec objicit Stephano defectum potestatis præcipiendi, sed, nimis fidens suæ opinioni, de injustitiâ præceptî lamentatur. Ex controversiâ itaque hâc nihil contra dissertas Cypriani de Primatu sententias inferri potest. » Sed neque ex illis Firmiliani, qui eamdem cum Cypriano tenebat de baptismo hæreticorum opinionem, verbis: « Justè indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quòd qui sic de Episcopatûs sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat. » Vidit procul dubio Firmilianus, nonnisi unam esse petram, et in hac unâ petrâ unitatem Ecclesiæ contineri. Neque id reprehendit in Stephano, quod hic Petri successionem pro se allegaverit, imò priùs inferens alias petras non esse ponendas, eo ipso Evangelico testimonio se fundat, quod de Petro ejusque successoribus accipiendum esse docuit Cyprianus. Illud solum, ex suâ opinione quasi contradictorium, reprehendit in Stephano, quòd (Stephanus),

approbans baptisma ab hæreticis collatum, plures petras plures Ecclesias (à Christo institutas) pro hæresum multitudine induere... crederetur." — Nempe rationem «fundamenti» in Petro ejusque successoribus (ex Matt. XVI. 18) non tantùm admittebant Cyprianus, Firmilianus et alii rebaptizantes, sed eam exaggerabant, quasi hæretici et schismatici, eo ipso quod se divellunt ab unicâ petrâ, ab Ecclesiæ fundamento scilicet à Cathedrâ Petri, amitterent non solùm omnem potestatem jurisdictionis, sed etiam omnem potestatem sacramentalem, sicut est potestas valide baptizandi: nec faciebant illam distinctionem potestatem quam adstruximus supra, thesi III. — Nos verò, cathedram Romanam agnoscentes pro unico fundamento ecclesiasticæ jurisdictionis, tamen, cum tota jam Ecclesiâ catholicâ concedimus eis, qui se separant à nobis et ab illâ Cathedrâ, potestatem valide baptizandi, ordinandi, consecrandi, &c.: et quoad eam potestatem, quam immediate à Christo ministri sacramentorum habent, Petrus, vel Petri successor, non est necessarium intermedium juxta nos, non est fons, non est fundamentum seu petra. Petrus utique in suo ordine est unica petra; sed sunt charismata et potestates, quæ à Christo immediate procedentia non fundatur in Petro: cf. supra p. 234.

In Actis Conc. Carthaginensis (Migne III. 1051), Cyprianus refertur initio dixisse aliis episcopis: "Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Nequc enim quisquam nostrûm episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit", &c. — Quid mirum? Agitur de episcopis ibi præsentibus, qui erant æquales inter se, et gra-

lis supponunt nostri adversarii, allusionem hic continuoi ad Stephanum Papam. Cf. Palmieri thes. 19 ad 6^m: et DD. Freppel, "S. Cyprien", p. 426: qui de tota hac quæstione egregie disserit ibid. (16^e, 17^e et 18^e leçon).

Aliqui Catholici, ut nostris diebus eruditus Archiep. Tizzani, contenderunt epistolas Firmiliani et Cypriani huc spectantes omnes esse suppositicias. "Nobis tamen venia sit (ait sapienter Card. Franzelin, de Eccl. thesi X, ad finem) eas, præsertim Cyprianicas, habere ut omninò geminas, ne hujusmodi scepticismo critico nimis multa antiquitatis monumenta in suspicionem vocare cogamur. Nescio, an causæ veritatis serviant, qui hâc methodo difficultates ab adversariis ingestas de fide Cypriani, de epistolis Honorii, imo (si superis placet) de symbola Constantinop., radicitus excindi posse censent."

11°) Ut advertit S. Hurter (thes. 77 in fine), "principes et nobiles, imò et plebs quandoque Regi adversantur, contradicunt, resistunt, ad revocandas quoque leges impellunt. Nemo tamen eximde inferet, vel Regem regio leges ferendi carere jure, vel subditos jure agere suo. Duare æque præposterum erit, ex eo quod nonnunquam aliqui episcopi Romano restiterunt præsuli, inferre statim, vel hunc sibi aliquid præter fas jusque usurpasse, vel illos jure egisse vel Romani Pontificis primatum penitùs negasse." (Sicut non negant theoreticè supremum Dei dominium plerique peccatores). "Nihil enim est adeò sanctum in Ecclesiâ, cui non se opposuerint aliqui; nunquam Ecclesia, quamdiu est militans, solis justis et sanctis constabit."

12°) S. Cyprianus, lib. de Unit. Eccl. n. 5 (Migne IV. 501.) ait: "Episcopatus unus est, cujus

à singulis in solidum pars tenetur." Num asserit æqualitatem Episcoporum? Minime. Dicit, singulos Episcopos esse participes ejusdem jurisdictionis ecclesiasticæ (seu ejusdem "Episcopatûs"), quæ potestas, sicut in omni jurisdictione, pro uno numericè regno (ut est Ecclesia) est ipsa una numericè, Conc.: dicit, singulos ejus esse participes eodem modo, eodem gradu, Nego. Cf. quæ diximus de Collegio Apostolico, p. 273 et 280. — Imò ex contextu potiùs asseritur implicitè Primatus: nam ibi insistit Cypr. in unitate Ecclesiæ procuranda per unionem Episcoporum: "Quam unitatem" (Ecclesiæ) "firmiter tenere et vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesiâ præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus... Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum") &c. Unde sententia nobis objecta hoc significat, ex contextu: "Episcopatus unus est, cujus à singulis quidem pars tenetur, sed nonnisi in solidum, h. e. ita ut partes singulæ ordinentur ad unum solidum seu ad unitatem totius, nec possint esse partes catholici episcopatûs et veræ Ecclesiæ, nisi quatenus solidentur et uniantur ad totum." (Sic Franzelin, de Eccl., l. c.) — Jam verò quomodò procurabitur et efficaciter conservabitur illa solidatio seu unio Episcoporum multorum, nisi per Primatum jurisdictionis continentem omnes in unitate? Hoc non solùm ratio suadet, sed Cyprianus ipse dixit statim antea (n. 4), revocando verba: "Cui es Petrus", &c., et addendo: "Super illum unum ædificat Ecclesiam suam," et quæ sequuntur. Cf. alios ejus textus eadem doctrinam clariùs explicantes, supra p. 358, 392, 393.

13.) Contra appellationes ad Rom. Pontificem (quæ ex ipsâ notione Primatûs jurisdictionis

derivant, ideoque sunt signum agnitionis primatûs) præcipuum argumentum petitur ex Ecclesia Africana, quæ illos clericis prohibuit, in Conc. Carthaginensi an. 418, et can. 28 Concilii anni sequentis. – Sed (respondet Hurter l.c.) « a) quid, si Ecclesia Africana hâc in re errasset, sicut Cyprianî tempore erravit (fatentibus ipsis Protestantibus) in quæstione de hæreticorum baptismate? (Et alicujus protestatis in Primatu contentæ rejectio illa, quæ ab Ecclesia particulari fit 5° sæculo, postquam jus appellationis, ut probavimus, fuerat agnitum sæculo 4° in Conc. Sardicensi, supra p. 395, postquam fuerat in Ecclesiâ tam orientali quam occidentali multoties exercitum ut probavimus, – talis, inquam, rejectio non validum esset testimonium traditionis). – Cum b) constat ex ep. Conc. Africani ad Bonifatium et ex aliâ ad Cœlestinum, ex ep. 209 S. Aug. ad Cœlest. et ex ep. 12 S. Leonis ad episc. Africæ c. 12, morem appellandi ad Rom. Pont. viguisse sicut in aliis ecclesiis, ita etiam in Africâ, tum ante illa Concilia, tum illorum tempore, tum etiam post eadem. – Quare c) dicendum est, episc. Africanos non tam voluisse hoc jus denegare Rom. Pontifici, quam illius exercitium, saltem frequens, minus opportunum declarare, abusumque reprobare. Quamobrem modestè ad Cœlestinum (ep. 2) scribunt n. 2: « Impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ullus vestrûm velitis excipere. » – De hac quæstione dicit Rozkovany, de Primatu § 92: « Quæstio juris, num detur facultas ad Rom. Pontificem à Judice inferiori provocandi, facilis est decisionis ... Quid enim est jus illa provocandi, nisi facultas ex ipso jure naturali profluens, ab inferiori Judice ad superiorem appellandi, ut appellanti justitia, in quâ per inferiorem Judicem se

locum quæritur, ministretur? (Atqui Rom. Pontifex, si habet Primatum jurisdictionis, est Judex superior)... Tamen diversitatem inter appellationem et appellationem novi, et disciplinam Ecclesiæ hoc in puncto variam fuisse dicit; ... et in Tridentina Synodo appellationibus limites fixos fuisse memini. Concessâ proeterea cuilibet sine discrimine quæstionis et causæ ad Rom. Pontificem appellandi facultate, verendum est, ne disciplina Ecclesiæ enervetur: malis quippe et refractariis semper certum et in promptu foret remedium, quo Præpositorum, vitia sua castigantium, industriam et auctoritatem eludant, vel saltem debitam pœnam in longius tempus ab se amoliantur. Fieri tandem potest, ut non expediat indiscriminatim, missis (i.e. rejectis) aliis Judicibus, ad Sedem Apostolicam confugere, quia subinde etiam locorum distantia, grandis metus, rerum difficultas, periculum ne rescindantur accurate ea quæ gesta sunt, — omnia hæc facere possunt, ut non videatur interponenda ad S. Pontificem appellatio. Suos igitur habet jus hoc limites ex ipsâ naturâ Primatûs in bonum Ecclesiæ instituti defixos; quos in memoriam revocari exoptabant illi, qui contra promiscuas appellationes vocem suam extulerunt, et quisquis Canones Conciliorum debite ponderavit, haud unquam jus Primatûs, verùm modum duntaxat recipiendi appellationes, et abusus hic commissos, impugnata fuisse intelliget.»

Corollarium I. Ergo ex tot allatis testimoniis apparet quam ignari historiæ ejusque documentorum (si non mendaces) fuerint primi Protestantes, qui dixerunt, ut Calvinus, Instit. lib. 4. c. 7. n. 1.: «Quant est du commencement premier de la primauté du siége Romain, il n'y a rien de plus ancien pour lui donner couleur, que le décret qui fut fait au Concile de Nice (Nicée),

là où l'Evesque de Rome est nommé le 5er entre les Patriarches.» Et ib. n. 17, originem primatûs tribuit gra-co imperatori Phocæ (Sæculo VII), et postea Pipino (sæc. VIII), quoad Galliam: « Finalement Phocas ... octroya à Boniface troisième ce que jamais S. Grégoire n'avait demandé: assavoir que Rome fût chef sur toutes les autres Eglises.... D'autant que Zacharie, Pape de ce temps-là, lui aida (à Pepin) à chasser son Roy et seigneur légitime, pour ravir le royaume comme une proye: il eut cela pour récompense, que toutes les églises Gallicanes furent assujetties à la juridiction du siége Romain.» — Similes assertiones habent Lutherus (l. de potest. Papæ, et l. de supp. tempor.), Centuriatores (centur. 6. c. 1.), &c.

Corollarium II.

Ergò ignari sunt historiæ ecclesiasticæ, vel fanatismo anti-papali excæcati, qui contendunt, plurima jura, quibus nunc fruitur Romana Sedes, à «falsis Decretalibus» ortum habuisse.

«Decretales», in genere, dicuntur epistolæ quibus Romani Pontifices propositis dubiis responderunt, et quasdam regulas disciplinæ statuerunt. — «Falsæ decretales» dicuntur eæque falsò quibusdam Pontificibus tribuuntur. — Sæculo VII, celeberrima collectio canonum (Conciliarum) et decretalium (Pontificum) in Hispaniâ facta est, quæ «collectio Isidoriana» deinde vocata est, «quia S. Isidoro Hispalensi (obiit an. 636) adscribendam eam esse putarunt, licet sine ratione sufficienti» (ait Doctor Pering in suo Compendio Juris eccles. Georgii Phillips, l. I. n. 28). Continet decretales Pontificum viginti, à Damaso usque ad Greg. Magnum. — In imperio Francorum, sæc. IX, facta est hujus collectionis nova et adaucta editio. «Cùm in præfatione ei inserta auctor

sibi nomen Isidori imposuerit, (in quibusdam codd. cognomen habet «Deccatoris», in aliis «Mercatoris»), hinc factum est, ut collectio ad saeculum IX pertinens, et magno numero legum ecclesiasticarum apocryphorum referta, S. Isidoro adscriberetur. Ab Hispana distinguitur haec collectio pseudo-isidoriana imprimis eo quòd illi suam partem addidit, scil. multas decretales spurias, à Clemente I usque ad Melchiadem (ob. an. 314)." Hering, ibid. – Item sunt spuria in 3ª parte. Auctor remanet incertus. Cf. supra p. 164. – Collectio ejus (quam habes apud Migne t. CXXX.) passim accepta est in medio aevo ut genuina: celeber ille Gratianus falsarum decretalium fragmenta in suam collectionem inserit. Decretales saltem aliquas esse spurias, Cardinales Nicolaus de Cusa et Joan. de Turrecremata primi putaverunt, saeculo XV. – Cf. dissertationes quas de falsis decretal. fecerunt Denzinger et Phillips, apud Migne l.c.

Falsae Decretales attingunt ferè omnes materias disciplinares, liturgicas, &c.: inter eas plura inveniuntur de Rom. Pontifice.

Jam verò in favorem auctoritatis Pontificiae plures moriales inductas fuisse in Ecclesiam ex hoc fonte spurio, clamaverunt adversarii. Haec potissimum recensentur: 1º) Rom. Pontificem esse Episcopum Ecclesiae universalis; 2º) causas omnes majores ad Sedem Apostolicam referendas esse; 3º) jus excipiendi appellationes à quovis judicio Episcoporum; 4º) causas Episcoporum à solo Rom. Pontifice definitivè judicandas esse; 5º) non oportere praeter sententiam Rom. Pontificis concilia celebrari; 6º) jus ex his ortum, mittendi quocumque legatos suos. Ex quibus "monarchicum regimen" Rom. Pontificis constitutum esse concludit Febronius, c. 3., §. 9. n. 10.

Resp. a). Falsae Decretales, juncta omnes, apparuerunt saec. IX. – Jam verò ex multis testimoniis

(Thes. XIV) quæ omnia sunt multò anteriora; probavimus Rom. Pontificem passim habitum fuisse ut caput, ut rectorem et gubernatorem Ecclesiæ, ut successorem Petri in eâ potestate quâ ipse Petrus (ex Scriptura Thes. IX, ex Trad. thes. XII) erat caput et gubernator Ecclesiæ. Sed ex illa supremâ jurisdictione Rom. Pontificis necessariò et ipsâ naturâ rei derivant illa particularia jura, quæ enumerantur. Ergò illa jura non sunt novitates inductæ falsis Decretalibus, sed ab initio Ecclesiæ fuerunt asserta omnia, saltem implicitè.

6.) Imo explicitè varia illa jura in allatis antiquis et genuinis documentis asserta reperimus. — Quoad 1m., seu titulum « Episcopi ecclesiæ universalis », cf. similem apud S. Cyrillum Alexandrinum supra p. 405. — Quoad 2m., cf. quæ habet S. Siricius supra p. 401, S. Innocentius I, p. 404, S. Leo M., p. 408, 409, qui ait etiam, ep. 5 ad metropolitanos Illyricos n. 6 (Migne LIV. 616): « Si quæ verò causæ graviores vel appellationes emerserint, eas sub ipsius (Anastasii scil. vicarii sui) relatione ad nos mitti debere decrevimus, ut nostrâ secundùm ecclesiasticum morem sententiâ finiantur. » Cf. et dicta de consultationibus, et recursibus ad Rom. Pontificem, p. 412, 413. — Quoad 3m., cf. canones Concilii Sardicensis, p. 395, seqq. Et facta citata p. 414, 415, cum præclaris testimoniis Theodoreti, &c. — Quoad 4m., cf. sententiam latam contra Nestorium à Cœlestino Papa, et præclarum de hoc testimonium Conc. œcum. Ephesini, supra p. 406; — judicium definitivum in Eutychem, Dioscorum aliosque, à S. Leone M., p. 409, 410.. &c. — Quoad 5m., cf. reclamationem Julii, ex historicis græcis Socrate et Sozomeno, p. 400; reprehensionem Dioscori in Conc. Chalced., p. 409. — Quoad 6m., cf. Clementem Rom. p. 386, « Misimus autem. »; S. Basilium agnoscentem jus visitationis in Rom. Pontifice, p. 414; &c. — (Plura apud

Palmieri, Thes. 20, 1ª p.; et Zaccaria, Antifebronius, 2ª p., cap. 2-6).

c) Intrinsecè repugnat (ait Palmieri ibid.), quòd Isidorus (scil. pseudo-Isidorus) mutationes tot ac essentiales induxerit in disciplina et regimine Ecclesiæ, quot et quales sunt, quas reprehendunt adversarii, et Ecclesia universa Latina acceptaverit eam collectionem quin suspicaretur suppositionem, quin reclamaret. Ergo doctrina Isidoriana non erat nova, quamvis novos testes ejus adduceret." Ex defectu librorum et Criticæ accuratioris, post invasiones barbarorum, potuit quidem propagari error de genuinitate quorundam testimoniorum immistorum genuinis, sed non potuisset sine reclamationibus admitti error ingens in ipsâ doctrinâ de constitutione Ecclesiæ, mutans ea quæ antea communiter admittebantur circa res magni momenti et à Prælatis necessariò semper investigatas et cognitas." Collectio (Pseudo-Isidori), utpotè moribus et institutis illius ætatis planè consentanea, nullam sui admirationem movit", Hering l.c.

d) Imò non solùm doctrinam antiquam, sed plerumque et verba satis antiqua reddunt "falsæ Decretales." Magnæ enim investigationes Criticorum recentiorum de collectione pseudo-isidoriana (quos citatos habes apud Hering ibid.) ad hanc conclusionem devenerunt, pleraque falsas Decretales nonnisi inscriptione falsas esse, quatenus tribuuntur Pontificibus antiquissimis (Anacleto, &c.) dum sunt conflata ex fragmentis decretorum posteriorum, ex Patribus et scriptoribus ecclesiasticis, aut ex legibus Imperatorum, et ex longis citationibus Scripturæ.

Cur ita chronologiam falsificavit editor, et Rom. Pontificibus primis adscripsit verba quæ erant aliorum? — Conjiciunt alii, eum ita egisse, ut rebus per se inanibus, majorem auctoritatem conciliaret,

temporibus valde perturbatis, bonâ quidem intentione, mendacio tamen damnabili. Alii malunt eum gloriolae causâ id fecisse, nempe ut praestantiorem et universaliorem collectionem ecclesiasticarum legum edere videretur, quam quae hunc vulgo habebantur.

Quidquid sit, fraudem istam Romanae Sedis esse nemo dicere potest, nisi gratuitâ calumniâ. Nam primum, auctor non est Romanus neque Italus, ut jam consentiunt Critici. « Qui putant auctorem Romanum fuisse (ait Hering l.c.), vehementer falluntur, opinionemque omni ratione destitutam simulque antiquatam sequuntur. » — Deinde ista collectio multò minùs tendit ad extollendum Rom. Pontificem, quam ad defendenda jura Episcoporum adversus excessus auctoritatis Metropolitanorum, inobedientiam clericorum inferiorum, usurpationes laicorum judicum et principum, et contra Chorepiscopos: ut constat ipsâ lectione illarum 90 apocryphorum Decretalium, ex quibus plus, quam 70 jura episcoporum affirmant. — Cf. Bégin, La Primauté &c., Québec 1873, 7e leçon, qui ait: « Quelques écrivains fanatiques, tels que Mosheim, Rheiner, Ellendorf &c. ont prétendu que le faux Isidore avait eu pour but de rétablir et d'accroître la puissance des souverains Pontifes, mais cette opinion est maintenant combattue et renversée, non-seulement par les écrivains catholiques, mais encore par les critiques protestants les plus erudits, tels que Spittler, Ernst, Wasserschleben, Gfrörer, &c. » — Addo, aliquas ex falsis Decretalibus etiam arma suppeditavisse contra Primatum ejusque divinam originem: v. g. textum hunc tributum Anacleto (obiit an. 95), qui saepe ut objectio apud auctores pauld antiquiores invenitur (Migne CXXX. 72): « Caeteris verò Apostoli cum eodem (Petro) pari consortio honorem et potestatem accepérunt, ipsumque principem

eorum esse voluerunt. » Item (Migne ib. 19) « epistola 1ª Clementis Rom. ad Jacobum Fratrem Domini » (sanè mortuum plurimis annis ante pontificatum Clementis; quare jam Turrecremata hanc rejiciebat epistolam ut spuriam, Summa de Eccl. l. 2. c. 101); ubi S. Petrus ante vitæ suæ finem inducitur loquens in Ecclesia, et dicens Clementi quem eligit successorem: « Ne in ulla aliqua occupatione prorsùs inveniaris mundialis negotii occasione perplexus. Neque enim judicem aut cognitorem sæcularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus, ne non possis verbo Dei vacare.... Ista opera exhibeant laici.... Si mundialibus curis fueris occupatus,... ex eo fiet ut tu, tanquam qui non docueris quæ ad salutem hominum pertinent, deponaris. » Istum afferebant textum jam primi, qui in medio ævo contenderunt, Papam à Concilio deponi posse. Ex adverso, in eadem falsa decretali (ib. 33) dicitur à Clemente, « episcopos à solo Domino judicandos aut removendos, et non ab aliis », et alia plura auctoritatem episcoporum exaggerantia.

Thesis XV.

Petrus Romam venit, — 2) ibique martyrium subiit.

St. 2. Hanc thesim præmittimus quasi præambulum ad ea quæ dicturi sumus de connexione Primatus cum episcopatu romano.

Petrum Romam venisse, ibique mortuum esse, nullus in dubium revocavit ante Waldenses (sæculo XIII.) qui nullum aliud habebant argumentum nisi silentium Evangelii (teste Moneta, qui tunc contra eos scripsit). Secuti sunt alii, ex cæco

desiderio impugnandi Rom. Pontificem: Wicleff, Marsilius Patavinus, et multi Protestantes.

Probatur 1a pars.

Nisi in scepticismum historicum ruamus, admitti debet factum historicum, quod plures coævi, vel fere coævi, auctores retulerunt, quod sine controversiâ à fidelibus omnibus imò à schismaticis et hæreticis per plura sæculà admissum est, quod confirmant publica monumenta, sepulcra erecta, cathedræ exstans, &c. — Sufficiat hic afferre primùm tria testimonia auctorum qui vixerunt sæculo I:

Clemens Rom. (cf. supra p. 19 et 386, sq.) I ad Cor. c. 5 (Migne I. 218, cf. novas edit. ex codice Porygenii): « Sed ut vetera exempla relinquamus, ad proximos athletas veniamus, sæculi nostri generosa exempla proponamus. Propter zelum et invidiam, qui maximæ et justissimæ columnæ erant persecutionem passi sunt et certaverunt usque ad mortem. Ponamus nobis ante oculos bonos Apostolos: Petrum, qui, propter zelum iniquum, non unum aut alterum sed plures labores sustulit, atque ita martyrium passus in debitum gloriæ locum discessit. Propter zelum et contentionem, Paulus .... earum profectis martyrium subiit... His istis, sanctè vitam instituentibus, magna electorum multitudo aggregata est, qui supplicüs multis et tormentis, propter zelum passi, exemplar optimum inter nos exstiterunt. » Hic non potest agi nisi de persecutione Neronis (vel ad summum, etiam Domitiani): atqui hæc persecutio fuit tantùm Romæ: ergo Romam etsi expressè non nominet Clemens, clarè tamen designat. Quod etiam exprimit illud "inter nos," nam Roma ipse erat.

Ignatius M., ad Rom. c. 4 (Migne V. 690): "Christum pro me supplicate... Non, ut Petrus et

Paulus, nobis præcipio.» Cur illos Apostolos potius quam alios nominet, nulla alia ratio apparet (saltem pro Petro), nisi quòd per eos Romana Ecclesia fundata sit, eique „præcepta" [sic] dederint.

Papias episc. Hierapolitanus, cujus opera sunt deperdita, sed ad quem provocat Eusebius hist. eccl. l. 2. c. 15 (Migne XX. 171).

Accedunt sæculo II° S. Irenæus, cujus textum habes supra p. 339; — Dionysius episc. Corinthiorum, epist ad Rom. apud Euseb. h. eccl. l. 2. c. 25: « In Italiam profecti, cùm vos similiter instituissent (Petrus et Paulus), eodem tempore martyrium pertulerunt »; — Clemens Alexandr., apud Euseb. l. 6. c. 14: « Cùm Petrus in urbe Roma verbum Dei publicè prædicasset », &c.

In fine sæculi II et initio III, clarissimos textus habet Tertullianus, e. g. de Præscript. c. 36 (Migne II. 49): « Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident... Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur.» — Cf. Scorpiac. c. 15 (ib. 151); de Bapt. c. 4 (Migne I. 1203). — Item Origenes apud Euseb. h. eccl. l. 3. c. 1.: « Petrus... ad extremum Romam venions, cruci suffixus est capite deorsùm demisso", &c. Item Cajus (ap. Euseb. l. 2. c. 25, Migne XX. 207), qui ait: « Ego verò Apostolorum tropæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt.» — Item Philosophumena l. 6. c. 20 (Migne XVI. 3225). — Cf. alios ejusdem temporis apud D. de Smedt, Dissert. in hist. eccl., Append. A. —

Omittimus argumentum ex Scripturâ (cf. Hérc. n. 164), quod est tantùm probabile.

Argumenta adversariorum sunt præsertim negativa. — Ubi in genere notandum est, quòd argumentum negativum seu modus arguendi à mero silentio quorumdam historicorum (ut jam contra Wicleffum notabat ejus coævus Thomas Waldensis, Doctrinale Fidei, t. 1. l. 2. a. 1. c. 3) "secundùm peritos Theologos, rarò est validus, tutus nunquam". Ad summum exhibere solet probabilitatem quamdam, quæ contra argumenta positiva non potest prævalere. Ad rem Card. Feggini, lib. de romano S. Petri itinere et episcopatu, exercitat. 4ª, p. 78: "Num. quid cuicumque scriptori cordi esse debet, singula quæque dicere? aut cùm aliquid silentio quis præterit, statim negat? Omnium sanè consensu firmum est, majorem esse fidem apud 2 aut 3 affirmantes testes, quam apud sexcentos et mille qui nihil dicant, dummodò id, quod alii affirmant, illi non negent. Et quidem, tacet Matthæus Christum circumcisum fuisse; nihil habet Lucas de nova stella, quæ Magos duxit ad præsepium; Joannes... ex Maria Virgine exortum Christum nunquam memorat", &c. — His præmissis:

Objiciunt 1°) silentium Lucæ in Act. Resp. cum erudito viro Hieremia à Bennettis, O. Min., "Privilegiorum S. Petri Vindicia", t. 1. p. 20: "S. Lucas non S. Petri, cujus post 16ᵐ capitis videtur oblitus, sed solius Pauli historiam referendam suscepit (in 2ª parte libri). Neque enim eo in libro de aliis Apostolis verba facit S. Lucas, quin imò ejusdem S. Pauli Hierosolymitanum iter, et in Galatiam (et multa alia) silentio obvolvit, ut proinde ex eo Lucæ silentio potiùs argumentum hauserit S. Hieronymus (in Galatas II), probandi S. Lucam plerasque prætermisisse, inter quæ S. Petri

Antiochenum et Romanum Episcopatum." Cf. supra p. 290.

2°) Paulus ad Romanos scribens, varios salutat, Petrum prorsus tacet. — Resp. a) Nihil mirum: ad Ephesios scribens, non meminit Timothei Ephesiorum episcopi; nec S. Jacobi, in epist. ad Hebreos. — b) Poterat Petrus hunc Romæ non esse, ut infra dicamus.

3°) Act. XXVIII. 14, seqq., Paulo advenienti Romam fideles occurrunt, nec Petri fit mentio: ibid. Judæi Romæ commorantes rogant Paulum ut coram ipsis de religione Christianâ disseret, quod potiùs à Petro antea expostulassent, si fuisset. — Resp. a) Non omnia referuntur in Act.; b) "Judæi (ait Bennettus ibid.) idcircò S. Paulum rogârunt, non ut ab illo de christianâ religione edocerentur, sed ut rescirent, quid ipse, qui habebatur ejus sectæ doctissimus, de eâ re diceret"; c) Ad summum probaretur quorumdam sententia, quòd Petrus Romæ tunc nondùm erat. Negue essentiale est doctrinæ catholicæ de successione Primatûs, ut Petrus diù Romæ fuerit.

Adverte a) auctores minimè convenire, de anno adventûs Petri, seu de temporis spatio quo Romæ fuit. "Duæ præcipuæ circa hanc quæstionem distingui possunt sententiæ (ait D. de Smet, Dissert. selectæ in hist. eccl., diss. I. c. 2, qui dat diversarum sententiarum argumenta): 1°, scil., quæ est Baronii, Tillemontii et aliorum complurium catholicorum, quamque recentiùs defenderunt Stenglein et Kunstmann, Petrum amplius 25 annis Romanam Sedem tenuisse statuit. — 2°, Ant. Pagii (Critic. in Baron. ad an. 43), quem sequitur Fr. Pagius (Breviar. hist.), Petrum exordio imperii Neronis Romam venisse, ac 12 circiter annos ibid.

episcopali munere functum esse censet. — 3ª, quæ auctorem habet Papebrochium, à Petro Romanæ Eccl. pontificatum susceptum existimat circa annum nostræ æræ 50 (Claudii 10), ac proinde 15 circiter annos retentum. — 4ª denique, quam admittunt Sam. Basnagius, Gieseler, et alii quidam (plerique sunt Protestantes), Petrum nonnisi paucis mensibus ante obitum suum Romam venisse ... arbitrantur."

Adverte b) cum eodem Bollandista, etiam ex auctoribus sententiæ probabilioris quæ plures annos episcopatûs Romani triburit Petro, neminem requirere, ut Petrus toto illo tempore steterit Romæ, neque in alias civitates et regiones excurrerit, nihil sanè probat, eum multo et continuo tempore Romæ mansisse. — "Nihil prohibet (ait et Bennettis l. cit.), quominùs S. Petrus, Romæ constitutâ Sede, inde discesserit, et pluries modò in Orientem, ut docet Sophronius, modò in Occidentem, ut docent Innocentius I &c., iter instituerit."

Arguunt etiam 4ª) ex eo quòd Petrus sit "Apostolus Judæorum": ergò non debuit Romam venire. — Resp. a) — Erant etiam Romæ Judæi; — b) apostolatus ille non erat exclusivus in Petro: cf. supra p. 299, segg.

Confirmatur nostra thesis a) ex comparatione cum multis factis Græcorum, Romanorum, &c. quæ ut certa admittuntur, nec tamen tot testimoniis probantur, tamque vicinis factorum: cf. Card. Foggini, op. cit. exerc. 3ª, p. 61, et 74, segg. — b) ex confessione multorum Protestantium: jam Foggini (anno 1741) afferebat sexdecim ex illustrioribus, inter quos anglicani Cave, Hammond, Pearson, Usserius, Is. Newton, calvinistæ Blondel, Scaliger, Jam. Clericus, &c. — e recentioribus, S. de Smedt (l. c.) et Rosshovany (n. 11) citant Olshausen, Gieseler,

Neander et plures alios germanos. Cf. Leibnitz, supra p. 380. Ipse Calvinus, Instit. l. 4. c. 6. n. 15: "Toutefois, pource que les écrivains s'accordent en cela, je ne contredis pas qu'il ne soit mort à Rome." Imo aliqui protestantes severè damnant opinionem contrariam. Sic Grotius (in ep. 1am Petri, V. 13) ait: "Romae Petrum fuisse, nemo verus Christianus dubitavit." — Et eruditus protestans Whiston (apud Allnatt, Cathedra Petri, Appendix) ait, negationem illius veritatis esse Protestantium dedecus: "That St. Peter was in Rome is so clear in christian antiquity, that it is a shame for a Protestant to confess that any Protestant ever denied it." Denique canonicus anglicanus Robertson (hist. of the Church, vol. 1. p. 4. ed. 1875): "It is not so much a spirit of sound criticism as religious prejudice, which had led some Protestants to deny that the apostle (St. Peter) was ever at Rome, where all ancient testimony represents him to have suffered together with St. Paul in the reign of Nero."

Probatur 2a pars.

1°) Petrum non tantùm venisse Romam, sed et ibi martyrium subiisse testantur, ex auctoribus supra citatis, Clemens Rom., Dionysius Corinth., Tertullianus, Origenes, Caius: cf. textus in parte praeced., p. 447 et 448.

2°) Ubi Petrus martyrium subierit, debuit esse res diligentissimè investigata et accuratè tradita apud primos christianos. — Nam a) ex monumentis antiquitatis, videmus in genere magnam curam fuisse ut servaretur memoria martyrum, praesertim ubi passi erant. — b) à fortiori debuit ita esse pro Petro, cùm fuerit Princeps Apostolorum (ut probatum est ex Script. et Trad.); — c) praesertim cùm ipse Christus in Evangelio mar-

typum Petri (et solius Petri) specialiter praedixerit, Jo. XXI. 18.: « Cùm autem senueris, extendes manus tuas, &c. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. »

Ergo si valet hypothesis adversariorum, Romam falsò gloriari martyrio Petri, debuit a) facta diligenti investigatione, fieri reclamatio jam à primis seculis, tùm contra assertiones Clementis Romani, satis ubique cognitas siquidem epistola ejus legebatur in Ecclesiis (cf. supra p. 387); tùm contra assertiones Origenis, Tertulliani, &c. quorum opera notissima; tùm contra illa monumenta seu "tropæa" quæ publicè habebantur Romæ in Vaticano, jam in fine sæculi II testante Caio, supra; — b) debuit alibi, in urbe in qua revera Petrus martyrium esset passus, servari memoria tanti facti nec vicina regio esse potuisset adeò negligens, ut tantum decus oblivione obrui permitteret, deberet reperiri saltem aliquantula traditio de illa urbe et regione.

Atqui a) nulla denegatio in primis sæculis prolata est unquam contra traditionem urbis Romæ, ejusque assertiones et monumenta; — b) « nulla vel obscurissima traditio offertur, quâ Ecclesia alia de hâc re cum Româ contendisse supponi possit », et martyrium Petri pro se vindicavisse, — ut advertit P. de Smedt ibid. p. 9.

Ergò non valet hypothesis adversariorum.

Objiciunt præsertim silentium Flavii Josephi: qui (quamvis Judæus religione, imò Pharisæus) cùm Jesu-Christi meminerit et J.-Baptistæ et Jacobi fratris Domini, certe Petrum à Nerone occisum non prætermisisset, in eâ saltem historiâ quam de bello Judaico Romæ exaravit, ubi de Neronis crudelitate sermo est. — Resp.t Card. Foggini op. cit.: « Nosse vellem ubinam Josephum unquam legerint;

qui sic loquuntur. Ipsemet Josephus ... scribit, matrem, et Octaviam uxorem, multosque viros illustres Neronem occidisse, sed ejus scelera silentio praeterire voluisse, quod de illis dicere molestum fore arbitraretur, multique jam ex Graecis Romanisque ea scriptis tradidissent, et tandem, quod breviter admodum, quae ab opere suo aliena erant, attingere constituerit (Vide Antiqu. Judaic. l. 20. c. 8. n. 3, et de bello Judaic. l. 4. c. 9. n. 2) ... Denique cognisnam fuvor ille est, unum Josephum de romano Petri itinere testem reflagitare, ubi tot alii veluti suppares viri gravissimi de hac re fidem praestant suam? Quid? nonne et multa ad Judaicas res pertinentia, nobisque ex V. Test. cognita, praetermittit Josephus? Quid? sic quicquam Josephus attigit ex iis multis, quae nos edocent Evangelistae, anne igitur haec omnia falsa erunt? Quid? eo ipso loco ubi de crudelitate Neronis verba facit, barbarum Imperatorem Romam incendisse, Senecam institutorem suum enecasse, innumeraque alia praeterit, quae Suetonius et Tacitus narrant: anne igitur omnia haec arbitrabimur non facta, quod unus Josephus praeterierit?»

De hac thesi cf: librum cit. Card. Zigini; dissertationem cit. P. de Smedt, P. Sanguinetti, de sede romanâ S. Petri, 1867, Martin, S. Pierre, sa venue et son martyre à Rome (Revue des quest. hist., t. 13); Guilloux, la venue de S. Pierre à Rome (La Controverse, Nouv. série, t. VI, 1886, p. 1 et p. 238), &c.

Thesis XVI.

Certum est factum Petri, quod scilicet Primatum suum cum Episcopatu romano ita conjunxit, ut Petri successores

in Episcopatu romano essent simul in Primatu successores?

St. R. Thesis nostra precedens, — quamvis utilis, tamen non est per se sufficiens imo nec necessaria ad Primatum Romani Pontificis stabiliendum, et in hoc erraverunt aliqui auctores Catholici, sed praesertim illi Protestantes qui certissimam illam veritatem historicam impugnare non dubitarunt, quia putabant illam esse essentialem ad successionem Petri in Rom. Pontifice demonstrandam. — Clarè in contrarium arguit Bellarminus de Rom. Pont. l. 2. c. 1.: „Illud (scil., Petrum venisse Romam) neque a) sufficere, neque b) requiri, planum est: cùm a) multi venerint Romam, qui tamen Romani Pontifices nunquam exstiterunt, et b) multi Romani Pontifices nunquam fuerint Romae, ut Clemens V, Joannes XXII ... &c., qui in Galliis ordinati, ibidem semper manserunt. — Alterum (scil. Petrum mortuum esse Romae) item neque a) requiri neque b) sufficere, testantur a) multi Romani Pontifices, qui extra Romam mortui sunt, nam Clemens I obiit in Ponto, &c....., et b) multo plures, qui quotidie moriuntur Romae, nec tamen Romani Pontifices sunt."

Quare transeundum est ad ulteriorem assertionem: scil. Petrum fuisse Romanum Episcopum. Haec iterum non est sufficiens ad intentum nostrum: nam praeterea oportet, ut talem episcopatum, semel susceptum, nunquam dimiserit seu mutaverit Petrus. Etenim, ut advertit Bellarm. ibid., „Petrus episcopus Antiochiae fuit (ex probatâ traditione), et tamen, quoniam sedem alio transtulit, nunquam deinceps locum primum Episcopi Antiocheni habuerunt."

Ergò tandem deveniendum est ad hoc factum simul necessarium et sufficiens, ad hoc factum fundamentale, quod autonomasticè vocabimus "factum Petri" : scilicet, quòd Petrus Episcopatum romanum ita conjunxit cum Primatu, ut successores in Episcopatu romano essent simul Petri successores in Primatu.

Ad hoc non absolutè requirebatur, ut Petrus Romam veniret, ut ibi episcopatum exerceret, ut ibi moreretur : sine his Petrus potuit Episcopatum romanum assumere eique Primatum suum alligare, dummodo hoc constet directè vel indirectè, nobis satis est. — Multò minùs requiritur, ut demonstretur Petrus longo tempore episcopatum romanum habuisse. — Ergo falsum est suppositum anglicani Maguire (« St. Peter non-Roman », p. 149 et 21, apud Allnatt, Cathedra Petri, (Appendix), romanum episcopatum S. Petri per 25 annos, imò, ut ipse intelligit, actualem residentiam in illâ Sede per 25 annos, esse quid essentiale theoriæ Catholicorum (« an essential requirement .... the very core of the Papal theory »). — Solem falsum suppositum videtur fecisse Calvinus C. 4. c. 6. n. 15, ubi ait : « Je ne conteds pas qu'il ne soit mort à Rome. Mais qu'il y ait été Evêque, principalement longtemps, on ne me le sauroit persuader. » Qui cæterùm nullam suarum negationum rationem subjungit, nisi quòd Petrus habebat specialem apostolatum Judæorum, non Gentilium : quam rationculam in thesi proscd. jam solvimus.

Quo jure, divino an humano S. Petrus Primatum cum Episcopatu romano conjunxerit, prætermittimus in hac thesi : consequenter etiam prætermittimus quâ stabilitate gaudeat illa conjunctio, utrum omnimodâ usque ad finem mundi, annon. Saltem est conjunctio talis, ut sola suprema auctoritas Ecclesiæ, judicio solemni, possit eam dissolvere et immutare : quod judicium,

quoniam nondum hucusque factum esse ex historiâ constat, etiam hodie illa conjunctio valet, saltem jure ecclesiastico. Sed de his infra.

Probatur.

1°) Ut Corollarium ex pluribus documentis allatis in thesi XIV.

Non multò post tempora apostólica, tam in Oriente quam in Occidente, vigere videmus, ex pluribus historicis testimoniis, persuasionem universalem et constantem de stabili conjunctione inter episcopatum romanum et Primatum ipsum qui fuerat datus Petro, seu de identificatione inter successionem unius et alterius muneris.

Atqui, si ita est, Petrus ipse debuit Primatum cum episcopatu romano stabiliter conjungere.

Ergo certum est illud "factum Petri."

Probo Maj. S. Irenæus testatur Ecclesiæ Romanæ "potentiorem principalitatem" (supra p. 389), et statim postea illam explicat ex successione Petri (Migne VII. 849): "Fundantes igitur et instruentes beati apostoli (Petrus et Paulus) Ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt": deinde enumerat alios episcopos Romanos, qui successerunt. Cur et quomodò Paulum addat Petro, infra explicabitur.

S. Cyprianus (supra p. 392) sedem episcopalem Romanam vocat "Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est"; et "Petri locum".

Eodem tempore testatur Firmilianus (supra p. 435) de S. Stephano episcopo Rom.: "Se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt."

Conc. Sardicense can. 3. (supra p. 395): « S. Petri Apostoli memoriam honoremus »; et ob illam memoriam Petri, agnoscunt Romano Episcopo jus supremi judicii in causis Episcoporum, scil. primatum jurisdictionis in tali jure inclusum.

S. Siricius ad Himerium Carrac. (supra p. 401): « Haec portat in nobis B. Apostolus Petrus, qui nos... administrationis suae protegit haeredes »: et haec « administratio » in contextu exhibetur esse universalis jurisdictio Primatûs.

S. Ambrosius (supra p. 402) dicit schismaticos, quatenus se divellunt à jurisdictione suprema Romanae Sedis, non habere pro se « Petri sedem. »

S. Optatus (ib.) eadem dicit. Et l. 2. c. 2. (Migne XI. 947.) ait: « Negare non potes scire te, in urbe Româ Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in quâ sederit omnium Apostolorum caput Petrus;... in qua unâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur... ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. » Singularem vocat, non quòd non sint aliae cathedrae episcopales, ut patet: sed quia sola habet unicam Ecclesiae jurisdictionem supremo gradu, sola est centrum unitatis. Et pergit: « Ergo cathedram unicam, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus: cui successit Linus, Lino successit Clemens, &c. ..... Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster est socius: cum quo nobiscum totus orbis, commercio formatarum (scil. commercio quarumdam epistolarum quibus communio solemniter asserebatur), in unâ communionis societate concordat. Vestrae cathedrae vos (schismatici) originem reddite, qui sobis vultis S. Ecclesiam vindicare? »

S. Hieronymus (supra p. 402) vocat Damasum Papam « Successorem Piscatoris », ejusque sedem « cathedram Petri... super quam Petram » scil ipse

« ædificatam Ecclesiam », extra quam non datur vera Ecclesia, non datur salus.

S. Augustinus (p. 404), ut sit in verâ Ecclesiâ, adhærere illi « successioni » quæ tenet « sedem Petri Apostoli ».

Philippus legatus Romanæ Sedis in Conc. Ephesino (supra p. 406): « Nulli dubium, imò omnibus sæculis notum est, quòd S. Petrus princeps et caput Apostolorum .. claves regni accepit .., qui ad hoc usque tempus semper in suis successoribus vivit et judicium exercet. »

S. Petrus Chrysol. ad Eutychem (p. 407): « His quæ à B. Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus ... in propria sede et vivit et præsidet. »

S. Leo M. (ib.): « B. Petrus ... succepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit; cujus in sede suâ vivit potestas, et excellit auctoritas. »

Conc. Chalcedonense (p. 410): « Petrus per Leonem loculus est » Et ad Leonem in epistolâ synod.: « Vocis B. Petri omnibus constitutus interpres ... Sicut membris caput præeras », &c.

Valentinianus imper. (p. 415), Conc. œcum. VI (p. 410), Ignatius episc. Constantinop. (p. 412), &c.

Alioquin contra tot testimonia nullam habemus negationem Patrum et Conciliorum, quæ illa testimonia infirmet; nullam hinc videmus controversiam de Primatu ita asserto, de successione Petri quoad episcopatum romanum simul et primatum, &c.

Probo nunc Minorem argumenti. — Est axioma, sic expressum à S. Augustino de Bapt. contra Donat., l. 4. c. 24 (Migne XLIII. 174): « Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolicâ traditum rectissime creditur. » Cf. ib. l. 2. c. 7. n. 12. Hoc axioma, coram ipsâ ratione et Criticâ historicâ,

fundatur in impossibilitate morali quòd tot Ecclesiæ in Occidente et Oriente, singulæ suas habentes traditiones suosque disciplinares usus quibus tenaciter adhærebant (cf. exemplum in variâ celebratione Paschalis, supra p. 416, et lege Eusebium ibi citatum), omnes et sine reclamatione aliquam Disciplinam novam et suæ præcedenti disciplinæ contrariam: nisi forte à Concilio œcumenico illa nova disciplina instituta esset et omnibus imposita.

Jam verò axioma illud rectè applicatur casui nostro. Nam conjunctio stabilis inter Primatum jurisdictionis datum Petro et inter episcopatum Romanum, 1) est aliquid quod universa tenuit Ecclesia, et constanter per prima sæcula, sine vestigio controversiæ et reclamationis cujuslibet: v. g. nunquam reclamatum est, quòd sedes Antiochena successio, vel alia quælibet, deberet esse conjuncta cum Primatu Petri, vel quòd successio in Primatu deberet esse vaga, non stabiliter conjuncta alicui episcopali Sedi, &c. — Et cùm agatur, non de provisâ aliquâ re, sed fundamentali, et quæ ex natura suâ debuisset multas suscitare contentiones si fuisset in ipsâ innovatio, — præsertim in re nostrâ valet axioma illud Augustinianum. — 2) Nullum proferri potest Concilium, quod conjunctionem illam instituerit: ergò habetur et 2ª conditio posita in axiomate.

Ergò, applicantes axioma casui nostro, concludimus Apostolos ipsos promulgavisse illam stabilem conjunctionem inter Primatum Petri et Episcopatum Romanum.

Atqui, si ita est, Petrus qui erat Apostolus, imò ad quem specialiter illud negotium spectabat, siquidem ibi agebatur de transmissione Primatûs sui, certè ipse cum aliis Apostolis promulgavit illam conjunctionem; et eo ipso quòd eam conjunctionem promulgavit, qui inter Apostolos solus tenebat Primatum, in se ipse cum Primatu recepit Episcopatum Romanum (si non formaliter, saltem

aliquomodo eminenter, quod nostrae thesi sufficeret), in se conjunxit utramque dignitatem, et quidem stabiliter conjunxit pro suis successoribus, ita ut ille qui "Petri successor" diceretur, haberet simul utramque dignitatem, et sic deinceps.

Ergò constat illud quod volumus quodque vocamus "factum Petri."

2°) Argumentum 1m est indirectum, et tamen planè sufficiens. — Confirmari potest variis indiciis historicis, et punctis jam probatis, quae in idem omnia conspirant, scilicet:

I. Petrus recepit Primatum jurisdictionis non solùm pro se, sed et pro successoribus (thes. XIII). —

II. Designatio accurata successionis (tùm in episcopatu tùm in Primatu), ita ut successor in individuo clarè cognosci posset, erat res omninò necessaria. "Ex fine primatûs et Christi institutione necessarium est (ut benè advertunt Wirc. t. 1. n. 170, III), illum Petri successorem in hac visibili Ecclesiâ, in sede determinatâ et successione esse visibilem: alioqui vel reipsa successor in primatu non esset, cùm existere singularibus tantùm ac individuis conveniat, vel confusa vagaque sive fides sive existimatio de aliquo in terris primatu et vicaria Christi potestate, nec Ecclesiae gubernationi nec fidelium instructioni prodesset." Cf. supra, p. 372, segg.; p. 385. — Ergo Petrus debuit providere, ut clarè cognosceretur ejus successor in Primatu. —

III. Quamvis, ad Romanum Episcopum designandum pro Primatûs successore, non esset absolutè necessarium ut Petrus ipse physicè Romam veniret, tamen voluit Romam venire (thes. XV. 1a p.), quò clariùs appareret, ubi sedem sui primatûs figeret. —

IV. Episcopatum Romanum apertè suscepit. Quod probatur (praeter Patres jam allatos in praeced. argumento, dùm sedem episcopalem Romanam vocant "cathedram

Petri", "locum Petri" « Sedem Petri »):

a) Ex antiquis Catalogis successionis Romanae, ubi Petrus exhibetur ut primus romanus episcopus. Cf. eos in D. de Smedt (Dissertationes selectae, Append. A et K). — Ita Catalogus qui invenitur in Carmine contra Marcionem (auctoris ignoti, circiter tempore Tertulliani) l. 3. c. 9. (Migne II. 1077):

« Hac cathedrâ, Petrus quâ sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum primum considere jussit, » &c. et sequuntur alii episcopi Romani. — Item, antiquus « Catalogus Liberianus » (Migne XIII. 447), in sua priore parte quae derivatur ex Chronico S. Hippolyti (anno 225), ait: « Beatissimus Petrus episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis episcopus quot annis praefuit vel quo imperante. » Et statim haec omnia enumerat de Petro, Lino, Clemente, Cleto, Anacleto, &c. — Item, Catalogus qui habetur in Eusebii Chronico (secundum versionem armeniacam ed. Mediolani): « Anno Caii (Caligulae) 3°, sedit Petrus — annos 20. — Anno Neronis 12° sedit Linus — annos 14 », &c. — Item, catalogus S. Optati (supra p. 458): « Sedit prior Petrus: cui successit Linus, » &c. — Item, catalogus S. Epiphanii, haeres. 27. n. 6 (Migne t. XLI. 372): « Romae primi omnium Petrus et Paulus apostoli pariter atque episcopi fuerunt. Inde Linus », &c. (De Pauli episcopatu, infra). — Item catal. S. Augustini, ep. 53, ad Generosum (Migne XXXIII. 196): « Petro enim successit Linus », &c. — Item catal. ex Hieronymi Chronico (Migne XXVII. 578): « An. Dom. 44, Petrus sedit annos 25. An. Dom. 70, Linus sedit annos 11 », &c. — Item alii catalogi apud D. de Smedt l. c., v. g. graecorum Georgii Syncelli, Nicephori Constantinop. &c.

b) Memoriam episcopatus romani in B. Petro, jam ab antiquo tempore, celebravit festum speciale die 18° januarii, quod adhuc habemus. [Aliud festum, 22ª februarii, quod habemus sub nomine « cathedrae Antiochenae », videtur institutum fuisse ad celebrandum Primatum Petri

in 1a sua institutione à Christo. Cf. l'abbé Fouard, "St. Pierre", Appendice; qui dit: « M. de Rossi a prouvé que les mots: « à Antioche », sont une addition d'un clerc de l'église d'Auxerre, lequel entreprit au VIIe siècle de corriger et de fondre ensemble les anciens catalogues des martyrs. Trouvant deux fêtes de la chaire de St. Pierre, la 1re rapportée au séjour de l'apôtre à Rome, la 2de sans mention aucune, il imagina que celle-ci rappelait l'épiscopat de St. Pierre à Antioche, et sa conjecture erronée obtint peu à peu un crédit universel (inter Latinos), la compilation du clerc auxerrois étant la principale source de nos martyrologes actuels. Pour reconnaître cette méprise, il suffit de parcourir les calendriers et les livres liturgiques antérieurs au VIIe siècle: nulle part le nom d'Antioche n'est donné à la chaire du 22 février. La fête de ce jour, d'ailleurs, est trop importante pour ne rappeler qu'un incident secondaire dans la vie de l'Apôtre. Jusqu'au XVIe siècle elle est demeurée une des principales solennités de la ville papale; on la célébrait dans la basilique Vaticane au temps de St. Léon par grand concours d'évêques; c'était le jour de l'apôtre par excellence: « Dies Apostoli » (de Rossi, Bollettino, 1867, mai et juin). Les prières propres à cette anniversaire particulièrement celles de l'ancienne liturgie gallicane en indiquent clairement l'objet ..... C'est cette scène évangélique (Matt. XVI) et la primauté de Pierre qui était célébrée ce jour-là ..... Mabillon, de Liturgia gallicana, p. 226: « Deus, qui hodiernâ die beatum Petrum post te dedisti caput Ecclesiæ, cùm te ille verè confessus sit et à te dignè prælatus sit... »]

c) Romæ servabatur jam in primis sæculis « cathedra » (in sensu proprio et physico, non tantùm metaphorico et morali) in quâ sederat Petrus, in quâ post eum sedebant ejus successores episcopi romani. Hoc patet ex variis testimoniis, quæ habes in op. « Rome souterraine »

(jam citato in thesi XII. 2ª p.), Appendix, note C.

V. Petrus Romæ est mortuus (thes. XV, 2ª p.). Et mortuus est in Romano episcopatu: nullum enim afferri potest vestigium, quod ante mortem episcopatum Romanum abdicaverit, vel in aliam sedem episcopalem se transtulerit. Traditio antiqua, præter Romanam sedem, nullam Petro aliam episcopalem sedem attribuit, nisi Antiochenam (de quâ cf. Foggini op. cit., exerc. 9ª, de Antiocheno D. P. episcopatu). Jam verò testatur eadem traditio, et consensus proinde historicorum, Petri episcopatum Antiochenum fuisse priùs tempore quam Romanum, ita ut Petrus, sede Antiochenâ relictâ, Romanam acciperet: v. g. S. Hieronymus, comment. in Galat. c. 2, ait: "Petrum episcopum Antiochenæ Ecclesiæ fuisse accepimus, et Romam deindè translatum."

VI. Petrus primatum jure divino acceperat indefinitè non ad tempus, ita ut deberet illum servare usque ad finem suæ vitæ, sive in 1º stadio quandò nullum particularem episcopatum susceperat, sive in 2º quandò Antiochiæ sedit, sive in 3º quandò Romæ. Ergò quandò episcopatum Antiochenum dimisit, episcopus ille, qui hunc ejus loco sedit Antiochiæ, non potuit Primatum recipere, siquidem Primatus est unus, et hunc à Petro retinebatur: ergò successit ille in solo episcopatu non in Primatu. Non ita, quandò Petrus Romæ mortuus est: primus post eum episcopus romanus potuit ei succedere et in Primatu. Proterea, Antiochenum episcopum successisse in Primatu, est contra traditionem: nam ecclesia Antiochena nunquam primatum habuit, aut vindicavit, imò ipsam Alexandriam habuit ante se in ordine patriarchatûs: Romanum autem episcopum successisse in Primatu, est secundùm traditionem, cf. arg. 1m.

VII. Nullum est vestigium, Primatûs successorem fuisse designatum à Petro alium, quam episcopum romanum:

e contra, omnia quæ hucusque adduximus, confirmant pro episcopo romano. Ergo, si erroneum est, episcopum Romanum esse successorem in Primatu Petri, erroris illius introductio deberet refundi (quod nefas est) vel in Petrum ipsum, qui gravissimâ negligentiâ omisisset designare modum successionis, vel potius in Providentiam Dei, quæ in re tanti momenti suæ Ecclesiæ defuisset.

3°). Aliâ viâ, eâque theologicâ potius quam historicâ, probari potest thesis.

Ecclesia habet magisterium infallibile non solum circa dogmata revelata à Deo, sed etiam circa ea quæ sunt ita connexa cum deposito revelationis, ut earum certitudo necessaria sit ad illud custodiendum.

Atqui "factum Petri", de quo in hâc thesi, est factum dogmaticum, ut aiunt, seu factum ita connexum cum deposito revelationis, ut certitudo de hoc facto sit necessaria ad custodiam depositi: si enim ignoretur ubi Petrus alligaverit sui Primatûs successionem, seu ubi sit centrum unitatis, jam dogma de primatu seu de monarchica constitutione Ecclesiæ, revelatum à Christo, fiet inutile nec depositum revelationis satis custodietur, et quidem in re magni momenti.

Ergo Ecclesia esse debet infallibilis quando docet et testatur "factum Petri" (etsi dicatur hoc factum non esse dogma revelatum, sed tantùm connexum cum dogmate revelato).

Atqui Ecclesia testata est "factum Petri", nempe quod Petrus Primatum cum episcopatu romano stabiliter conjunxit, seu successionem ubique muneris identificavit. — Nam v. g. in Vaticano sic docet (Constit. « Pastor æternus », cap. II): « Petrus ... ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis S. Romanæ Sedis, ab ipso fundatæ,

ejusque consecratæ sanguine, vivit et præsidet et judicium exercet. Unde quicumque in hâc Cathedrâ Petro succedit, is secundùm Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet.»

Ergò certum est «factum Petri» ex infallibili testimonio Ecclesiæ.

(Adverte, a) Ecclesiam veram Christi posse antecedenter ad cognitum primatum Romani Pontificis cognosci ut infallibilem quandò tota in consensu aliquid credit et confitetur, ut fit in allatâ definitione Concilii Vaticani, cui omnes catholici assentiuntur; b) item, antecedenter ad cognitum primatum Romani Pontificis tanquam divinæ institutionis, Ecclesiam veram Christi à sectis dignosci posse in concreto, ope quarumdam notarum quæ præscindunt utrùm primatus ille sit divinæ institutionis. Ergò nullus est circulus vitiosus in argumento allato. Hæc, et alia quæ in hoc argumento supponuntur ad probandas præmissas, in tract. de Eccl. demonstrantur.

Ex hoc argumento theologico et ex citatis Vaticani verbis, apparet etiam, Catholicis liberum non esse negare «factum Petri»: sed, præter historicas demonstrationes, ex sententiâ Ecclesiæ hoc factum firmiter tenendum esse (fide vel divina vel saltem ecclesiasticâ, cf. infra).

Scholion ad solvendas difficultates.

1°). Multi protestantes ideò romanum episcopatum Petri rejiciunt, quia (dicunt) in eadem persona nequeunt simul esse Apostolatus et Episcopatus. – Sed qui contra testimonia historica asserit repugnantiam à priori, ut hoc asserto aliquid valeat, eam saltem debet probare.

aliqui eam probare non possunt: ergò stare debemus testimoniis. — Imò analogiis et exemplis ostendimus id minimè repugnare: — a) Sicut Paulus, v. g., erat ad omnes missus (Act. IX. 15: "Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israel"), et tamen simul habebat specialem apostolatum Gentium (Galat. II. 7, 8, &c.), cf. quæ diximus supra p. 300: ita poterat aliquis Apostolus, licet ad totum mundum missus, specialiùs curare simul quemdam restrictum locum, curâ scilicet episcopali. Eo magis, quòd possessio sedis episcopalis non idem est ac perpetua ibi residentia: poterat Petrus, licet episcopus Romanus, tamen ut Apostolus huc illuc discurrere ad fundandas Ecclesias, &c. — b) "De même qu'un roi temporel (ait Phillips, Droit eccl., t. 2. § 69) peut être en même temps duc, prince et comte, sans que sa dignité de roi en soit amoindrie, ainsi le lieutenant royal de J.-C. (le Pape) est en même temps patriarche, métropolitain", &c. Et pariter potuit Petrus esse simul et Caput Ecclesiæ et Apostolus et Episcopus, licet tres diversos gradus honoris et jurisdictionis hi tres tituli dicant, cf. supra p. 268, 278, 279. — c) Aliud exemplum Apostoli qui simul fuerit Episcopus habemus in Jacobo Minore, filio Alphæi: nam si non certum, at saltem probabilissimum est, eumdem illum Jacobum fuisse, qui ex Traditione fuit primus episcopus Hierosolymitanus. — Et d) Patres multi, qui episcopatum hierosolymitanum Jacobi apostoli, vel episcopatum romanum Petri, diserte asseruerunt, nullam in talibus factis repugnantiam viderunt: qui melius quam Protestantes sciebant, in hâc materia quid repugnaret, quid non.

Præterea Petro erat specialis ratio as-

sumendi aliquem episcopatum, ut scilicet successores in Primatu suo designaret modo maximè convenienti (cf. Roskovany supra p. 383).

2°). In uno vel altero catalogo episcoporum Romanorum, dicitur primus Linus, sed in ipso contextu diserte explicatur "primus post Petrum". Quæ explicatio etiamsi in uno loco diserte non daretur, tamen implicite saltem datur, et omninò admittenda est ut cum consensu ferè omnium catalogorum fiat conciliatio. - Irenæus (l. cit. supra, p. 457) cum "successores" Apostolorum enumerat (non autem præcisè episcopos), propterea in numero totali, quem dat, Petrum non includit, quia Petrus, tanquam primus Romæ episcopus, nemini "successit", neque est Apostolorum successor sed Apostolus. Hinc cadunt cavillationes aliquorum protestantium.

3°). Thesis nostra minimè supponit, solum Petrum Ecclesiam particularem romanam fundasse, solum scilicet relationem habuisse cum primis neophytis qui in hâc regione fuerint, eos instituisse, "organizationem" dedisse (ut aiunt), ordinasse presbyteros et diaconos, &c. - Aliud enim est, fundare novam Ecclesiam, aliud, eam deinde gubernare cum titulo primi Episcopi. Sic Petrus fundavit cum aliis, imò præcipuè, Ecclesiam Hierosolymitanam, primus ibi fidem prædicans, primus Judæos accipiens in Ecclesiam (Act. II): nec tamen unquam fuit ibi propriè episcopus, sicut Jacobus postea fuit. Alii Apostoli multas Ecclesias fundaverunt, quarum tamen non fuerunt propriè episcopi. Ergo non mirum est, Paulum dici cum Petro "Ecclesiæ Romanæ fundatorem"; hunc titulum habet ex totâ Traditione, et sanè epistolam inspiratam scripsit specialiter ad Romanos, cum venit Romam ibique prædicavit (cf. Act. XXVIII. 16, 31), denique Romam consecravit

suo Sanguine (cf. Patrum textus in thesi XV), quæ sufficiunt, ut dicatur cum Petro fundator. Nec parva hæc est Ecclesiæ Romanæ gloria, a tanto etiam Apostolo fuisse fundatam.

4°). Imò etsi daretur, Paulum fuisse simul cum Petro, per aliquod tempus usque ad mortem, episcopum Romanum, tale factum nihil obstaret nostris thesibus de Primatu. Nam sic Romanus Pontifex esset quidem successor Petri et Pauli in episcopatu, sed solius Petri in primatu, nam Petrus non Paulus (ex thesi IX et X) primatum habebat. Nec proinde primatus Petri in Paulum negaretur, sed Paulus, ob illum primatum, Romæ se habuisset fere sicut apud nos episcopus auxiliarius qui alterum senescentem adjuvat eique subordinatur. Quare olim istam sententiam, cum catholicis quibusdam aliis, celeber Bollandista Papebrochius (in « Conatu Chron. Hist. ») propugnare non dubitavit.

Eorum tamen argumenta (si probare volunt episcopatum romanum stricte dictum in Paulo) non magnam vim habent. a) Textus unicus S. Epiphanii (supra p. 462) non potest prævalere contra tot alios catalogos (quorum plerique sunt antiquiores), qui solum Petrum ponunt primum episcopum romanum. Ceterum Epiphanius potest explicari de episcopatu late dicto quoad Paulum: nam voce "episcopus" aliquandò late sumitur: cf. supra p. 174. Certe Paulus qua Apostolus erat eminenter episcopus, gaudens suprema potestate ordinis et jurisdictione plus quam episcopali: et cùm Apostoli haberent à Christo jurisdictionem in omni loco, sanè potuit eam Paulus exercere Romæ, et ibi apparere quasi episcopus, non tamen sine aliqua dependentia à Petro (cf. prop. damnatam supra p. 266). — b) Pariter

da episcopatu Pauli tale dicto explicari possunt Romani Pontifices in Bullis, formulis excommunicationis &c., dum dicunt, ut Greg. VII., se "in Petri et Pauli thronos sedere", vel, quae est formula communissima, se auctoritate Petri et Pauli decernere. Imo et alii Pontifices etiam dicunt se agere "auctoritate omnium sanctorum", "B. Virginis" &c.: quae intelligi non possunt nisi de auctoritate patrocinii, quod ad officium rite obeundum imploretur. Ceterum, si rem historice spectemus, formulae illae non inveniuntur in primis saeculis: pariter sigillum usitatum in Bullis, in anteriore parte exhibens capita SS. Petri et Pauli, fuit posteriis introductum, nec invenitur tale in antiquissimis diplomatibus, ut docet Card. Vincentius Petra in praemialibus suorum Comment. ad Constit. Apost. (Cf. Bennettis, Brevil. S. Petri, t. 1. p. 32). — c) Pluralitas episcoporum pro eodem titulo seu eadem sede in primis temporibus, quam probare volunt (cum Petavio) ex Act. xx. 28, est hypothesis jam rejecta supra p. 180, Coroll.; cf. p. 176.

Melius ergo dicitur, solum Petrum convenisse cum Apostolatu rerum titulum episcopalem, et fuisse stricto sensu primum Romae episcopum. Nam a) id concordat cum universalitate saltem morali monumentorum antiquorum, et b) mirum esset, praesertim in praecipua sede, exceptionem factam fuisse principio generali de unitate Episcopi in Sede una: quod principium non solum post Conc. Nicaenum, ut asserit Papebrochius, sed etiam in temporibus apostolicis videtur omnino viguisse, v. g. ex antiquissimis testimoniis S. Ignatii: cf. supra p. 181.

5°) Diversae chronologiae (jam apud veteres) de initio romani episcopatus Petri, nihil probant contra factum ipsum: sicut v. g. diversae chronologiae de anno nativitatis et mortis Christi.

6º). Vox "vicarius" (vices) varios habuit sensus: plerumque apud nos significat aliquem inferiorem et delegatum: sed olim significavit aliquando successorem (qui "vices" excipit praedecessoris), aequalem praedecessori in eo munere in quo succedit. Nihil ergo contra nos concludi potest ex verbis quorumdam v.g. Romanorum Pontificum, qui olim se dixerunt "vicarios Petri", sicut advertit Franzelin de Eccl. Ubes. XI: "Hanc successionem in eadem potestate Patres significant, quando successores Petri appellant Vicarios Petri, vel etiam Vicarios apostolicae sedis (S. Gelasius Papa, ep. 4 ad Anastas. imperat.). Vicarii Christi sunt (in sensu delegationis et inferioritatis), quia vices gerunt Christi in potestate ei originaliter propria et ejus nomine exercenda; Vicarii B. Petri sunt, quatenus ejus vices excipiunt succedendo in eadem potestate a Christo instituta (Matt. XVI, Jo. XXI); et sensu eodem Vicarii apostolicae sedis, quatenus in potestate quam Apostolus ... in sua hac sede propagandam reliquit, ejusdem Apostoli vice succedunt".

7º). Episcopi quilibet aliquando dicti sunt "successores Petri". Dist: successores latiori sensu, scil. indirecte et per quamdam participationem inferiorem, Conc. stricto sensu, ut directe succedentes in eodem gradu jurisdictionis, Nego. Quoniam Petrus plenitudinem jurisdictionis accepit non ita, ut jurisdictionem totam sibi servaret et suis successoribus, sed ita, ut partem ejus habere deberent Episcopi cum dependentia a Primatu (cf. supra p. 245, 279, 280), sequitur, omnes Episcopos originem suae potestatis adscribere posse Petro et "cathedrae Petri, unde unitas sacerdotalis exorta est" (Cypr. supra p. 392), qui fuit quasi una "radix" totius episcopatus (Cypr., p. 438). Et quatenus Episcopi servant communionem cum

cathedrã Romanã, possunt dicere, ad exclusionem schismaticorum: « Cathedra Petri nostra est », ut loquitur S. Optatus supra p. 402; et è contrario de episcopis schismaticis dicere possunt cum S. Ambrosio (ibid.): « Non habent Petri hæreditatem (scil. ex contextu usum clavium, jurisdictionem), qui Petri sedem non habent, quam impiâ divisione discerpunt ». Sed aliud est, « habere cathedram Petri » illo sensu; aliud, in eã sedere, ut sedet qui est propriè successor.

Episcopi dicti sunt etiam aliquando « vicarii Christi »; sed non æquo jure cum Rom. Pontifice. Imò ipsi presbyteri aliique ministri vices Christi gerunt, sed in diversis muneribus, et inæquali jure.

Thesis XVII.

Conjunctio Primatûs cum Sede Romanã est ita stabilis, ut dissolvi nequeat auctoritate quãlibet humanã diversã et sejunctã à Romano Pontifice; — 2) imò neque ab ipso Petri successore.

St. 2. Ex thesi proxcd. illud jam habemus, quod sic exprimit Card. Franzelin de Eccl. thes. XI in fine: " Unionem episcopatus Romani cum primatu, et nihil aliud, docent Patres, quando celebrant Ecclesiæ Romanæ primatum super Ecclesiam universalem. Suppositâ verò per factum Petri tali unione, profectò qui succedit Petro in Ecclesia Rom. tenente primatum, eo ipso succedit in primatu, et vicissim nemo potest Petro succedere in primatu, quin eo ipso succedat in episcopatu Romano qui jam includitur in primatu."

Et paulò antea: « Sedem Romanam (Petrus) effecit sedem primatialem . . . quam moriens vacuam reliquit non solùm negativè quòd jam nullus in eâ sederet, sed cum jure et exigentia positiva, ut alius et alius juxta divinam ordinationem perpetuò succedat in eadem illa ordinaria Petrina potestate. Unde non est duplex successio, una in episcopatu Romano instituto à Petro, altera in primatu instituto à Christo; sed posito facto Petri, . . . jam successio una est, non separata sed distincta secundùm duplicem rationem. » Et thesi XII: « Consequitur, modum unionis esse, ut distinctione rationis successio in sede Romanâ sit visibile signum successionis in Primatu: » (nam logicè priùs Leo XIII eligitur in episcopum Romanum, et cognoscitur ut talis); « realiter verò una sedes Romana evecta sit ad dignitatem et potestatem sedis primatialis in universam Ecclesiam. »

Adverte, unionem duarum aliquandò dignitatum ita fieri posse instabiliter in una persona, ut mortua illa persona unio dignitatum perseverare non debeat: S. C. Rex Neerlandiæ nuperrimè defunctus, erat simul princeps Luxemburgiæ (grand-duc de Luxembourg), sed ipse personaliter; principatus enim ille non erat res per se et in se conjuncta cum coronâ Neerlandiæ, sed tantum per accidens et in aliquo tertio, mortuo illo Rege, jam duo diversa habentur subjecta utriusque principatûs. Non ita res nostra intelligenda est, ex thesi proxime. Quare docet Bellarm. (de Rom. Pontif. l. 2. c. 12) jam « Romanum episcopatum et Ecclesiæ universæ præfecturam non esse duos episcopatus, neque duas sedes, nisi in potentiâ. Nam Petrus, Pontifex totius Ecclesiæ à Christo institutus, non adjunxit sibi episcopatum urbis Romæ quomodo Episcopus alicujus loci adjunxit sibi alium

episcopalium, vel canonicalium, aut abbatiam; sed Romanæ urbis episcopalium exeait ad summum orbis terræ Pontificatum, quemadmodum cum episcopatus simplex erigitur in archiepiscopatum vel patriarchatum... Ex quo sequitur, ut qui eligitur Romanus Episcopus, eo ipso sit Pontifex summus Ecclesiæ totius, etiamsi forte id non exprimant electores.»

Igitur, ex probatis, conjunctio Primatûs et sedis Romanæ est stabilis, ita ut Petro mortuo perseveret. Sed nunc quæritur de illius stabilitatis gradu. Nam in institutis, quæ nunc habemus, duplicis speciei est stabilitas: una major seu absoluta, quæ ut terminum respicit finem mundi, qualis est stabilitas seu perpetuitas Ecclesiæ militantis, et ipsius Primatûs præscindendo ab ejus sede (cf. Thes. XIII); altera minor seu relativa, qualis est stabilitas legum humanarum, quæ sic describitur à Suarezio, de Legibus L. 1. c. 10. n. 7: «Dico ergo legem humanam propriè dictam triplicem habere moralem perpetuitatem, seu stabilitatem. 1a est ex parte ferentis, quia non amovetur illo amoto, nec moritur illo mortuo. 2a est ex parte subditorum ad quos fertur, quia non tantùm obligat præsentes, qui vel nati sunt vel territorium incolunt cùm lex fertur, sed etiam eorum successores postea natos vel demùm ibi habitantes. 3a ex parte ipsius legis, quia semel lata semper durat, donec vel revocetur, vel materia ejus aut causa ita mutetur ut justa esse desinat.» — Quæ stabilitas si deest alicui humanæ injunctioni, non propriè lex, sed generaliori nomine præceptum dici debet.

Quæstio igitur est hæc: stabilitas conjunctionis inter Primatum et Sedem Romanam estne illa major, — an hæc minor quæ habetur in legibus humanis, etiam ecclesiasticis? — Ulteriùs verò,

in hypothesi quòd sit minor, scilicet quod aliqua dissolutio sit (in presenti etiam ordine) planè possibilis diuturno tempore ante mundi finem, Primatu in se quidem non perenne sed translato seu conjuncto cum aliqua alia sede, — in istâ (inquam) hypothesi, num teneri potest, dissolutionem fieri posse etiam sine consensu et concursu Romani Pontificis, ab aliqua alia auctoritate sive ecclesiastica sive profana?

Istud ultimum docuerunt aliqui pseudo-catholici, haereticis faventes; inter quos primùm Febronius, qui hanc quaestionem effecit celebrem, deinde nostris diebus Nuytz. — "Jam "saeculo elapso (ait Card. Franzelin de Eccl. th. 12, p. 215), cùm bellum atrox contra Apostolicam Sedem tùm rebus nefariè gestis tùm impiis scriptis ubique moveri coepisset, Febronius (Nicolaus de "Hontheim, episcopus Myriophytensis) in suo libro "de "statu Eccl. et legit. potestate Rom. Pontificis", qui non solùm per S. Congreg. Indicis sed etiam pluribus litteris ad Episcopos Germaniae datis à Clemente XIII proscriptus est, inter errores alios haereticos et schismaticos etiam asserit, "auctori- "tate Ecclesiae primatum ad alium Episcopum, v.g. "Mediolanensem, Parisiensem, &c. transferri posse" (c. 2. n. 3). Auctoritatem verò Ecclesiae (ut patet ex contextu) intelligit distinctam et sejunctam ab eâ successorii facti, Pontificis Romani."

Istos refellemus statim in 1ª parte, utpotè magis errantes, et ab Ecclesiâ damnatos. — In 2ª parte, errorem tolerabiliorem, aliquorum plane orthodoxorum Theologorum impugnabimus.

Probatur 1ª pars.

1º) Evertendo fundamentum opinionis ad

versae. — Ista opinio fundatur in theoriâ gallicanâ quae asserit Petrum "caput ministeriale", et "claves immediatè datas Ecclesiae," sumpta in oppositione ad Petram. Istam enim theoriam aperte docet Febronius; et supponens (quod nunc transmittimus) Petrum ipsum non designasse Sedem seu "locum successoris in primatu", concludit l.c.: "Reliquum est, ut penes Ecclesiam, cui, ut dictum est, potestas clavium et omnis ecclesiastica auctoritas tradita fuit, steterit (tempore Petri) et etiamnum perduret jus determinandi, per quem unam alteramve partem clavium administrari, a-deoque per quem primum in Ecclesiâ officium, per quem inferiora munia conformiter ad institutionem Christi geri velit. Hinc (firmum manet), sicut per rationes convenientiae, auctoritate humanâ, Romanae urbis Antistiti sacer primatus creditus fuit, sic et ex rationabilibus motivis auctoritate Ecclesiae eumdem ad alium Episcopum, v.g. Mediolanensem, Parisiensem, &c. transferri posse." Cf. alia citata à Franzelin ibid.

Atqui theoria ista gallicana jam ex Script. et Trad. refutata est in thesis IX^ae 2^ae parte; et jam ab omnibus Catholicis agnoscenda est ut haeresis, explicitè a Pio VI et à Conc. Vaticano damnata (cf. supra p. 2144). — Petrus immediatè claves accepit, et absque ipso non datur suprema potestas ecclesiastica, et idem dicendum de Romano Pontifice: nam "Petrus vivit in suis successoribus" et eadem ejus potestas primatialis in ipsis perdurat, ut probant textus supra p. 457, seqq.; cf. et thesim XIII: Nec "successor" est, qui diversum recipere.

Ergò nullum est fundamentum, ut Ecclesia, sumpta in oppositione ad ipsum Summum Pontificem, v.g. Concilium acephalum, possit illam translationem operari: imò constat, ad talem translationem (cùm ex

natura sua sit mutatio disciplinae generalis attingens totam Ecclesiam, proinde reservata supremae ecclesiasticae potestati) requiri concursum Summi Pontificis, dato (non concesso) quòd possit ab aliquo homine fieri. Ergò quandò talem translationem necessitas proportionata legitimam facere supponeretur, si tunc deesset Romanus Pontifex, ante omnia eligi deberet, et ipse postea (in Concilio oecumenico, si placet) translationem futuram decerneret.

Ita Suarez, contra Regem Angliae l. 3. c. 23, praescindens (sicut nos fecimus) ab iis quae in parte seq. probabimus: "Quidquid sit de illa quaestione quae à Th. disputatur, an possit Summus Pontifex separare primatum à Rom. Sede, et illum vel in alio episcopatu collocare vel ab omni particulari episcopatu separatum relinquere, certum esse existimo, dum aliquis Summus Pontifex id non faciat, non posse universam Ecclesiam, vacante Papatu, id efficere, quia non potest inferior potestas mutare quod per superiorem constitutum est, et quia sicut Petro soli datus est primatus pro ipso et successoribus ejus, ita ad ipsum solum seu ad S. Pontificem spectat determinare sedem Pontificalem (in hypothesi quam Suarez hic permittit, quòd determinatio non jam incommutabiliter facta sit), et modum electionis et successionis ejus praescribere."

2°) Non tantùm implicitè damnata est illa conclusio deducta à principiis gallicanis, sed etiam explicitè in Syllabo Pii IX, prop. 35: "Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententiâ aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri."

Propositio haec, ut in ipso Syllabo indicatur,

desumitur ex litteris Apostolicis « Ad Apostolicæ », scil. ex damnatione librorum Joannis Nepomuceni Nuytz ; proinde est intelligenda in sensu illius auctoris. Jamverò ille theorias gallicanas ac regalisticas ubique propugnans, ut constat ex illis litteris Apostolicis, « Concilium generale » intelligebat sensu gallicano ut sejunctum à Papa. « Quin etiam (ut advertit Franzelin ibid.) ex ipsis verbis quibus propositio enuntiatur, ubi consensus seu « factum populorum » conjungitur verbo æquipollens cum « Concilio generali », clarum est, Concilium à Nuytzio intelligi citra et etiam contra Pontificem Romanum, sensu Dupinii, Febronii et aliorum Novatorum ; non autem celebratum et sanctum Pontificis auctoritate. »

3ª). Argumenta partis sequentis hanc priorem probant à fortiori.

— 2ª pars. —

St. 2. « Dissolutio » illa conjunctionis inter Primatum et Sedem Romanam, seu « translatio » Primatûs, posset, ut diximus, alio sensu intelligi, scilicet facienda ab ipso Romano Pontifice successore Petri, saltem concurrente cum Concilio. Hic sensus non fuit ab Ecclesiâ damnatus, ut patet ex analysi damnationum quæ explicitè vel implicitè hanc materiam tangunt : cf partem præcedentem. Et in hoc sensu videtur intelligendus Dominicus Soto (4, dist. 24. q. 2. a. 5) et aliqui post eum, Theologi non gallicani, qui « per potestatem Ecclesiæ » fieri posse istam dissolutionem putáverunt ; « si enim (ait Franzelin ibid.) de inferiori potestate ecclesiastica ageretur (non de suprema, includente Papam), nec Soto, opinor, illam sententiam defendisset, et ejus oppugnatores severiori censurâ usi fuissent. Gregorius de Valentia (Analys. fidei l. 7. c. 12) contra Soti argumenta infra sequentem se continuit improbationem. « Utcumque subtiliter ista pro

"Toti opinione disputari possint, mihi certe videtur "ea opinio in re tam gravi minimum esse singula- "ris nec verò satis tuta." Cf. alios Theol. citatos ibid.

2ª igitur pars nostræ thesis hactenus non est unquam definita; nihilominus, ut ait Card. Franzelin ib. p. 210, "est veritas theologica certa innixa principiis et documentis fidei", ut ex nostris argumentis constabit.

Probatur.

1°) Ex definitionibus Conciliorum. — Quod definitur tanquam "ab omnibus Christianis credendum", si nulla restrictio apponitur, quâ innuatur esse credendum non absolutè sed tantùm hypothetice — illud profectò est usque ad mundi finem credendum, ex sensu obvio definitionis à quo non licet recedere. Nam disciplina quidem, quæ non proponitur aliquid credendum sed faciendum, mutari potest; sed illa absoluta fides (sive divina sive saltem ecclesiastica intelligatur) mutari non potest: secùs tollitur essentiale discrimen fidei et disciplinæ.

Atqui Conc. Florentinum (supra p. 384), Conc. etiam Vaticanum non tantùm hypothetice definit: "Romanus Pontifex, si sedes Romana conjuncta manet cum Primatu, seu donec conjuncta &c., est successor Petri et habet primatum, &c.": sed absolutè (Const. "Pastor æternus", cap. 3): "Innovamus vacamenici Concilii Florentini definitionem, quâ credendum ab omnibus Christi fidelibus est, S. Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri", &c. Et cap. 2: "Si quis dixerit ... Romanum Pontificem non esse B. Petri in eodem primatu successorem, a. s." — Nec in eis documentis illum est vestigium istius hypotheticæ tantùm veritatis, et mutabilitatis objecti.

Ergò illud erit credendum usque id mundi finem; quod directè obstat adversariorum sententiæ. – Cavillationes, à sensu obvio definitionis recedentes, vel etiam facientes eam ridiculam, singulas rejicit Palmieri thes. 9, n. I. – Cf. Mazzella p. 945, n. 4.

2º) Idem sic concretè evolvitur, cum argumento novo ex sensu fidelium, à Card. Franzelin l. c. p. 205: " Supponamus primatum à sede Romanâ Petri translatum, et jam conjunctum sedi alteri, Neapolitanæ, Parisiensi, Coloniensi. Ergo pro illâ suppositâ futurâ ætate non erit ampliùs verum, quod definitum est et usque ad illud tempus ab omnibus fide catholicâ credendum erat, " ipsum Pontificem Romanum successorem esse (non solùm fuisse aliquandò) B. Petri principis Apostolorum, totiusque Ecclesiæ caput "; ac propterea tùm temporis non erit anathema, " qui " dixerit Romanum Pontificem non esse B. Petri in " primatu successorem " .... In summâ, vera Ecclesia J. C. non erit amplius Ecclesia Romana catholica, sed Ecclesia Neapolitana vel Parisiensis catholica. Absurditas ipsa horum consectariorum catholicis auribus intolerabilis, quæ tamen omnia in illâ suppositione translatæ sedis necessariò continentur, demonstrat incommutabilitatem objecti, quod in definitionibus et professionibus fidei credendum proponitur. "

Hunc sensum populi fidelis vividè expressit Pontifex ille Avenione residens, qui, teste Petrarca (epist. 3ª; apud Perrone, de Rom. Pont.), cum esset. Italis infensus, et quidam ejus familiaris ipsi consuleret translationem papatûs à sede Romana ad Cadurcensem (Cahors), ut hoc modo de Italis ulcisceretur, ridens respondit: " Hactenùs te nondùm delirare cognoveram. An ignoras, inscie, hac via ... et me, et qui mihi successerint, episcopos Cadurcenses fieri; ... illum verò, qui Romæ præfuerit, Papam fore? ... Velimus, nolimus, rerum caput Roma erit. "

3°). Ex antiquâ Traditione, seu documentis Patrum, idem potest fieri argumentum, quod ex definitionibus recentioribus Conciliorum fecimus. Nam in multis textibus (cf. supra p. 457 segg., cum locis ad quos ibi remittitur), Romanus Pontifex dicitur absolutè et indefinitè successor Petri in primatu. Sic Irenæus ponit ut principium generale et semper verum, esse adhærendum Ecclesiæ et successioni Romanæ. — Optatus docet « in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam », ut « in illa una cathedra unitas ab omnibus servaretur », principio generali, quod applicat Optatus contra schismata omnia, etiam sui temporis, ostendendo, per catalogum Romanorum Pontificum, Siricium hunc regnantem descendere à Petro. — Simile criterium et principium generale supponit Augustinus. — Philippus in Conc. Ephesino : « Petrus, princeps et caput Apostolorum, ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus » (quos ex contextu intelligit episcopos Romanos) « vivit et judicium exercet. » Hæc verba à Vaticano (cap. 2) fuerunt repetita et paulò magis evoluta. — Petrus Chrysol. obediendum esse dicit « Beato Papæ Romanæ civitatis, quoniam B. Petrus in propria sede et vivit et præsidet » : dicitur propria sedes Petri, quia in ea ipse sedit, quod semper verum erit de Româ, nunquam de Parisiis, &c. — Similia Leo M., &c.

Ad rem Valentia, Analysis fidei l. 7. c. 13 : « Ratio, ob quam Patres illi suorum temporum Pontifices Romanos Petri successores esse agnoscebant, alia propriè non erat, nisi quia illi legitimo modo ab Ecclesia Catholica in locum Petri » (seu locum à Petro occupatum, cf. Cypr. supra p. 393) « recipiebantur... Sed hic etiam Pontifex qui nunc est, legitimè item ab eadem Ecclesia in locum D. Petri receptus est, et alii quoque qui succedent. » Et Roma in æternum erit « locus Petri ».

"sedes Petri" "cathedra Petri" in quā ipse „sedit," ex multis testimoniis, cf. supra p. 462, 463. Nec ratio illa, ex naturā suā, potest desinere esse vera; nec de cetero Patres ullam possibilem mutationem ullibi docent, imō ne innuunt quidem.

4º) Confirmatur thesis experientiā. Ex unā parte, a) adversarii Romanae Sedis, scil. schismatici, vel saltem ambitiosi Episcopi aliarum sedium, vel Principes suae gentis elevationem quaerentes, &c. quamvis callidi et tentantes omnem viam, nunquam à Concilio oecumenico, vel à Pontifice Romano per minas vel seductiones tentaverunt obtinere, ut decerneret futuram primatūs Petri translationem; talem translationem non tentaverunt ipsi Byzantini, cum tota sua ambitione, sed petierunt ut sedes Constantinopª secunda post Romanum haberetur (cf. canonem Constantinop. et Chalced., supra p. 425, segg.). Imo, ut notat Granderath de Eccl. p. 190, ipse „Photius non primatūs divinitus institūti translationem ab Eccl. Rom. ad Constantinopam. asserit, ut Febronius putabat, sed ubi suae ambitionis intererat, negato vero Primatu et perversens jura patriarchalia, inter Patriarchas Pontifici Romano primatum honoris dumtaxat, vel etiam sibi parem cum illo dignitatem vindicare conatus est, eo quod Constantinopolis imperialis jam civitas esset et nova Roma." — Ex alterā parte b) Pontifices Romani eorumque amici nunquam illam translationem de facto tentaverunt, quamvis potuerit videri utilis, et quidem in multis occasionibus, v.g. in persecutionibus imperatorum Romanorum, qui caput Ecclesiae, sibi tam vicinum, specialiter quaerebant ad necem (Cyprianus epist. 55. n. 8. testatur, quod imperator Decius facilius toleravisset insurrectionem novi contra se aemuli imperatoris, quam existentiam episcopi Romani: „Quantum robur animi (in Cornelio Papa), ... sedisse intrepidum Romae in

sacerdotali Cathedrâ eo tempore, cùm tyrannus ... multò patientiùs et tolerabiliùs audiret, levari adversus se aemulum Principem, quam constitui Romae Dei Sacerdotem!") Item postea tempore Gothorum, qui pluries Romam ceperunt, incenderunt, destruxerunt (Alaricus, Genericus, Totilas). Item toto tempore Longobardorum Rom. Pontifices in summis miseriis fuerunt. Item tempore S. Bernardi (cf. ejus epist. 242 ad populum Romanum, et epist. 243 ad Conradum Imper.) adeò per multos annos cives Romani suos Pontifices vexaverunt, ut saepissimè compellerentur Pontifices ab urbe exsulare. Item, quandò Rom. Pontifices per 70 annos manserunt in Galliis; cur non mutaverunt episcopatum Rom. cum Avenionensi? &c. &c. — Tam constans per tot saecula, tam universalis amicorum et hostium persuasio de indissolubili nexu inter Primatum et Romanam Sedem, est magna nostrae thesis confirmatio. — Cf. Bellarm. de Rom. Pont. l. 4. c. 4; — Mazzella n. 944.

Ratio congruentiae pro absoluta Primatûs immutabilitate, ad vitandas discordias et dubia de centro unitatis, est obvia et manifesta.

Scholion I. Haec advorte, ad solvendas objectiones.

1°) Sola absentia Pontificum ab Urbe nequaquam sufficit ut sedes transferri dicatur. In omni enim Episcopo, aliud est cessatio residentiae, seu commorationis Episcopi in urbe suâ episcopali, aliud est cessatio vel immunitio vel translatio Sedis, seu quod talis locus, cui stabiliter annectebantur jura episcopalia, vel cujus Episcopatui jura quaedam specialia (v. g. patriarchatus, primatus) adhaerebant, jam privetur his vel illis juribus, quae transferantur stabiliter ad alium locum. " Residentia (ait Card. Mazzella n. 915) non ita uni affixa est loco,

ut, justis interadentibus causis, non possit aliotiam ferri, uti saepè contigit, eo praesertim tempore, quo Romani Pontifices Avenione commorati sunt: quod facilius intelligitur in Rom. Pontifice, qui cùm sit episcopus in tota Ecclesia, quocumque commoretur, non est ibi uti extraneus seu sicut episcopus extra suam dioecesim, sed tanquam Ordinarius in territorio suae residentiae ... Quare fieri quidem potest, ut Summus Pontifex resideat Neapoli, Avenione, &c.; at nunquam potest fieri, ut episcopus Neapolitanus, Avenionensis &c. sit Summus Pontifex; ubicumque ergò resideat, semper erit Episcopus Romanus, ut possit dici ac verè esse in Primatu Petri successor.» — Nec, etiam diù absente Papa, creari posset alius simul "episcopus Romanus" ad curandam interea solam Urbem, licet Primatu destitutus: sed idem qui est Pontifex Urbis est simul eo ipso Pontifex Orbis, et vicissim.

2°). Praecipua adversariorum objectio est haec: "Urbis Romae destructio, et quidem completa et perfecta, non est impossibilis. Ergò saltem in illo casu posset Ecclesia (saltem cum manente tunc Pontifice Romano) designare episcopatum aliquem, cui uniretur Primatus, vel determinare ut deinceps Primatus separatus ab omni episcopatu maneret."

Resp. a) Ad Antecedens: "Vel thesis nostra verè implicat perpetuam existentiam urbis Romae, vel non. Si 1m, dicendum est, ut corollarium ex ipsa thesi, impossibile esse in hoc ordine Providentiae, ut Roma completè destruatur, adeoque esse civitatem aeternam, sicut ferebat vetus paganorum traditio. Si 2m, destructio Roma nostram thesim non labefactat. — Instant adversarii contra hanc responsionem: "At ex revelatione certum est, nempe ex Apocal. XVII et XVIII, tempore Antichristi fore eversionem Romae, designata nomine Babylonis." — Resp. Nego illam "certitudinem": certum est (ait Card.

Franzelin l.c.) in illis capitibus Apocalypsis sensu literali immediato prædici interitum indolabilis persecutricis Sanctorum (primis Ecclesiæ seculis) in imperio Romano et ejus centro Babylone illâ magnâ; incerta sunt, quæ de excidio, multoque magis quæ de defectione (à religione christiana) Urbis, pro fatuis ultimis temporibus, textui sensu velut plenissimo et altiore supponuntur.»

Resp. C): Trans. Antec., Nego Cons. — Nam ut advertit Card. Mazzella n. 946, ad nostram thesim et doctrinam «satis est, ut subsistat titulus cum vero jure Romanam Ecclesiam regendi, si hæc existat et quamdiu existet. Porrò hic titulus ac jus etiam destructa Roma subsistere posset: unde quicumque huic juri et huic titulo succederet, verus esset Petri successor, ac primatum in universam Ecclesiam obtineret. Revera si de meræ possibilitate agitur, sicut potest Roma, permittente aut disponente Deo, destrui, ita potest iterum erigi: interea autem immutatum stabit jus Romanorum Pontificum sibi legitime succedentium, Romanam Ecclesiam regendi, stabit ac demùm existere incipiet. Huic juri annexus remaneret Primatus, neque id ullatenùs pugnat. Cf. Suarez, de Fide disp. X., sect. 3. n. 11.» — Et Card. Franzelin l.c.: «Distinguendum est inter urbem Romam materialiter et politicè (h.e. in suis institutis et hominibus politicis) spectatam, et inter Ecclesiam Romanam. Hæc non membris et ædificiis et institutis politicis constat, sed est plebs fidelium episcopo adunata» (Cypr.) Imò, ut ait Ignatius m., «Ecclesia est in Episcopo» Inde concludit doctissimus Cardinalis: «Perennitas moralis personarum (sibi legitime succedentium), non perennitas physica loci postulatur. Imò etiamsi Ecclesiæ Romanæ collectæ

et admirative, ut à suo Episcopo distinguitur (spectando nempe plebem non Episcopum), eversio supponeretur, et maneret tantùm conditio Ecclesiæ colligendæ, qualis erat, cùm primus Romanus Episcopus «sil-«vam istam fremientium bestiarum et turbulentissimæ «profunditatis oceanum ingrederetur» (S. Leo serm. 82. c. 4); Romani tamen Episcopi non desinerent esse Petri sicut in universali Apostolica ita in particulari episcopali dignitate successores; cf. S. Leon. serm. 5. c. 4.» — Et Zaccaria, dissert. de Rom. Pont. primatu, c. 5. n. 6: « Primatus Petri eâ tantùm ratione adscribitur ad locum, in quo mortuus est hic Apostolus, ut qui Romani Pontifices dici possunt, ii soli ejus successores haberi debeant. At Romanorum Pontificum successio non ex eo loco pendet ubi commorentur, sed loco ubi primùm illi consederunt, quibus ipsi non interruptâ serie suffecti sint. Quare si Roma eversa fuerit, alio commigrabunt, Romani tamen Pontifices erunt, ut qui ad Romanorum Pontificum, qui ipsos antecesserunt, ordinem pertinebunt.»

A fortiori nequit esse difficultas, si tantùm in fine mundi (scilicet pro parvo tempore) Romanus Pontifex maneat sine urbe sua, et fortasse etiam sine plebe suæ Ecclesiæ particularis Romanæ.

Scholion II. Utrùm de jure divino sit conjunctio illa inter sedem Romanam et Primatum? — Hæc quæstio, de qua hactenùs præscindebamus, non parùm est intricata et complexa, nec satis clarè proponitur apud plures auctores, inde obscuritas quædam in doctrinam nostram præcedentem posset induci: quare operæ pretium est, eam accuratè nunc exponere.

Dico 1°: Evidenter potest illa conjunctio

esse de jure divino, seu positivae divinae institutionis. Nam conjunctio illa, ex Thesi XVI, est "factum Petri." — Sed "factum Petri", propter specialem conditionem in quâ vivebant Apostoli (quae jam in nullo homine habetur, ne in Summo quidem Pontifice), potuit poni alterutro ex his modis diversissimis: vel a) Petrus tunc egit per modum legislatoris (sicut nunc summus Pontifex) statuentis aliquod jus humanum, licet per divinitus acceptam generalem potestatem: vel b) tunc egit per modum meri praeconis, nihil statuens per se, sed promulgans morum jus divinum, seu objectum a Deo in particulari determinatum et antecedenter electum: Apostoli enim uno modo, vel altero, procedebant, secundùm quod Deus objectum particulare vel ipsorum liberae determinationi relinquebat, vel ipse antecedenter, et ipsis obligatoriè, praedefiniebat, eisque tradebat promulgandum: cf. supra p. 32, 33. — Ergò potuisset "factum Petri", de quo agitur, procedere sicut plura alia facta Apostolorum, quae pertinent ad 2am hypothesim seu 2am categoriam. — Neque obstat argumentum istud negativum, quòd hoc non sit in Scriptura: nam plura alia quae certò sunt juris divini (v. g. de Sacramentis) in Scripturâ non inveniuntur. Sufficit Traditio, quae scil. conservaverit testimonium Petri, se id fecisse ex Dei particulari voluntate sibi revelata per Christum olim in terris degentem, vel per Spiritum Sanctum postea: cf. supra, p. 34, 35. — Neque obstat, quòd ipsa Traditio (ut statim ostendemus) hic non certò asserat jus divinum: defectus ille charitatis obstat quidem, quominus certò asseramus, conjunctionem Primatûs cum Sede Romanâ esse de jure divino, non autem quominus certò asseramus, eam esse posse de jure divino, seu quominus concedamus aliquam probabilitatem sententiae

ibi asserenti divinam institutionem. Et sane congruum erat, ut rem tanti momenti Deus ipse immediate determinaret.

Dico 2°: Non certo constat, illam conjunctionem esse de jure divino:

Nam a) testimonia directa quae afferuntur ex Traditione, non sunt clara. — Quod enim aliqui Patres dixerunt, Dei inspiratione, Dei jussu, Dei dispensatione, &c. Petrum transtulisse sedem suam in Urbem, potest dupliciter intelligi, ut notat Bellarminus de R. Pont., l. 4, c. 4: "Uno modo, quod Dominus perspicue Petro apparens Neronis imperaverit, et tunc vere divino praecepto dicetur sedes Petri Romae esse constituta. Alio modo, quod Christus quidem id aperte non jusserit, sed dicatur jussisse, quia id Petrus fecit Deo inspirante (per ordinariam Dei cogitationem, cf. Tract. de Gratia actuali), quo modo omnia decreta et praecepta Ecclesiae dici possent divina". — (sensu lato, cf. supra p. 31, 32). Imo quidquid boni fit in mundo, dispositione Dei fieri dicitur, cujus Providentia attingit omnia. Illa igitur dicta, ut advertit etiam Joan. a S. Thoma (t. VII., Tract. de Summo Pont., disp. 1. a. 4. n. 13) "non cogunt ut dicamus id fuisse jure aliquo divino speciali factum, sed loquuntur eo more, quo omnes Pontifices Romani modo in suis litteris se divina Providentia et electione assumptos ad pontificiam dignitatem dicunt, et tamen constat applicationem pontificatus ad hanc determinatam personam non fieri de jure divino, sed mediante electione humana. Et hoc sensu intelligi commode possunt reliquae auctoritates quae insinuant ex jussione Domini Romanam Ecclesiam accepisse primatum...; vel, loquuntur non de ipsa applicatione (conjunctione) ubicumque potestatis, sed de ipsa ratione primatus secundum se, supposita applicatione". Ipse enim Primatus secundum se est de jure divino. — Et

quamvis unus aut alter testis plus diceret, non faceret nisi probabilitatem; ad certitudinem deberes habere vel plures testes Petrum, vel testem unum sed qui esset decretum Ecclesiæ seu definitio ex cathedra: quod non habetur. — Nec sufficiens est probatio in narratione S. Ambrosii et S. Athanasii de apparitione Christi Petro persecutionem fugienti, ut Romam rediret et ibi moreretur; « ex hoc enim (ait ex. à S. Thoma ibid.) non colligitur Christum elegisse Romam, sed elegisse Romam, ut in illo episcopatu esset S. Pontificatus, ut in eâ Petrus martyrio coronaretur; hoc enim solum illis verbis (« venio Romam iterum crucifigi ») Dominus significavit. Unde cum multo tempore ante Petrus Romæ sedisset, non potest ex vi illorum verborum fundari illa Ecclesia pro summo Pontificatu. » Deinde dubitari potest utrum hæc historia sit traditio certa.

Nec b) potes indirectè arguere ex thesi nostrâ XVII, sic: « Quidquid in Ecclesiâ est absolutè immutabile est de jure divino. Atqui, ex thesi XVII, conjunctio Primatûs cum Sede Romana est absolutè immutabilis. Ergo est de jure divino. » — Major est falsa, vel saltem gratuita. Etenim, quidquid est de jure divino, est absolute immutabile in Ecclesiâ (cf. supra p. 38): at non e converso: saltem non necessariò sequitur propositio conversa, neque aliunde certò probatur. Nam in casu nostro absoluta immutabilitas potest aliunde oriri quam ex jure divino, et satis probabiliter explicari extra jus divinum. Sane Deus, si rem à priori consideramus, potuit tripliciter se habere quoad electionem Sedis Romanæ: potuit 1) ipse antecedenter eam eligere, et revelare Petro se id velle, et obligare eum ad id promulgandum: sic res esset de jure divino; potuit 2) liberam Sedis electionem relinquere Petro quas utenti auctoritate suâ ordinariâ (sed transitoriâ ad

successores, cf. supra p. 381, Coroll.): sic res esset de jure ecclesiastico, et mutabilis per supremam Pontificis auctoritatem; – sed et potuit 3) liberam electionem relinquere soli Petro qua utenti auctoritate quâdam extraordinariâ (seu non transitivâ ad successores): sic res mutari non posset per successores, et quamvis non esset de jure divino, non tamen esset de jure ecclesiastico. Neque enim quidquid habuit Petrus, necessario transiit ad Summos Pontifices: ut videmus exemplo inspirationis ad scribendum, vel doni miraculorum. Sta Joannes à S. Thoma l. cit. n. 22: « Etiamsi ab Apostolis et non à jure divino facta est haec conjunctio, adhuc non constat factam ab Apostolis per auctoritatem ordinariam in quâ succedit Pontifex .... Sicut Apostoli, ex munere Apostolatûs extraordinario et delegato, habebant potestatem et auctoritatem scribendi Scripturam canonicam, ita ex eodem munere auctoritatem habebant explicandi jus divinum altiori modo quam nunc explicatur ab ipsa Ecclesia; unde non videtur mutari posse talis determinatio ab auctoritate ordinaria Ecclesiae, quae facta est ex auctoritate apostolica quatenus delegata et extraordinaria erat, et ad ipsum actum fundandi Ecclesiam pertinebat: ordinaria enim potestas non potest mutare ea, quae à delegata potestate superiori facta sunt, ut est textus expressus in Capite "Sunt qui nos" de officio et potestate Judicis delegati." – Sicut in aliquo ordine religioso, v. g. in Societate nostra, aliqua à Fundatore posita puncta essentialia exstant ("substantialia Instituti"), quae, quamvis non jure divino posita, tamen mutare non licet iis ipsis qui supremam auctoritatem habent postea in Ordine; ita conjunctio illa Primatûs cum Sede Romana, pertinens ad constitutionem gubernii Ecclesiae, potest

haberi ut quid substantiale determinandum à Fundatore Petro (si non fuit determinatum jure divino), nec mutandum à successoribus in gubernio. Aliud exemplum haberi potest in Societate civili, saltem non-democratica, quae initio fuerit fundata libero consensu civium: primi fundatores determinaverunt v.g. formam monarchiae cum tali familia regnante, nec posteri eorum possunt singulis generationibus formam gubernii in quaestionem revocare, et suam propriam determinationem habere velle: secus esset contradictio in terminis, scil. haberetur monarchia quae non esset monarchia, sed democratia; et homines v.g. fortuito congregati in insulâ remotissimâ, gubernium inter se constituere volentes, nunquam possent monarchiam eligere, sed necessariò democratiam, quod falsum est. Imò neque in democratiâ convenit perpetuò "revisere" et immutare "Constitutionem". Distinguas ergo inter "jus constituens", quod ipsam societatis fundationem substantiamque attingit, et "jurisdictionem", quae societatem fundatam constituitque supponit, et tantùm eam evolvit et perficit legibus, judiciis, &c., intra proprium ejus ambitum propriamque essentiam à Fundatore determinatam. Qui, fundatâ formâ gubernii, jurisdictionem habent etiam supremam, non ideo habent jus constituens. — Huc pertinet explicatio quam refert Card. Mazzella n. 942: "Factum Petri, etsi non fuisset ex jure divino, deberet tamen considerari ut factum constitutivum, pertinens ad statutum fundamentale Ecclesiae"; solus fundator Petrus facultatem habuit hoc statuendi; "semel ac Petrus usus est illa facultate, ipsa fuit veluti exhausta, ac desiit." — Eò magis quòd potuit Deus positivè hoc velle, et simul ac Petro revelabat, se ejus liberae

electioni rem relinquere, potuit simul revelare, factum liberum Petri deinde nunquam esse mutandum (ne his quidem extraordinariis in adjunctis, in quibus forma gubernii civilis licitè potest immutari, etiam in monarchiâ). Advorte, aliud esse quod nunc supponimus, aliquam revelationem in casu intervenire (quod facile fieri potuit in Petro, donum revelationum habente), aliud, rem esse de jure divino: quæ duo malè ab auctoribus aliquandò confunduntur. Aliqua enim præcepta Apostolorum, v.g. de abstinentiâ à sanguine et suffocato, vel præceptum Pauli de collectis Sabbato faciendis, continentur in Revelatione, nec tamen sunt de jure divino: cf. supra p. 314.

Ex dictis sequuntur hæc corollaria:

1°). Indissolubilitas absoluta conjunctionis inter Primatum et Sedem Romanam, quæ est thesis certa ut probavimus (thes. XVII), non debet fundari in assertione quod hæc conjunctio sit de jure divino: nam hæc assertio est tantùm probabilis, et ex fundamento tantùm probabili non habebis certitudinem: sed debet probari aliis argumentis, præscindendo à jure divino, ut fecimus cum Card. Franzelin. Quare non placet hæc forma thesis in Card. Mazzella: « Prop. 38..., 3ª p.: Ipsa Primatus cum Romana Sede connexio divini juris esse videtur: adeoque ... nullâ, nec supremâ Ecclesiæ auctoritate, potest Primatus ... transferri. » Ex hac methodo, propositio clarissimi auctoris obscuritate laborat, et conclusio videtur debilitari.

2°). Non mirum est, nonnullos Patres illius indissolubilitatis certitudinem non vidisse: nam falsò supponebant: a) in casu non dari medium inter jus divinum, et jus ecclesiasticum mutabile; et b) indissolubilitatem probari non posse aliter, quam directè, pro-

tando jus divinum: aliqui, quod jus divinum hic intervenirat, videbatur ipsis tantum probabile, et meritò quidem: ergò concludebant ad incertam thesim.

3°). Idem falsum suppositum videtur fuisse causa, cur tantam difficultatem inveniret D. Palmieri (de Rom. Pont. thes. X) in solvendis his objectionibus: « Voluntas Petri obligare quidem potest Ecclesiam vivente Petro, sed post mortem, cùm cesset jurisdictio personalis Petri, nequit ea voluntas impedire quin aliud à successore sanciatur. Et sanè successor succedit in omnibus juribus Petri, quæ ad bonum regimen Ecclesiæ spectant ». Jc. ad hæc solvenda, cl. auctor se conjicit in singularem thesim de « jure divino consequente factum Petri », quæ nec necessaria est, nec conformis cum notione juris divini qualis communiter habetur. « Jus divinum » non dicitur, nisi quando voluntas Dei antecedit nec relinquit legato humano nisi promulgationem illius objecti quod Deus obligatoriè ei prædefinivit (cf. supra p. 29, segg.): proinde "jus divinum consequens" liberam electionem illius legati, non est propriè « jus divinum. » Saltem inutiliter mutatur terminologia usu recepta; quod facile parit idearum confusiones.

Nota. Ut diximus, aliud est « factum Petri » esse ex jure divino, aliud, esse revelatum, seu contineri in Revelatione: aliqua præcepta apostolorum continentur in Scripturâ N. Test., ac proinde in Revelatione, nec tamen sunt de jure divino, imò adulterium Davidis est revelatum, nec tamen fuit ex jure divino. Factum Petri, etsi non esset de jure divino (quod nescimus), tamen adhuc potuisset esse revelatum: Petrus nempe, postquam libere elegisset Romam (Deo prorsùs ipsi permittente electionem), potuisset in Spiritu (seu Deo per ipsum loquente) testari primis Christianis, electionem illam fuisse irrevocabiliter à

Petro positam, imò et Deum antea voluisse, ut quidquid Petrus irrevocabiliter eligeret, id perpetuò immutabile servaretur. Et quamvis hoec revelatio in Scripturâ non esset consignata, potuisset per solam Traditionem sufficienter servari (cf. de Traditione). Et sic "factum Petri" esset de fide divina. Quare sunt auctores qui (ut probabiliùs) negantes factum Petri esse ex jure divino, admittunt tamen esse de fide divinâ: ita Jo. à S. Thomâ l. cit. – Praeterea distingue fidem divinam, et fidem definitam. Si quaeritur de facto definiendi, Ecclesia quidem definivit "factum Petri", quatenùs per hanc verba intelligimus positam à Petro conjunctionem stabilem, praescindendo tamen à stabilitate absolutâ: non autem hactenùs definivit stabilitatem absolutam, ut advertit Franzelin l. cit., sed hoec tantùm theologicè concluditur ex Ecclesiae definitionibus (cf. thesim).

Denique, dato non concesso quod "factum Petri" in revelatione non includatur, hoc tantùm sequeretur, illud credi non posse fide divina; sed adhùc credendum esset fide ecclesiasticâ certa, quoniam Ecclesia habet potestatem infallibiliter definiendi non tantùm ea quae in deposito Revelationis includuntur, sed etiam ea quae cum depositi custodiâ connexa sunt, quale est factum illud gravissimum: et de facto definivit Ecclesia "factum Petri", saltem quoad aliquam stabilitatem conjunctionis. – In istâ hypothesi, "factum Petri" non esset factum revelatum, sed esset factum dogmaticum, ut aiunt (cf. tract. de Fide, vel de Eccl.): qua tale posset definiri, et omnibus fidelibus gravi obligatione credendum proponi, et hoc sufficeret, ut Romanus Pontifex ab omnibus tanquam successor Petri certò et immobiliter agnosci posset: Cf. supra p. 465.

Hinc quaestiones illae, utrùm conjunctio Primatûs cum Sede Romana sit de fide divina, utrùm

de jure divino, sunt minoris momenti, nec tam illis questionibus secundariis, quam probandae ipsi conjunctioni, probandaeque ejus stabilitati absolutae, omnes auctores praecipuam operam dare debuissent.

Thesis XVIII.

Quamvis electio Summi Pontificis ab hominibus fiat, et jure ecclesiastico reguletur, tamen Primatus ita transmissus remanet divinae institutionis, seu juris divini. – 2) imò ejus non solùm institutio generalis, sed etiam collatio particularis, est immediate à Deo.

St. 2. Ab origine ad consectanea, à fonte ad flumen, à generalioribus ad particularia descendentes, dicimus a) de Primatu in ipso Petro, b) de generalissima lege successionis, seu de perpetuitate Primatûs in successoribus Petri, prosecindendo quinam sint; c) de stabili conjunctione Primatûs cum episcopatu Romano, ea quâ determinatur generaliter conditio successionis in Primatu; – nunc tandem d) devenimus ad conjunctionem episcopatus Romani (ita electi ad dignitatem primatialem) cum individuo determinato; quomodo scilicet haec conjunctio fiat, et cur interventus hominum in ea facienda Primatum Romani Pontificis non deprimat, non dejiciat ad inferioritatem illam omnis institutionis humanae.

In hoc enim differunt successores Petri à Petro ipso, quòd Petrus à Deo solo fuit electus, meris hominibus ad ejus electionem non concurrentibus; et quòd

à Deo facta electio fuit visibiliter promulgata ab ipso Christo: « Tu es Petrus », &c. — Concedimus, ita non fieri in successoribus Petri. « Potestas eligendi et designandi personam (ait Suarez de Fide d. 10. s. 4. n. 5) data fuit hominibus, ... ut patet ex usu Ecclesiæ, et quia expediens fuit hominum Ecclesiam humano modo gubernari, quoad fieri posset, nec erat consentaneum statui legis gratiæ et fidei, ut semper de cœlo exspectaremus signum ad cognoscendum quem eligeret Dominus. » Signa illa miraculosa nec fuerunt à Deo promissa, ex Script. et Trad.. nec de facto regulariter danter, ut experientiâ constat. Imò concedimus ipsum generalem modum eligendi Romanum Pontificem non fuisse à Christo determinatum, neque à Petro, et de jure ecclesiastico tantùm esse. « Modus eligendi Pontificem (ait Suarez ibid. n. 6) non fuit à Christo Domino prescriptus, sed Ecclesiæ commissus est. .. Nam constat varium fuisse in Ecclesiâ hujus electionis modum: si autem Christus modum determinasset, ille idem et unicus fuisset semper in Ecclesiâ retentus. » Cf. supra p. 39..

Hinc ab adversariis Romani Pontificis sæpè facta sunt difficultates, quas sic colligit Suarez ibid. n. 1: « Si Pontificia dignitas ab ipso Christo immediatè est instituta, fieri non potest ut ab hominibus conferatur: omnes ergò Pontifices, qui ab hominibus post Petrum creati sunt, veri Pontifices non erunt. Confirmatur: nam si Pontifex ab hominibus eligitur, ejus potestas erit inferior, quam illa tota congregatio hominum, à quibus eligitur quod est contra Pontificis dignitatem: sequela patet, quoniam ita accidit in omni republica, quæ suos sibi eligit magistratus: hi enim toti reipublicæ semper sunt obnoxii ab eaque dependent. » — Vel etiam: Illa dignitas est juris humani quæ causatur ab hominibus: atqui Primatus causatur ab hominibus: ergo est juris humani, non divini.

Hæc sunt solvenda, atque ostendendum est, quomodò idem Petri Primatus, qualis est à Christo institutus in Petro, ad Romanos Pontifices transeat, non obstante electionis diversitate; imò, quomodò Romanus Pontifex unusquisque dici possit, non tantùm « B. Petri in eodem Primatu successor », ut ferebat thesis nostra XIV, sed ita successor, ut summam suam potestatem et ipse « immediate à Deo » accipiat, sensu verissimo licet diverso à sensu quo Petrus Primatum "immediate à Deo" accepit.

Probatur 1ª pars.

Non obstante electione humana, Primatus (qui jam probatus est esse juris divini, in sua generali institutione) remanet de jure divino, si influxus electionis causativus non versatur circa ipsum Primatum, sed tantùm circa conjunctionem inter Primatum et personam quæ pro tempore est subjectum ejus.

Atqui ita est. « Observandum est enim (ait Bellarminus de Rom. Pont. l. 2. c. 17) in Pontifice esse tria: Pontificatum ipsum (scil. Primatum) qui est quasi forma quædam; personam, quæ est subjectum Pontificatûs; et conjunctionem unius cum altero. Ex quibus rebus, prima, h. e. ipse Pontificatus, à solo Christo est... Ipsa verò conjunctio est à Christo, mediante actu humano electorum: dùm enim eligunt et designant certam personam, concurrunt ad conjunctionem Pontificatûs cum illa personâ. Itaque electores vere dicuntur creare Pontificem, et esse causa ut talis sit Pontifex, et ut habeat eam potestatem, non tamen dant ipsi eam potestatem, neque sunt causa ejus potestatis. » (Non causant formam scil. potestatem, sed tantùm causant aliquomodo materiam, seu subjectum

potestatis; scilicet causant illud qua receptivum potestatis). "Sicut in generatione hominis, quia anima infunditur à solo Deo, et tamen pater generans, disponendo materiam, est causa conjunctionis animæ cum corpore, dicitur homo generare hominem, et tamen non dicitur producere animam hominis." – Sic electores creant Pontificem, sed non creant Primatum, à solo Deo institutum. – Ergò.

2°). Etenim Primatus, ut nunc existit, esset de jure ecclesiastico, non divino, quatenus Ecclesia a) posset ei substituere quamlibet aliam gubernii formam, v.g. democraticam, vel b) posset negligere successionem Petri; v.g. posset, vivente Romano Pontifice successore Petri, relinquere illi titulum successoris Petri, et transferre quamdam supremam potestatem ad alium virum licet Petri non successorem, et dividere supremam potestatem à successione Petri; quæ nova suprema jurisdictio, creata extra successionem Petri, esset aut diceretur «Primatus», non esset tamen "Primatus Petri", seu non esset ille qui à Christo originem habet et collatus est Ss. Petro et successoribus ejus, sed esset juris ecclesiastici, et figmentum humanum.

Atqui Ecclesia neutrum potest: nam jure divino, ac proinde immutabili, Christus instituit supremam jurisdictionem unius (thes. IX, X, XII) et voluit gubernii, illud esse perpetuum et manere semper in successore Petri, nam in Petro fundatur Ecclesia in æternum (ths. XIII, XIV); minquam alius, præter successorem Petri, futurus est Primas.

Ergò Primatus, ut nunc existit, non est de jure ecclesiastico, sed de jure divino. – "Sane jus Primatus (ait P. Palmieri thes. 8) non ab Ecclesiâ proficiscitur, quæ nec Primatum instituit, neque ejus perennitatem;

non ergo jure Ecclesiastico Primatum obtinet Romanus Pontifex. Nec idem jus collatum est ab aliqua potestate humana, cùm sit jus supernaturale potestatem quamvis naturalem vel regiam excedens: restat ergo ut jure divino Romanus Episcopus succedat in Primatu Petri, eâdem ac ipse auctoritate insignis."

3°). "Ut quis dicatur jure divino succedere (ait P. Palmieri ibid.), sufficit ut jus divinum determinaverit successionem (seu legem successionis), voluerit nempe semper esse qui Primatu Petri aucti essent, hunc enim qui succedit Primatumque obtinet, ideò succedit et Primatum habet, quia Deus vult, et illud quod proprium est successionis in se spectatæ, fit proprium illius, qui conditionibus successionis facit satis. Sic enim v. g. ferri legem quod qui in studiis magis profecerit, munere quodam donetur. Titius ceteris antecellit, munusque obtinet. Quo jure? jure legis. — At lex Titium non respicit, sed in genere dignioriem. — Profectò: sed positâ conditione, quæ in solo Titio reperitur, illudjus, quod lex digniori concedebat, totum penes Titium eumque solum existit. Jam verò lata est lex divina: Petro in primatu succedere quis semper debet, sive aliquis semper Primatum collatum primo 33. Petro gerere debet; quis verò ex tot, qui possent, actu succedat, determinatum est facto originali Petri; conditioni proinde satisfacit solus Romanus Episcopus: illud ergo divinum jus successionis in Romano Episcopo eoque solo reperitur." Nunc verò, quis sit revera Romanus Episcopus, determinatur humano facto electorum, secundum regulam ecclesiasticam: humanum hoc factum est ultima conditio, quæ verificari debet in re nostra: posita illa conditione, jus divinum

est in eo solo, qui legitime electus est, qui nempe ultimatim omni satisfecit conditioni successionis.

Hæc) In Veteri Testamento, Deus non designabat ipse nominatim singulos sacerdotes, sed tantum designaverat nominatim solum Aaronem quasi primam originem, et deinde generatim successores ejus (conditio successionis erat generatio carnalis ab Aarone). Et tamen recte dicitur, jurisdictionem supremam (in quibusdam materiis) datam fuisse singulis Summis Sacerdotibus jure divino, sicuti res legitur in Lege divina, v.g. Deuter. XVII. 8: "Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris ..., et judicium intra portas tuas videris verba variari: surge, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus" (Ipsa civitas sancta Jerusalem in Lege non designatur nominatim, sicut nec Roma in verbis Christi ad Petrum). "Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore .... Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo ..., morietur homo ille."

Atqui si factum carnalis generationis, factum merè naturale et humanum, designare potuit singulos successores Aaronis, quin potestas ad eos transiens cessaret esse supernaturalis et de jure divino, - à pari electio, factum humanum, designare potest successores Petri, quin eorum potestas cesset esse supernaturalis et de jure divino. - Ergo.

Nota. - Monarchia, qua talis forma gubernii in specie, si agitur de ordine civili et politico, non est propriè de jure divino (quidquid dicerint Jacobus rex Angliæ, Gallicani, &c.): neque enim præscripta est lege naturali, siquidem lex naturalis non excludit alias gubernii species seu formas; neque lege Dei positiva per Revelationem datâ. -

E contra, monarchia qua talis species, in Ecclesiâ Christi, ex jam probatis, est divinæ institutionis seu juris divini positivi per Revelationem promulgati, et talem formam imperantis, imò etiam quoad personam quæ prima origo est.

Auctoritas in genere, præscindendo omninò à subjecto, scilicet præscindendo utrùm subjectetur in uno an pluribus, utrùm sit in specie monarchiæ an in aliâ specie, etiam in ordine politico potest dici de jure divino (minùs strictè) eo sensu, quòd Deus lege naturali velit homines esse in societate et auctoritate gubernari; - fortasse etiam eo sensu, quòd Deus immediatè conferat supremam auctoritatem, facto humano et naturali designante subjectum (cf. supra p. 257); de quo tamen disputatur.

2a. pars.

St. 2. "Fieri potest (hæc advertit D. Salsmieri thes. 11) ut potestas aliqua secundùm speciem suam sit positivâ voluntate Dei instituta, quin tamen ipse Deus immediatè conferat eandem potestatem singulis personis." Sic Deus posset ipse positivè instituere, jure divino, aliquam inferiorem speciem jurisdictionis (v.g. episcopatum) velle scilicet ut hic gradus semper habeatur in Ecclesiâ; collationem tamen hujus gradûs, singulis personis faciendam, relinquere posset alicui auctoritati humanæ superiori (ut est in Ecclesiâ Summus Pontifex), ità ut Deus eum mediatè tantùm conferret. Sic fieri pro episcopatu, plures existimant, ut infra videbimus.

In hac igitur parte, ostendimus, Primatum non solùm secundùm speciem suam, seu secundùm suam specificam institutionem, esse juris divini, et à solo Deo (quod jam probatum est):

sed etiam dici posse, quod singulis personis immediate à Deo conferatur: et hoc, non obstante facto humano electionis. — In 1ª parte spectabamus Primatum Pontificis in se, quod sit juris divini: nunc spectamus modum quo confertur singulis.

Nostra sententia est communis. — "Communiter Theologi (ait Joan. à S. Thoma, t. 7, tract. de auctorit. Summi Pontificis, d. 2. a. 1. n. 2.) distinguunt de potestate designativa personæ per electionem in Papam, et de potestate collativa dignitatis pontificiæ. Et hoc 2m. dicunt pertinere ad Christum Dominum, quia cum potestas pontificialis sit suprema totius Ecclesiæ, imò et superior ad totam Ecclesiam, non potest conferri ab aliqua alia potestate Ecclesiæ. 1m. vero pertinet ad ipsam Ecclesiam, siquidem alias non posset commodè provideri successor Pontificatus; nam si in Ecclesiâ non esset potestas ipsum designandi, deberet designari à Christo Domino, quod tamen nec in Ecclesiâ fit, neque fieri humano modo posset, nisi continuum aliquod miraculum poneretur."

Igitur "collatio potestatis" dicitur, quando quis habens eam potestatem, et jus sumendi ex se ut dek alteri, quasi fons transmittit alteri tanquam rivo suam potestatem vel partem ejus. Sic Christus sumpsit ex plenitudine suâ, ut daret Petro et Apostolis; ita Episcopus delegat suum Vicarium, Princeps suum ministrum, &c. Videmus, potestatem jurisdictionis posse ita delegari, simplici hominis injunctione, in quo differt à potestate ordinis quæ in nullo casu ita delegatur (supra p. 94). — Nemo autem "designatio personæ" dicitur, quando ille qui primâ fronte videtur facere "collationem potestatis", revera eam propriè non facit quia ipse potestatem illam non habet ad quam transmittendam concurrit, neque est fons sed tantum canalis. — "Designatio personæ... et collatio potestatis (ait

Suarez de Fide d. 10. s. 4. n. 2.) interdùm conjunguntur, ut cùm Christus Dominus personam Petri designavit et elegit, illique potestatem contulit; interdùm verò separantur, ut cùm Rex aliquem in episcopum nominat: personam quidem designat, non verò impertitur dignitatem (cùm ipse nequaquam sit fons jurisdictionis ecclesiasticæ); sed Pontifex nominationem regiam approbando, dignitatem confert.»

Probatur.

1°) Deus immediatè confert Primatum individuo viro qui eligitur (et qui electionem tuam acceptat), si nullus est homo, vel hominum cœtus, qui possit illam ei potestatem conferre, cùm tamen debeat ab aliquo conferri.

Atqui nullus est, &c. — Ergo Deus immediatè confert; ac proinde electores tantùm designant personam, cui Deus conferat.

Major patet. — Probo Minorem (cum Card. de Turrecremata, de Eccl. l. 2. c. 36, evolvendo paululum): Si conferretur ab homine, vel 1) ab ipso homine Papa, vel 2) à tota communitate, seu vicem ejus habente. Non autem conferitur 1° modo, nec 2°: ergo. — Probatio minoris quòd non à Papâ, patet: quia nullus potest sibimet conferre supremam potestatem jurisdictionis. Qui enim «jurisdictionem conferre» dicitur, eam præsupponitur habere: jam verò quid sibi conferat quod jam habet? Vel, si non habet, non potest conferre. — Quòd verò nec à communitate Ecclesiæ posset conferri, probatur sic, ex thesi IX, 2ª p. collata cum thesi XIII, et XIV: Ecclesia præcisa à Petro, non erat subjectum potestatis ecclesiasticæ, nec Petrus erat caput ministeriale respectu Ecclesiæ, recipiens à communitate exercitium supremæ jurisdictionis tanquam delegatus, sed e contra erat superior Ecclesia etiam collectivè sumpta. Atqui eadem specificè

potestas jurisdictionis, quæ erat in Petro, perpetua est, et transit ad ejus successores: secùs non esset proprie "successores", si mutaretur species potestatis. Ergò et ipsi, quandò eliguntur, non delegantur, nec recipiunt supremam jurisdictionem à communitate tanquam ab immediato ejus subjecto et fonte; quod introduceret formam gubernii plane diversam. - Multò minùs conferitur Primatus ab aliquo singulari membro illius communitatis, cùm nullus tunc existat, qui Primatum jurisdictionis habeat. - Aliis verbis, cum Joanne à S. Th., l. cit.: "Potestas collativa alicujus officii debet esse superior aut æqualis illi potestati, quam confert: potestas autem Ecclesiæ semper est inferior ad potestatem Papæ: ergò non potest illam ei conferre, sed solùm designare."

Corollaria.

1°) Ergò neque electores Papæ, nec cæteri in Ecclesiâ, possunt restringere potestatem Papæ. Ad illum enim pertinet potestatem aliquam restringere, ad quem pertinet eam instituere, vel saltem eam conferre (in proprio Suarii sensu supradicto): atqui, ex thesi, solus Deus Primatum et instituit in specie, et confert in individuo: ergò. - Nec valet hic distinctio inter ipsam potestatem et exercitium ejus, quam fecerunt primi Gallicani tempore Concilii Constantiensis et Conc. Basileensis: quam sic refert et refellit Turrecremata, l. 2. c. 44: "Si quis adversariorum vellet dicere ad ista, - sicut multos sequentes doctrinam cujusdam Jarson (Gerson) audivimus dicere cum Basilea essemus, - quòd etsi potestas Papæ per multos homines tolli possit aut diminui, possent tamen Patres in Concilio congregati executionem potestatis illius impedire aut restringere aut sic regulare, ut non valeat exire in actum, nisi ut ei per Concilium generale fuerit dictatum: taliter respondens judicio nostro male respondet, imò videtur insipienter

loqui, cum videatur aut oppositionem in objecto, aut eius ignorantiam implicare. Quod sic patet. Est enim jurisdictio ... potestas jus dicendi sive judicandi, et exsequendi. Similiter plena et totalis jurisdictio est tota plena et perfecta potestas judicandi &c. Unde ... habere totam plenam et perfectam potestatem jurisdictionis et non habere totum plenum et perfectum exercitium, ita quod non esset validum omne quod juxta potestatem sibi datam facere vellet, est dicere, habere plenam potestatem et perfectam judicandi vel alia faciendi, et tamen non posse illa facere nec perfectè nec totaliter: quod est habere plenam et non plenam, quod est manifestè contradictio. Praeterea, quod praefata responsio nullius sit roboris et valoris, patet, quia sicut tollere potestatem aliquam non potest nisi potestas superior, ita nec restringere aut impedire de jure exercitium illius potest nisi superior potestas. Cum ergo fide tenendum sit, ut diximus, quod potestas Papae sit suprema in Ecclesiâ, nulli dubium quod sicut nulla quorumcumque potestas ecclesiastica potest tollere potestatem Papae, ita non possit impedire aut restringere exercitium ejus."

2½). Ergo "potestas Romanorum Pontificum semper eadem est, nec per actus praedecessorum minui potest: imò cum semper idem Primatus jure divino perseverare debeat, nequit ullus Rom. Pontifex sibi ipsi potestatem imminuere." Palmieri, thes. XI.

3). Ergò electores vel nihil transmittunt, vel totum id quod Deus voluit instituendo Primatum: ergo se habent ut meri ministri, mera instrumenta, sicut ministri Sacramentorum (cf. supra p. 914). Mutabilitas igitur ea, quae distinguit in genere potestatem jurisdictionis a potestate

ordinis (p. 95) non ita intelligenda est, ut se extendat sine discrimine ad omnes casus, etiam ad casum Summi Pontificis: se extendit tamen aliquomodo ad hunc etiam casum, quatenus ipse Summus Pontifex abdicare potest, dum nemo potest abdicare à se characterem ordinis indelebilem. — Ex eo autem quòd Papa possit abdicare, non sequitur quòd possit mutare essentiam suii Primatûs, aliud est enim attingere ipsum Primatum, aliud attingere conjunctionem Primatûs cum tali persona; item, non sequitur quòd Primatus sit immediatè ab homine: «multa enim à Deo infunduntur, sicut anima rationalis, quæ opere humano tolli possunt.» (Summa contra gentes l. 2. c. 43).

4°). Ergò Rom. Pontifex verè et strictè est «vicarius Christi», ut definivit Florentinum (supra p. 384). Nam ille est stricto sensu vicarius alicujus principalis, qui ab illo principali immediatè derivat jurisdictionis potestatem, quâ vices ejus gerit. Quare etiam Papa non est «vicarius Ecclesiæ»; licet possit eam «repræsentare» juridicè vel typicè, iis modis quos concessimus supra p. 246 et 367.

5°). Ergò non multùm curandum est utrùm «factum Petri» sit ex jure divino (cf. supra p. 486, seqq.): nam quidquid sit, aliud datur factum, certò humanum, non minùs influens quam factum Petri in conjunctionem Primatûs cum tali personâ determinata, scilicet factum electionis: quo non obstante, persona illa dici potest habere Primatum de jure divino, et illum accipere immediatè à Deo. — Sane, si a) certò constaret factum Petri fuisse ex jure divino, et b) si Deus ipse miraculosè singulos designaret successores Petri, tunc jus divinum in Summo Pontificatu interveniret magis, sed, ut ita dicam, magis extensivè, non magis intensivè. Sine fois, Primatus Leonis XIII est tam sacer, tam divinus origine, tam immutabilis, quam

esse potest.

Scholion I. Objecta solvuntur.

Objiciunt: De ista collatione, facta immediate à Christo singulis Pontificibus, non constat Ecclesiæ, cùm neque Christus id revelet, neque sensibili aliquo signo declaret. – Ergò gratis admittitur. – Resp.: Nego Antec. "Notandum (ait Suarez de Fide D. 10. s. 4. n. 3) Christi Domini concessionem, quamvis respectu hujus designatæ personæ nova sit, attamen ex priori concessione factâ Petro originem habere, atque etiam moraliter eamdem esse cum illâ: nunc enim stabili mâque voluntate statuit Christus eam Petro concedere, et omnibus ejus legitimis successoribus, i.e., loco illius ritè et canonicè electis seu designatis; quâ positâ voluntate, necessitate quadam hypothetica" (quæ verificata conditione transit per se in absolutam) "communicatur dignitas ritè electo." Constat ergò de illa collatione, non quidem per revelationem novam, sed (quod satis est ad certitudinem) per deductionem legitimam ex revelatione antiqua certa. "Hoc ipso quòd legitimè eligitur et designatur ad succedendum Petro (ait Joan. à S. Thoma, ib. n. 16), ex vi illius primæ collationis ei debita est potestas illa, quæ Petro data est ut remaneret in successoribus; nec indiget novâ aliâ collatione, sed solâ Ecclesiæ designatione: sicuti in Lege veteri, ex vi primæ concessionis Pontificatûs quæ data est Aaroni, quicumque succedebat Aaroni (cum jure primogenituræ) potestatem Pontificatûs obtinebat, sine hoc quòd Deus cuilibet successori de novo concederet Pontificatum."

Instant 1°. Non apparet, quomodò illa collatio, quæ facta est Petro, maneat, et transeat ad successores; nec enim assignari potest, cujus virtute transeat. – Resp. cum J. à S. Th. ibid. n. 17: "Illa collatio... manet in acceptatione Dei, qui illam potestatem

pedit Petro et successoribus: et virtute talis voluntatis et acceptationis prout comprehendit omnes successores, transit nunc ad omnes. Nec indiget virtute aliqua manente in aliquo subjecto (creato), per quam transeat, et conferatur Pontifici electo: nec enim potestas ista per aliquam instrumentalem actionem confertur, sicut effectus sacramentales (quorum vera aliqua causa est ritus sensibilis, individuo applicatus), sed ex vi promissionis divinæ, aut traditionis qua tradidit hanc potestatem Petro et successoribus." — Et de natura jurisdictionis est, ut per simplicem voluntatem conferatur. Jam verò, ut pergit idem auctor, "potestas Papæ supra potestatem episcopalem non addit aliam potestatem ordinis majorem, aut alium characterem, sed solùm ampliorem potestatem jurisdictionis. (Cf. Theorim VII., supra p. 186). — Quare non imprimitur Papæ novus character pro dignitate Pontificali, sed extenditur et ampliatur jurisdictio, in quâ superat omnes episcopos; et ad hoc non requiritur quòd talis jurisdictio per actionem physicam imprimatur; sed per acceptationem et collationem Christi Domini, in virtute illius primæ voluntatis quâ illam dedit Petro et omnibus successoribus, censetur illi conferri." — "Censetur", i.e. ens illud morale (seu æquivalenter physicum), jurisdictio, concipitur à nobis quasi forma physica à Deo infusa, hominique inhærens.

Instant 2°. Inter homines, quando unus est qui designat personam (v.g. Rex alicujus nominans ad dignitatem ecclesiasticam), et alter qui potestatem confert (v.g. Papa, Regis nominationem approbans), is, qui confert, jus habet non conferendi talem dignitatem si persona designata non sit digna; nec solùm jus habet, sed interdùm ita facit. Ergo à pari vel à fortiori Christus, si ipsum pertinet conferre Primatum, habet jus non approbandi electionem Romani Pontificis, et eam de facto non approbat interdùm, electoribus non designantibus personam dignam coram oculis Domini: sed

cum nunquam constet nobis, an persona digna sit et sufficiens ad tantum ministerium, nunquam constabit an Papa electus sit verus Papa, si exspectanda sit immediata haec Christi collatio et veluti confirmatio: ergo potius non est exspectanda, et potius dicendum est, electores ipsos conferre potestatem. – Resp. Nego hanc Consequentiam, quod, si nobis non constet de dignitate personae, jam non constet de acceptatione ejus à Deo. Nam, ut ait Joan. à S. Th. ibid., „omnis Pontifex rite electus acceptatur à Deo ex vi illius primae voluntatis, qua voluit potestatem universalem pascendi oves suas committi Petro et legitimis ejus successoribus: sicut omnes legitimi successores Aaron acceptantur in Pontifices ex vi primae illius voluntatis, et pacti quo voluit sacerdotium permanere in Aaron per carnalem successionem; unde quod omnis rite et legitime electus in successorem Petri acceptetur à Deo, constat ex ipso pacto Dei". De legitima autem electione constare potest historicè sicut de quolibet facto, et ubi de hoc nulla est controversia in Ecclesia, nullum rationabile dubium, illa ipsa unanimis agnitio Pontificis (quae est casus ordinarius) est argumentum sufficientissimum legitimae electionis, ac proinde acceptationis à Deo. – Et nego paritatem allatam: nam Pontifex debet inquirere utrum digna sit persona v. g. quam ad episcopatum Rex designat, cum fieri possit Pontificis visibile de hoc judicium: Deus autem infallibiliter confert Primatum, sive persona digna sit sive indigna. „Nam Deus (ait Suarez ib. n. 14) ob majus Ecclesiae Commodum ita statuit, atque exsequitur, quia multò esset majus Ecclesiae incommodum carere saepius vero Capite, semperque posse dubitare de illo, quam habere interdum infirmum. Neque in hoc est eadem ratio de Deo et hominibus: tum quia homo est tantum dispensator, Deus verò Dominus; tum etiam quia certò constare potest, quandone homo confir-

mat praesentationem, in Deo autem constare non posset absque speciali revelatione, quam non oportuit jugem esse in Ecclesia; tum denique quia bonus neguit insufficientiam alterius hominis electi supplere instar Dei, qui per pravum vel indoctum Pontificem potest, si velit, aequè benè providere Ecclesiae, ac per alium quantumlibet dotibus ornatum."

Instant 3°. Antequam Christus conferret Petro primatum, inquisivit utrum charitatem Petrus haberet (cf. supra p. 213). – Ergò indicavit, neminem posse Primatum recipere, nisi charitatem habeat: ergò non acceptat electum, quem ipse, intimus corda, videt charitatem non habere. – Resp. Nego Cons. Nam a) quamvis Primatus sit idem, modus electionis non fuit idem in Petro, ac successoribus: Christus in terris degens et visibiliter agens cum Petro, potuit in illo casu facere illam inquisitionem de charitate Petri, et quasi suspendere collationem Primatûs illi conditioni, eaque verificata tandem exprimere visibiliter specialem illius personae acceptationem: hic autem modus in successoribus est evidenter mutatus. – b) "Christus (ait Suarez ibid.) Petrum rogavit an se amaret, non quia fundare vellet illam potestatem in charitate, tanquam necessario fundamento, sed gratiâ exempli, ut pastores intelligerent quales esse deberent, et rectores quales ab eis oporteret eligi." Non ad validitatem electionis postulavit charitatem, sed ad liceitatem, ut ostenderet peccare eos, qui pravum scienter eligerent in tantum munus, et peccare electum, qui non procuraret in se dispositiones conformes muneri quod acceptaverit. – Quod charitas et generatim probitas non sit per se necessaria ad validitatem jurisdictionis, ratio ipsa docet, secùs impossibilis fieret jurisdictio: et doctrina contraria quorumdam haereticorum damnata est, v. g. articulus 15us Wicleffi damn. à Conc. Constantiensi: "Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali;

et art. 8: "Si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare." De hac quaest. cf. Vinc. de Legibus, n. 86, 87.

Instant 4to. Electio minus digni pro digniore est contra regulam justitiae distributivae. Atqui Deus violare nequit regulam justitiae distributivae: ergo nequit confirmare talem electionem. — Resp. Nego suppositum, quod regula justitiae distributivae hic a Deo observanda sit. Justitia distributiva valet in remunerationibus: jam vero remuneratio temporalis alicujus individui dignioris (qui caeterum non habet ex suis viribus jus strictum ad hoc genus remunerationis) omnino cedere hic debet bono publico totius Ecclesiae. Unde, ut ait Joan. a S. Th. l. cit. n. 18, "in collatione potestatis pontificalis, Christus Dominus non operatur secundum merita dignitatis subjecti, quia non se habet ut distributor ...; sed se habet ut institutor illius potestatis, qui per legem suam determinavit quod valide conferatur illa potestas cuicumque legitime electo in successorem Petri; aliud autem est attendere validitatem actus, aliud distributionem justitiae: quod enim aliquis actus validus sit, vel aliqua potestas valide collata, non pendet ex dignitate vel indignitate subjecti quasi morali: sicut patet in impressione characteris, et in actibus characteris (scil. actibus per quos exercetur potestas ordinis), qui valide fieri possunt quamvis subjectum sit indignissimum .... Sic ergo ut collatio pontificiae dignitatis sit valida, Christus non attendit ad aliquam dignitatem subjecti ... Sic enim expediebat ad conveniens regimen Ecclesiae, aliquin essent omnia confusa et perturbata, si ad hoc ut esset valida collatio characteris, vel potestatis pontificiae, requireretur moralis dignitas

in subjecto. At verò qui confert beneficium tanquam distributor, et ut exercens actum justitiæ distributivæ, et non præcisè ut attendens validitatem actus, debet conferre juxta merita subjecti, et consequenter supponere dignitatem moralem in illo: sicut etiam Christus (facit) in conferendis præmiis aut pœnis (in judicio post vitam), quia se habet ut distributor justitiæ, qui dat unicuique juxta opera ejus." — Sanè in Vet. Testamento, Deus ipse generaliter in summum sacerdotem acceptaverat eum, qui per carnalem generationem, cum jure primogenituræ, Aaroni succederet: nec tamen is necessariò erat dignissimus et optimus: imò major est possibilitas, per electionem benè regulatam, deveniendi ad digniorem, ut jam contra Wicleffum advertebat coævus ejus Thomas Waldensis, l. 2. a. 3. c. 40: "Melior et certior est mentis electio, quam ventris." — Cæterùm si Deus dignissimum absolutè velit, poterit semper eum ab electoribus obtinere, innumeris mediis suæ Providentiæ. "Cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud" (Prov. XXI. 1.). Sed nec supponendum est, Deum semper hoc absolutè velle: multas potest habere rationes permittendi electionem minus digni, aliquandò etiam indigni. Ut enim ex Patribus colligit idem Waldensis ibid., "Deus, quos eligit, non eligit semper ad utilitatem sed aliquandò ad correptionem. Et iterùm, non semper eligit Deus ut electus permaneat, sed quandoque ut transeat." Quare ipse Christus elegit Judam, sciens quid esset futurus (cf. Joan. VI. 71): "Unde tibi solatium faceret (ait Aug. in Ps. 55. n. 9), nescituro quos devites". Quæ verba Aug.i efolvens Waldensis, ait: "Cardinales si eligunt quem nesciunt Ecclesiæ futurum utilem, Christus elegit scienter Judam; ... ad dandum exemplum cunctis fidelibus, non tantùm nobis, sed et Cardinalibus, de certo nescituris quos ante devitent quam eligant: ut patienter ferant, si, præter spem,

mali succedant, ac si Christus diceret: Perfecte volui quod sciebam, ut tibi nescienti solatium adhiberem." – Eadem suadetur patientia, si, postquam Summi Pontifices antiqui suis decretis omnia providerunt et disposuerunt ut electiones optimè fierent, Cardinales in aliquo casu suis obligationibus non satisfaciunt, et agunt validè sed parùm licitè.

Ex his etiam patet, nihil valere objectionem, quòd "Cardinales non sunt infallibiles": infallibilitas enim ad illum actum eligendi non requiritur, multò minùs aliqua revelatio.

Scholion II. Utrùm sit de fide divina, hunc hominem, qui nunc Ecclesiæ præest, esse verum Christi Vicarium, seu habere Primatum?

Aliud est, quòd hic homo habeat jure divino supremam auctoritatem, seu Primatum: aliud est, quòd hoc factum actuale sit de fide divina, seu revelatum sit (jam similem distinctionem dedimus supra p. 498, Nota). – 1^m affirmatur cum certitudine, ex probatis in Thesi: 2^m disputatur à Theologis, et patet a difficili controversiâ in tract. de Fide, utrùm scilicet propositio aliqua particularis quam Deus explicitè nunquam hominibus enuntiavit (v.g. "Leo XIII habet jure divino Primatum") dici possit ita contenta in propositione universali revelata à Deo ("Omnis legitime electus in successorem Petri habet jure divino Primatum"), ut propositio ipsa particularis non solùm sit certa conclusio, sed etiam dici possit "verbum Dei", "locutio Dei" sensu stricto et proprio, ac proinde esse objectum materiale fidei theologicæ seu divinæ. Quæ cæterùm quæstio est secundaria: nam ut omnia bene procedant in Ecclesiâ, sufficit haberi, et modo satis obvio, veram certitudinem (etsi non sit certitudo fidei divinæ) de illo facto: quæ potest haberi triplici via, a) processu magis scientifico, examinando ex documentis

factum electionis cum omnibus suis adjunctis, ope Critices historicæ, et sic deveniendo ad conclusionem de legitimitate electionis, tum instituendo ratiocinium: « Omnis legitime electus in successorem Petri, habet jure divino Primatum. Atqui ... : Ergo »; sed hic 1us modus est minùs obvius omnibus; — b) fide humanâ in consensu hominum fundatâ, vel in doctorum assertione; sicut in omni gubernio legitime electus censetur ille Præfectus, Judex, &c., cujus electio generatim agnoscitur, qui pacificè possidet suam dignitatem; — c) speciali fide ecclesiastica, quæ in supernaturali charismate fundatur, sic: Ecclesia est infallibilis in attestando non solùm quid sit revelatum à Deo, sed etiam quid sit certum ex iis quæ necessariam connexionem habent cum deposito revelationis custodiendo, ut sunt facta dogmatica. Atqui factum legitimæ electionis Papæ est factum dogmaticum: et Ecclesia testatur nobis hoc factum, sive solemni judicio, sive saltem magisterio universali et quotidiano (cujus consensus est infallibilis). Ergo. Et sic fidem firmam habemus, cujus quidem motivum non est testimonium auctoritasque Dei loquentis, sed tamen Ecclesiæ infallibiliter loquentis.

Cf. de hac quæstione aliquas indicationes apud Hurter, t. 1., nota ad n. 666 (ed. 5ta), ubi de materiali fidei objecto.

Scholion III. De iis, quibus competit potestas electiva, respectu creandi Romani Pontificis.

Potestas electiva duplici modo potest alicui inesse: a) proxime et quasi formaliter, seu executivè, et sic est in iis, qui ipsi per se eligunt personam; b) remotè, et quasi eminenter, seu regulativè, et sic est in iis, qui jus habent legibus suis regulandi et determinandi modum electionis.

Jam verò 1o) certum est, potestatem electivam, respectu ipsius Papæ creandi, inesse Romano Pontifici saltem remotè, eminenter, regulativè. « Id constat manifestè (ait Joan à S. Thoma, l. c. n. 7) ex multis canonibus et textibus, ubi id determinatur à variis Pontificibus. » Quod argumentum sic exe-

primit Suarez (de Fide d. 10. s. 4. n. 11), addens et alia:
"Primò, modus eligendi Pontificem, qui (modus) nunc est in Ecclesia, præcipuè fundatur in legibus et statutis ipsorum Pontificum: ergò ipse usus Ecclesiæ docet, hoc pertinere ad Summum Pontificem. Secundò, cùm Papa sit Ecclesiæ caput, in eo est suprema potestas gubernandi Ecclesiam: ad eum ergò spectat providere in rebus maximè necessariis: una verò ex his, et gravissima, est electio Summi Pontificis: ergò Fr. Certiò, vix alia ratione potuisset continuari legitima successio Pontificum ab initio Ecclesiæ usque ad hoc tempus. Nam si solus Pontifex non potuisset modum electionis præscribere, pertinuisset hoc ad universam Ecclesiam, seu Concilium generale: nunquam autem per longam annorum seriem quidquam est de hac re statutum aut ordinatum in Conciliis generalibus. Signum ergò est, à principio Pontifices Summos auctoritate propriâ statuisse modum electionis, qui pro ratione aut necessitate temporum retentus fuerit, vel eadem auctoritate mutatus."

Ex illâ doctrinâ, melius intelligitur quod jam probavimus in thesi, Ecclesiam acephalam, quod Papam eligat, non ideò esse supra Papam. Ipsa enim illa potestas electiva ultimatim venit ab ipso Summo Pontifice tacite, nominante electores, præscribente quomodò sit eligendum, et attingente totam electionem per leges suas modo nobilissimo, non sicut executor operis, sed sicut architectus.

2a) Controvertitur, utrum præterea Pontifex posset habere electivam illam potestatem etiam executivè: seu, utrum designare suum successorem posset (quamvis usus tum præsens tum antiquus sit contrarius).

Alii affirmant, ut olim Victoria, relect. 2a de Potest. Papæ, Prælat. aliquas auctoritates dubias, afferunt hanc rationem: Pontifex habet potestatem determinandi modum electionis: aliqui unus ex modis, est ut persona designetur ab antecessore: ergo. Nec debet restringi talis potestas, nisi probetur.

Alii negant, ut Turrecremata l. 2. c. 51. Cajetanus

in Opusculis, 2a Apolog. pro auctorit. Papæ, c. 22. Supponunt probibitionem juris divini, quæ tamen "non satis constat", ait Suarez l. c. n. 15. Fundamentum autem satis probabile pro hac sententia (dicit Suarez ibid.) "est, hanc potestatem eligendi successorem non fore in ædificationem, sed in destructionem: nam facile eveniret, ut hæreditate possideretur Sanctuarium Dei. Quod perpetua etiam traditio confirmat; nullum enim post Petrum legimus id fecisse, cum tamen multi casus occurrerent, in quibus id videri posset Ecclesiæ maxime opportunum ad vitanda schismata, &c." Solus Bonifacius II, anno 530, designavit suum successorem Vigilium, ut alicujus indigni intrusionem à Rege Gothorum impediret: sed re melius perpensâ, decretum suum in ignem injecit. Exemplum S. Petri (qui "Clementem ordinavit" in suum successorem, ex traditione quadam servata à Tertull., de Præscript. c. 32) non est clarum, nec certum: nam ex fere omnibus documentis constat, Petro successisse Linum (supra p. 462, 457): et potuit Petrus episcopalem "ordinationem" dare Clementi, quin eum propriè designaret in successorem: et potuisset Petrus singulari privilegio designare successorem, quin hoc necessariò ad alios Pontifices transiret. — Nec valet epistola Joannis III ad episc. Germaniæ et Galliæ, clare dicens Clementem statim post Petrum successisse ex designatione Petri. (Et posita est in Jure canon., cap. "Si Petrus"). — Nam a) testimonium illud historicum non valde antiquum est; b), ut notat Natalis Alexander, dissert. 14 in hist. sæculi I, "Epistolam illam Joannis suppositiciam esse, multis argumentis probant viri eruditissimi Baronius, Binius, Possevinus. 1o), quia sub consulatu Justini sexto ... anno Christi 571 scripta notatur, quo tempore Joannes III. jam obierat: 2o), quod nota Consulatûs consignata sit, præter illius temporis morem. 3o), quia nomen Chorepiscoporum, de quorum munere integra epistola scripta est, in Galliis et Germaniâ penitùs non fuit abolitum usque ad Xum sæculum. Quomodo ergo verum esse potest quod ait, ipsos fuisse à suis Decessoribus damnatos?" Cf. supra p. 162.

Ergo, juxta hanc sententiam, sicut ad artem

superiorem et architectonicam pertinet inferiorem dirigere, non tamen opera inferioris exsequi, ita Papa habet potestatem imperandi et dirigendi electiones futuras, non tamen eligendi formaliter; se habet ad electores, sicut ars superior ad inferiorem.

3am sententiam intermediam proponit Suarez (ib. n. 16), scil. Papam non posse ut ordinarium modum introducere illam designationem successoris ab antecessore, sed posse illo modo uti tanquam extraordinario: « si in raro casu, urgente aperta Ecclesiae necessitate, id faceret, juste faceret, legitimâque potestate uteretur, ut arbitror. » V. g., si electores omnes, vel fere omnes, ab aliquo tyranno detinerentur. — Sed Joan. a S. Thoma, l. c. n. 7, sic arguit contra talis derogationis utilitatem ac proinde licitatem: « Multò magis timeri potest schisma, si Pontifex designet sibi successorem, nec talis acceptetur postea ab Ecclesiâ, nec velit illi electioni stare. Ergò non videtur unquam assignari posse causam ita urgentem, quae justificare possit ut illa actio ab electoribus extrahatur et devolvatur ad solum Pontificem, nec possit provideri necessitati occurrenti mutando formam electionis, aut alios electores nominando, quod Pontifex facere potest (juxta omnes). » Et cùm utrinque sit periculum, melius est formam prorsùs novam non introducere, remque « divinae Providentiae committere, quae Ecclesiam suam nunquam relinquit. »

3°). De facto, per electionem plurium semper substitutus est successor, mortuo Pontifice et sede vacante. Sed modus illius electionis saepè variatus est, et haec variatio legitimè fieri potuit, cùm de hac re disciplinari nullum extet decretum divinum, et supremae ecclesiasticae potestatis sit, ut probavimus, eam regulare et pro adjunctis aliquandò immutare. Caeterùm sunt qui putent, non tantam fuisse variationem, si attentè facta inspiciuntur: semper ad personas easdem primariò pertinuisse electionem. » Existimo (ait Jo. a S. Thoma ib. n. 22) ab ipso Ecclesiae exordio potestatem hanc electivam (formalem, proximam, executivam) extitisse primariò et directè in clero Ecclesiae Romanae (particularis), praesertim in principalioribus clericis, qui « Cardinales » dicuntur: licet secundum va-

ria tempora etiam alii introducti sint, non tanquam ordinarii aut per se electores, sed ad aliqua tractanda aut ordinanda, quae concernunt electionem. Et quidem ipse summus Pontifex semper est exclusus ab hac potestate electiva ... Similiter Concilium generale .... Et quamvis praeter clerum Romanum aliquando admissi sint alii ad electionem Pontificis, puta aliqui Principes seculares, vel Religiosi, vel aliqui alii, tamen nunquam clerus Romanus exclusus est (totaliter) ab electione (nunc remanet in persona Cardinalium, ceteris de clero Romano exclusis) ...; in aliis vero (extra clerum Romanum) licet aliquando inventa fuerit haec potestas, tamen etiam mutata est, et variata, nec directe admittebantur ad electionem, sed ad aliquem assensum vel approbationem, aut defensionem electi.»

Adverte enim a) de Cardinalibus (cum Eichner, Compend. juris eccles., § 105): «Cardinales ... proprie S. Pontificis senatum et presbyterium efficiunt, eique in universae Ecclesiae regimine consilio et adjutorio sunt, eodem plane modo, quo omnes episcopi semper suum presbyterium habuere, conflatum ex presbyteris et diaconis, quorum consilio in regenda dioecesi utebantur (parte scilicet praecipua sui cleri). Ad hunc senatum Romae pertinebant illi presbyteri, qui insignioribus Urbis titulis seu ecclesiis praerant; porro, septem diaconi, qui a Papa Fabio (an. 240) in variis Urbis regionibus ad pauperum et infirmorum inopiam sublevandam apud diaconias seu domus hospitales constituti erant. ... Supradictis presbyteris et diaconis saeculo IX adjuncti sunt septem viciniores episcopi (suburbicarii) qui Romam asciti sunt, ut summo Pontifici in regimine ecclesiae universae opem proferrent». Numerus totalis postea variatus est, decrevit usque ad 24, crevit usque ad 70, et aliquando amplius. Sed natura Cardinalatus non fuit essentialiter mutata: et hodie etiam in Cardinalibus eadem est distributio titularum diaconalium, presbyteralium, episcopalium, iidemque antiqui tituli Urbis et Sedium suburbicariarum remanent.

Adverte b) de Imperatoribus et principibus secularibus, eos saepe se introduxisse in electionem Romani Pontificis,

aliquandò per usurpationem, quæ nunc talis fuit ut electio essentialiter vitiaretur et haberetur Antipapa, nunc talis fuit ut vitium non esset nisi accidentale; aliquandò per concessionem Ecclesiæ vel tacitam vel expressam specialibus privilegiis et decretis ipsorum Pontificum. "Nunquam tamen actu et exercitio eligendi usi sunt (ait Joan. à S. Th. l.c. n. 24), sed tantùm approbandi electionem, aut permittendi ut Pontifex electus consecraretur, aut componendi dissensiones, si quæ in electionibus Pontificum contigissent. Unde si quandò ab Ecclesiâ jure sunt permissi aliquid agere circa ordinationem Pontificum, non ut eligentes, sed ut consententes, aut defendentes electum à schismaticis et inimicis, se habuerunt." Et dato non concesso, quòd aliquis Pontifex pro aliquo tempore eis decrevisset veram participationem cum clero Romano in ipsa electione, nihil indè contra nos.

Cf. illa facta historica explicata apud Bardagna t. 3. n. 345, segq.; qui theoriam quorumdam Protestantium (Puffendorff, Boehmer, &c.) et jam olim Marsilii Patavini et Ockami, scilicet jure proprio ad Imperatores spectare potestatem eligendi vel saltem confirmandi Romanum Pontificem, sic refellit: "Si hoc jus coronæ Cæsareæ jure proprio annexum esset, potestas hæc niteretur 1) jure divino naturali, vel 2) divino positivo, aut 3) jure humano ecclesiastico, vel 4) politico (titulus alius excogitari nequit). Atqui nihil horum dici potest ... Non 1^m: quia potestas politica (ex jure naturali) toto cœlo differt à potestate Sacerdotii, tam fine quam medio, tam effectu quam causâ. Non 2^m: id enim ex nullo Scripturæ loco, aut ex verbo Dei tradito, evinci potest, et alias sequeretur, Ecclesiam per plura sæcula legitimis carnisse Pastoribus, præcipuè primis sæculis, quibus nullus Imperatorum tam ethnicorum quam christianorum hanc potestatem sibi arrogavit. Non 3^m: præterquam enim quòd ex eo sequeretur, hanc potestatem Imperatoribus non competere jure proprio, ut volunt Protestantes, sed alieno,

nempe Ecclesiæ: potuit hoc indultum ab Ecclesiâ Imperatoribus datum ad ædificationem, minimum ob seditionum pericula, Cubicularorum Comitum violentiam, ac temporum acerbitatem, cessante causâ, ab Ecclesiâ iterum revocari; præcipuè cùm illa animadverteret, indulto hoc abusi Imperatores, non ad ædificationem, sed ad destructionem Ecclesiæ. Non Hm, per viam legitimæ præscriptionis: quia usurpatio ex vi et injuriâ orta, nullum jus legitimum efficit: neque consuetudo valeret tribuit, quæ gravissimus est abusus." Et lex politica, in conflictu cum lege ecclesiastica, cedere debet, ut dicemus in tract. de Eccl. ubi de relationibus inter Ecclesiam et Statum.

De participatione populi romani, seu laicorum Urbis, quam olim habuerunt in electione Romani Pontificis, quomodò intelligenda sit, dicetur infra ubi de electionibus episcopalibus in genere: nam Romæ quod factum est, in aliis etiam urbibus episcopalibus tunc fiebat. Quæ participatio sicut potuit à suprema Ecclesiæ potestate concedi, ita et potuit ab eâdem revocari: sicuti de Imperatoribus diximus.

Thesis XIX

Potestas illa jurisdictionis, quæ comprehenditur Romani Pontificis primatu, est ordinaria et immediata in omnes et singulos pastores et fideles, — 2) vereque episcopalis.

St. Q. — Concilium Vaticanum, Const. "Pastor æternus", postquam tractavit, cap. 1°, de institutione Primatûs in B. Petro, simul definiens jam aliquomodo naturam Primatûs illius, nempe quod a) fuerit primatus non tantum honoris, sed præsertim jurisdictionis in universam Ecclesiam; et quod b) suprema jurisdictio recepta et subjectata sit immediate, non in Ecclesia, quæ deinde commiserit illam Petro ut suo primario ministro, sed in Petro qui proinde sit Ecclesiæ non minister, sed sub Christo Princeps; — postquam cap. 2° asseruit perpetuitatem Primatûs Petri in Romanis Pontificibus; — jam cap. 3° incipit distinctius explicare "vim et rationem" seu naturam Primatûs Romani Pontificis, ac primum, in quo consistat suprema ejus jurisdictio (supremum enim magisterium, comprehensum etiam illo Primatu, tractat separatim cap. 4; nos hoc anno illud omittimus). Suprema vero illa jurisdictio ut rite intelligatur (omissis quæ spectant ad relationes ejus cum seculari potestate, de quibus etiam alio anno dicemus), duæ sunt præcipuæ quæstiones quas ibi tractat Vaticanum: 1°) De relationibus Papæ cum aliquo particulari episcopo quocumque gubernante suam diœcesim: quid ibi posuit Papa, quomodo concilietur in eodem loco et circa eosdem subditos auctoritas seu jurisdictio utriusque Pastoris; 2°) De relationibus Papæ cum collectione omnium Episcoporum, quando in Concilio congregantur: quis cui superior sit, utrum Concilium supra Papam, an e converso?

— Ad hæc duo reduci possunt, tum præcipuæ explicationes de natura Primatûs jurisdictionis, tum præcipui errores eorum inter Catholicos, qui, ut Gallicani, jura Primatûs variis ætatibus imminuere conati sunt.

Nos igitur, eumdem sequentes ordinem, nunc devenimus ad distinctiùs explicandam et defendendam, contra errores quorumdam Catholicorum, supremam Pontificis jurisdictionem: præsens ergo thesis illam priorem quæstionem tractabit, de relationibus Papæ cum aliquo particulari episcopo ac diœcesi (diversâ a Romanâ). Aliquid postea de 2ª quæstione subjungemus.

Primùm definiamus terminos. — Jurisdictio "ordinaria" (ubi hæc vox opponitur "delegatæ") usu ecclesiastico dicitur ea quæ jure divino vel humano stabiliter annexa est alicui dignitati seu officio, ita ut habeatur sola collatione officii, sine alio actu et speciali delegatione. Unde jurisdictio ordinaria residet in iis tantùm, quibus animarum cura et regimen ex officio competit. "Delegata" ea est, quæ non competit alicui ratione muneris, sed nomine alterius censetur exercori, in quo altero est ordinaria. — Hoc sensu, statim patet, jurisdictionem Papæ esse ordinariam, quatenus Pontifex (ex thesibus præcedentibus) habet jure divino annexam suæ dignitati jurisdictionem, qualiscumque tandem ea sit. Hoc sensu, ut advertit P. Palmieri thes. 13, "ordinariam esse jurisdictionem Romani Pontificis nemo negat, nisi qui negat ejus Primatum".

Verùm qui concederet jurisdictionem, quâ consistit Primatus, "ordinariam" esse sensu dicto, adhùc posset negare "ordinariam" alio sensu statim exponendo. Jurisdictio enim "ordinaria" (ubi non "delegatæ", sed "extraordinariæ" opponatur hæc vox, Mazzella, n. 954) intelligi potest ea quæ pro semper vigot, nec solùm pro extraordinariis concurrentibus circumstantiis: vel, ea quæ habetur per se, non per accidens. "Extraordinaria" autem ea, quæ est per accidens, pro casibus tantùm

extraordinariis, pro casu, v.g. negligentiæ aliorum Pastorum, ad ordinis perturbati restaurationem. Sicut v.g. Status ordinariè et per se nullam potestatem habet quoad quædam, quæ spectant ad patrisfamilias auctoritatem, attamen in his, si paterfamilias negligit sua jura et officia, Status per accidens intervenire potest et debet, ad restitutionem ordinis in familia, filiorumque protectionem: ità ferè finxerunt aliqui, Papam in diœcesibus intervenire non posse nisi per accidens et extraordinario casu, et eo sensu negarunt illi jurisdictionem ordinariam. Vel, sanguam ordinariam et quotidianam ei concesserunt tantum potestatem quamdam "inspectionis et directionis" in Episcopos, quæ est tantum pars et actus quidam Pontificiæ jurisdictionis: non autem reliquas jurisdictionis partes nisi extraordinario casu. Sic Febronius, t.2. c.1. docet "non aliam B. Petro collatam fuisse potestatem, quam inspectionis et directionis." Unde, juxta eos, Pontificis jurisdictio, qua ordinaria, est tantum mediata, attingens solos Episcopos per illam inspectionem et directionem (fideles alios solum indirectè, quatenùs movet Episcopos ad eos benè pascendos): — non verò est simul ordinaria et immediata, quæ possit ipsos Episcoporum subditos directè attingere per varios actus jurisdictionis (quemadmodum ipsi Episcopi eos attingunt), et hoc quidem potuit etiam absque extraordinario casu perturbationis, negligentiæ Episcopi, etc. — "Mediatam potestatem (ut etiam hoc verbum definiamus, cum Card. Mazzella n. 992) in aliquos ille habet, qui eos non attingit nisi mediantibus eorum superioribus immediatis; ergo immediata est potestas, quæ eosdem attingit tanquam propriis subditos, nulla alia potestate interpositâ." Utique immediata potest interponere medium, sed ad illud semper interponendum non tenetur.

Probamus igitur in 1ª parte, jurisdictionem Romani Pontificis, in omnibus suis partibus,

esse simul ordinariam atque immediatam in omnes et singulos fideles: non quod semper actu eos attingat sine Episcoporum intermedio, sed quod semper ita possit valide eos attingere. Et nostra thesis est positiva et affirmans, non exclusiva et negans: quare Episcopos non excludit a propria ipsorum jurisdictione vere ordinaria simul et immediata in proprios subditos: quae tamen est diversi ordinis ac jurisdictio Summi Pontificis in eosdem.

Adversarii praecipue citantur: 1°) Febronius (1763) qui contendit (v.g. cap. 7. n. 7) ad Romen. Pontificem non pertinere immediatam curam et directionem singularum ovium, sed solum „praesidium et directorium universi", quod exercetur „advigilando et dirigendo" (ut ait c. 11, n. 4): tantum „in casu negligentiae aut malitiae Episcoporum" eum posse judicare causas eorum qui sunt ipsis subditi, etiam extra appellationem, et dioeceses administrare et regere etiam contra voluntatem eorumdem Episcoporum, atque absolvere a peccatis (haec potestas extraordinaria vocatur etiam „jus devolutionis"). — Unde Summi Pontificis potestas est per se mediata; per accidens et veluti extraordinarii, immediata. — 2°) Eybel, in libro „Quid est Papa?", damnato in Brevi „Super soliditate" (1786) a Pio VI: qui sic compendiose exhibet extimi canonistae doctrinam: „Voluisse Christum, Ecclesiam reipublicae more administrari: ei quidem regimini opus esse Praeside pro bono unitatis, verum qui non audeat se aliorum, qui simul regunt, negotiis implicare; principium tamen habeat negligentes cohortandi ad sua implenda munia ... Pontifices nihil posse in aliena dioecesi praeterquam extraordinario casu ... Licitum sibi fecisse Pontifices violandi jura Episcoporum, reservandique sibi absolutiones, dispensationes, decisiones, appellationes, collationes beneficiorum ..." — Theoria illa Eybelii, et aliorum tunc

temporis non paucorum pertinet ad « josephismum », systema sic dictum a Josepho II imperatore austriaco tunc regnante iisque doctrinis favente : josephismus praeter alios errores et propensionem ad rationalismum germanica quaedam erat forma gallicanismi. Caeterum Gallicani et ipsi potestatem Papae tantum mediatam esse dixerunt : v. g. Bailly de Eccl. t. 2. p. 327 (cf. Mayyella n. 952) — Item archiepiscopus Darboy nostris diebus. — Non omnes tamen Gallicani, neque omni tempore : nam v. g. Gerson, (teste Thomassino, Vetus et nova Eccl. discipl. p. I. l. 1. c. 6. n. 14), pro errore habuit, « quod Papa non sit immediatus praelatus omnium fidelium, nec sponsus Ecclesiae universalis, sed solius Romae ». Item Natalis Alexander, hist. eccl. diss. 4ª in saec. I § IV, schol. III.

Igitur adversariorum error multa jura multosque actus Pontificum impugnat : quando, v. g., sine intermedio episcoporum sua decreta promulgant extra territorium romanum et ubique, concedunt dispensationes, facultates speciales ad absolvendum, ordinant ex quacumque diœcesi, vel quando à jurisdictione episcoporum eximunt et subtrahunt partem gregis, v. g. quosdam religiosos. Profecto quæstio de Religiosis intime connectitur cum hac nostra thesi : quare thesis jam fuit olim negata in exordiis Dominicanorum et Franciscanorum, quando his ordinibus facultates et privilegia concedere, eosque Regulares, tanquam delegatos, multum adhibere cœperunt Romani Pontifices : tunc Doctores quidam Parisienses, cùm vellent Religiosos sacro prædicationis et confessionis ministerio arcere, docuerunt, neque Episcopis neque ipsi Romano Pontifici competere curam immediatam animarum sub Parochis constitutarum : quos refellit S. Thomas, opus. c « contra

impugnantes Religionem », c.4 – Cf. Dom Gréa, de l'Eglise et de sa Divine constit., l.3.ch.13. p.472, segg.

Probatur 1a pars

1°) Ex Joan. XXI : « Pasce agnos meos … oves meas »

Jurisdictio, quae hic datur Petro sub figura « pascendi gregem » (Cf. supra p.57), datur ipsi non mediata tantum, sed immediata in fideles, et quidem modo ordinario et per se, non tantum extraordinario et per accidens

Atqui ex thesibus praecedentibus, idem primatus jurisdictionis ibi collatus Petro transit ad successores ejus Romanos Pontifices. – Ergo.

Probo Majorem. Ex sensu obvio, a) oves Christi indefinitè et simpliciter dictae comprehendunt fideles cujuscumque dignitatis et gradus : quod si « agni » et « oves » non sumantur hic ut synonyma voces, sed dicantur significare hinc simplices fideles, illinc eorum superiores, adhuc clarius est argumentum (Cf. supra. p. 263) ; – b) De his omnibus fidelibus Christus dicit Petro : « Pasce » eos : utique tua potestate et virtute non sola virtute et potestate aliorum : nihil est hic, quod excludat Petrum ab immediato influxu : imo vox « pasce » sine addicta restrictione, de se indicat directam Petri actionem in fideles. – c) Nihil est, quod immediatum illum Petri interventum restringat ad extraordinarios casus, scilicet perturbationis et negligentiae inferiorum pastorum : imo figura "pascendi" omnino dicit munus habituale, ordinarium, pacificum, perpetuum, non vero meram perturbationis accidentariae reparationem. Atque fatemur, Primatum jura sua magis exercere, si major instat

necessitas majusque periculum: sed aliud est quod magis tunc splendeat, aliud est quod unice tunc possit intervenire.

2°) Ex Matt. XVI: scilicet ex universalitate qua Christus dicit Petro (et ejus successoribus): « Quodcumque ligaveris super terram, etc. ». Quæ verba non essent vera, si Summus Pontifex (ut volunt adversarii) non posset sine licentia et concessione episcopi (exceptis extraordinariis casibus) ligare lege vel censura, vel solvere per dispensationem a lege aut absolutionem a censuris: nam si licentiam denegare vellet Episcopus Papæ, id quod Papa ligaret vel solveret, non esset validum ligatum vel solutum, seu non ratihaberetur a Deo, seu non esset « ligatum aut solutum et in cœlis. » Crescit argumentum si advertimus, verba Christi, dicta absolute et indefinite Petro, fuisse priora, quam ea quæ fundare possunt auctoritatem Episcoporum, quæ proinde auctoritas debet ita intelligi, ut non destruat id quod prius Petro datum est ! « la suite ne renverse pas le commencement, et le premier ne perd pas sa place » ut ait Bossuet (Cf. supra. p. 274, et p. 280)- Apposite Dom Gréa, op. cit. p. 471: Avant d'appartenir à leurs évêques, les Chrétiens appartiennent à J-C. et à son Vicaire; avant d'appartenir aux églises particulières, ils appartiennent à l'Eglise universelle. L'Eglise universelle précède partout, dans la vue de Dieu et l'accomplissement de son dessein, les églises particulières; et quand celles-ci se sont formées, elles n'ont pu porter préjudice aux relations antérieures qui déja avaient attaché les fidèles à J-C et à son Vicaire, ni au lien primordial qui les lui avaient soumis par avance »

3°) Patres

a) ne innuunt quidem illam restrictionem, jurisdictionem ordinariam Capitis Ecclesiæ

esse debere tantum mediatam ;

b) Imo positive aliud asserunt. — V. g. illud « Pasce oves meas » intelligunt, sicut nos, sensu amplissimo. Sic Origenes (supra p. 355) : « Petro summa rerum de pascendis ovibus traditur. » — S. Asterius (ibid) : « Universalem actoto orbe diffusam viro huic commendat Ecclesiam (Christus) ... Mundi curam accepit (Petrus) velut unum gregem unus pastor. » — Curam habet omnium quasi esset unus pastor, ergo immediatam. — S. Ambrosius (l. cit. supra p. 356) ostendit gradationem qua omnes pascere jubetur Petrus : « Jam non agnos ut primo quodam lacte pascendos, nec oviculas, ut secundo, sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfector gubernaret. » — S. Leo M. (supra p. 356) : « Quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regit Petrus, quos principaliter regit et Christus ». Atqui non proprie regeret omnes si tantum pastores exhortationibus movere ad bene regendum posset. — S. Siricius Papa jam ante Leonem Magnum affirmaverat in se sollicitudinem perpetuam singulorum fidelium (supra p. 401) : « Portamus onera omnium qui gravantur : quin imo haec portat in nobis B. Apostolus Petrus », etc. Item S. Anastasius I. (ibid) vocat omnes dioeceses, etiam Orientis, " meos populos ..., partes corporis mei per spatia diversa terrarum » : quod certe dicit personalem et aliquando immediatum influxum in illos populos sicut Rex habet in regno. — Addatur hic S. Bruno Astensis (in fine saec. XI) in homilia Vigiliae S. Petri (quae olim attribuebatur S. Eucherio episcopo Lugdun. Saec. V°) : « Prius agnos deinde oves commisit ei ; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit

igitur Petrus agnos, pascit et oves: pascit filios, pascit et matres: regit et subditos, et Prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesiâ nihil est. » (Cf. similia in ipso Bossuet, sermon sur l'Unité de l'Egl.) — Et S. Bernardus, de Considerat. ad Eugenium Papam, l. 2. c. 8: « Habent illi (Episcopi) singuli sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus; nec modò ovium sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini... Pasce oves meas.... Oves meas, inquit; cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. » Et ibid. l. 3. c. 1: « Orbe excundum est ei, qui forte volet explorare, quæ ad tuam non pertineant curam. »

c) Agnoscunt cuilibet Episcopo judicato à Synodo suæ provinciæ, cuilibet fideli judicato a proprio Episcopo, jus (etsi non in quibuscumque minimis causis expediat hoc jus ad praxim reduci) appellationis ad superius judicium Romani Pontificis: cf. Conc. Sardicense, supra p. 395, segg.: et facta memorata supra p. 414: et p. 415, exemplum eorum qui Romam venerunt ad habendam absolutionem a censurâ latâ per proprium Episcopum, ut Marcion jam sæculo II. Et S. Leonem M. accipientem Eutychetis appellationem, supra p. 409. Et Conc. Africanum scribens ad Cælestinum, supra p. 439. — Jam verò hoc jus supponit immediatam jurisdictionem, tum in Episcopos de quorum sententiâ judicatur utrùm fuerit legitima annon, tùm in eorum subditos, quorum causa examinatur et retractatur: neque id solum fit in extraordinario casu negligentiæ Pastorum, nam sæpè fieri potest ut Episcopi et Synodi optimè et accuratè judicaverint, et tamen reus semper habet jus postulandi supremum Pontificis judicium.

Posset addi argumento traditionis, communis sensus fidelium ipsorumque Episcoporum, quem sic in suâ spontaneâ manifestatione deprehendebat

v. gr. Episcopus Parvisinus, Patres Vaticanos alloquens (in documento infra citando): « At Papa potestne omnia episcopalia, quæ enuntiavimus supra, exercere per se in omnibus diœcesibus, quin obligetur uti medio episcopi particularis ecclesiæ ? aut ipse necessariò debet licentiam petere ab episcopo, ut v. gr. sacramentum confirmationis impertiatur, aut confessionem excipiat à fidelibus ? Quoties ab aliquo reverendissimo oratore petitum fuit, num Papa indigeat hâc licentiâ, risus in hoc consessu est excitatus, credo etiam illorum, qui eliminationem vocis "immediatè" poposcerunt. »

4°) Ex Definitione Concilii Vaticani, « Pastor æternus », cap. 3: ex quâ jam Catholicum se dicere non posset, qui doctrinas illas gallicanismi et josephismi adhuc vellet propugnare: « Docemus et declaramus, Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ vèrè episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumque ritûs et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsùm singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent.... Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a quâ deviare salvâ fide atque salute nemo potest. » Et in fine capitis: « Si quis itaque dixerit, Rom. Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam...; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles : A. S. »

2ª pars

De Ordine LXVII-2

St. Qu. Ex illo errore, refutato in 1ª parte, logicè deduxerunt nonnulli jurisdictionem ordinariam (universalem Papæ non esse episcopalem (scilicet minùs esse quam episcopalem). Nam si non potest in illis variis diœcesibus id quod possunt Episcopi facere, sed tantùm invigilare Episcopis, eos exhortari ad bene regendum, etc. - ergo non est propriè totius Ecclesiæ Episcopus, sed merus inspector, Episcopos omnes aliquatenùs dirigens, eorumque fideles mediatè tantùm attingens (nisi fortè per accidens et in extraordinario casu). „Episcopus„ utique est et ipse, sed tantùm quoad propriam diœcesim romanam. -

Adverte, errorem non in eo consistere, quòd distinguatur in Romano Pontifice duplex auctoritas, altera episcopalis quoad diœcesim romanam, altera papalis seu primatialis: ut videntur hunc errorem exponere aliqui auctores, v. gr. Card. Mazzella n. 951. - Nam bene possumus imò debemus distinguere in eodem viro a) auctoritatem meri episcopalem, cujus exercitio quædam statuit tantùm pro suâ peculiari diœcesi, sicut quilibet Episcopus; v. gr. quasdam consuetudines cleri romani approbat quin eas transformet in disciplinam generalem pro universâ Ecclesiâ (Cf. S. Hieronymum supra p. 433, cum additâ explicatione); b) auctoritatem papalem, quâ intervenit in aliâ diœcesi, quod meri Episcopi facere nequeunt, imò in omnibus aliis diœcesibus. Et 2ª auctoritas major est quam 1ª, ut notat Thomas Waldensis in Doctrinali fidei, t. I. l. 2. art. 3, locum illum Hieronymi exponens contrà Wicleffum: „Una Romana sedes duplici auctoritate coruscat; Episcopali, scilicet illius loci, et Papali in Orbe. Sed cum auctoritas quæritur, sicut Orbis major est Urbe (quæ sunt verba Hieronymi l. cit.), ita denique major est auctoritas Pontificis Orbis quam ejusdem Pontificis Urbis in eâdem Sede." - Rursùm, error non in eo consistit, quòd, factâ illâ distinctione, Romanus Pontifex consideratus præcisè ut Pontifex Urbis dicatur æqualis cæteris Episcopis

non solum potestate ordinis, sed etiam jurisdictionis: non video cur hoc dici nequeat, sicut v. gr. Petrus, praecisè ut apostolus, dictus est a nonnullis Patribus et juxta omnes auctores dici potest ceteris Apostolis aequalis (sup. p. 278). Et haec praecisio seu abstractio fieri legitime potest, nam ad eam sufficit ut inter successorem ad episcopatum Romanum et successorem ad Primatum sit distinctio rationis cum fundamento in re, (cf. supra p. 473), et quod sit diversitas inter utramque potestatem, quae diversitas adest manifestissime; imo exercitium 1ae potest haberi sine exercitio 2ae, ut suprà ostendimus. — Quod autem unus vir possit simul habere auctoritates diversas amplitudine, ostendimus supra p. 467.

Sed error, quem impugnamus, propriè in hoc est, quod 2a illa potestas, papalis seu primatialis, dicatur non esse episcopalis (minus esse quam episcopalis) quoad suam naturam et intensionem, seu quoad jura comprehensa. Utique haec amplissima potestas Papalis in aliquo vero sensu posset negari esse «episcopalis», si nempe vox «episcopalis» sumeretur privative; quatenus v. gr. spectando extensionem ad subditos, haec vox territorium dicit restrictum, limitatum per alias diœceses: sed potestas Papalis est «episcopalis, si haec vox sumitur positive, (quatenus, spectando intensionem potestatis seu juris comprehensa, illa «episcopalis» dicitur potestas, quae verè et immediatè pascit et regit suos subditos omnes et singulos (praescindendo à limitibus territorii. etc.) Caterum adversarii, dum opponunt potestatem duplicem in Romano Pontifice, unam «episcopalem pro Urbe, alteram «primatialem» pro Orbe, videntur ludere in hâc voce «primatialis»: haec enim vox est ambigua, solet enim adhiberi non tantùm pro «Primatu Petrino» in universam Ecclesiam, sed etiam pro Primatu aliquo valde diverso naturae in aliquam partem Ecclesiae (dicamus

« Primatum metropoliticum ») et sic dantur etiam hodiè varii « Primates » et quando potestas « primatialis » sumitur in hoc 2° sensu, est intensivè minor quam « episcopalis », et parùm jurisdictionis superaddit, imo nostris diebus ferè est mera prærogativa honoris, variationes enim esse possunt in hujusmodi re, quæ est juris ecclesiastici. Sanè archiepiscopus Lugdunensis, v. gr.: ut « primas Galliarum », nequaquam habebat immediatam et episcopalem jurisdictionem in omnes fideles Galliarum (imò hodiè post Concordatum vix ipse titulus superest, cf. Bouix de Episcopo t. 1., p. 4. s. 1. c. 2. n. 3.). — Ludentes igitur in voce, adversarii eodem fere sensu « primatialem » Romani Pontificis potestatem in universam Ecclesiam intelligunt: quasi esset ipse, respectu aliorum episcoporum, id quod est Primas in aliquo regno, vel Metropolitanus in sua provincia respectu suorum suffraganeorum.

Idem igitur genus adversariorum est, ac contra partem præcedentem thesis. V. gr. Petrus Tamburini (1737-1827) jansenianorum et josephistarum in Italia coryphæus, in op. « Vera idea della S. Sede », p. 1. c. 4. n. 16, ait: « Primatus non est jurisdictio episcopalis et immediata in unaquaque diœcesi (n. 19) non est aliud quam jus inspectionis et vigilantiæ in tota extensione Ecclesiæ. » Et p. 2. c. 2. n. 5: « Si primatus esset unum et idem cum auctoritate episcopali, legitimè concluderetur, Papam esse episcopum universalem et unicum, siquidem auctoritas Primatûs ad universam Ecclesiam se extendit. » — Paulò ante Conc. Vaticanum auctor operis « Causa di S. E. R. il Cardinale d'Andrea » (scil. Passaglia), quamvis assereret in Sede Romana primatum non honoris tantum sed jurisdictionis, tamen hujus jurisdictionis explicationem dabat (p. 310) quæ sic potest latinè verti: « Sollicitudo omnium Ecclesiarum, quam habet Pontifex, minimè confundi potest cum providentia aliqua episcopali circa illas, sed habenda est ut quædam primatialis sollicitudo et cura, eò tantùm

spectans, ut defectus suppleantur, prævaricationes impediantur, concordia servetur », etc. Et p. 322: « Pontifici competit juridica prærogativa Ordinarii Ordinariorum per jus primatiale, minime vero per jus episcopale.... Functiones ejus in aliorum diœcesibus, non sunt nec esse possunt illæ, quæ sunt communes episcopatûs, sed eæ, quæ sunt propriæ primatûs. »

Hæc pars igitur est partis præcedentis distinctior assertio, ac propterea utile complementum. Quare in Vaticano non fuit neglecta. Cum enim examinaretur à Deputatione schema Constitut. « Pastor æternus », inter alia disputatum est de hoc inciso: « quæ propriè est episcopalis jurisdictionis potestas. » Ut legimus in actis Concilii (in collectione Lacensi Conciliorum recentiorum, t. VII p. 1699), « Mechliniensis censebat, hoc incisum esse superfluum, quum potestas Summi Pontificis declaretur esse immediata et ordinaria: cui etiam Pictaviensis accessit, quia multi ex minori parte Episcopi isto inciso summoperè offenderentur. Responsum est, futuros esse, qui concedant illi quidem, potestatem SS. Pontificis immediatam et ordinariam esse, sed negent, eam esse ordinis episcopalis, nisi id expresse à Concilio declaretur (quod reapse a pluribus Patribus in Congregatione factum est). Statutum igitur est, ut illud incisum retineretur. » Reverà in definitivo textu fuit æquivalenter retentum, ut videbimus.

Probatur:

1°) Ex verbis Christi ad Petrum: « Pasce oves meas » etc., — collatis cum definitione potestatis « episcopalis » (positivè, non privativè, spectatæ). — Argumentum sic potest exhiberi, ipsis verbis DD. Zinelli, Episcopi Tarvisini, in Concilio Vaticano referentis quid de propositis emendationibus (« amendements ») censeret Deputatio (Collect. Lacensis cit. p. 351):

« Quæritur igitur primò, qua sit

jurisdictio episcopalis. Episcopi est pascere gregem: nulla enim magis familiaris idea regiminis episcopalis in sacris Litteris, in Patrum operibus, in usu omnium christianorum, quam representare episcopum veluti pastorem, qui pascit gregem ... Debet episcopus: 1° administrare sacramenta; 2° leges ferre ad bonum fidelium; 3° executioni ipsarum invigilare sive per seipsum sive per delegatos; 4° et proinde visitare dioecesim; 5° judicare; 6° judicare controversias; 7° punire sontes, etc. Haec et similia comprehenduntur in verbo pascere ....»

«Consideremus autem, quanam J.-Christus attribuit apostolo Petro et ejus successoribus. Nonne... dedit illi munus pascendi gregem, scilicet agnos et oves? Cum hoc discrimine, quod episcopis datum est tantum pascere qui in eis est gregem (I Petr. V. 2.), scilicet determinatas partes gregis illis commissas: Petro autem et successoribus ejus datum est pascere omnem gregem, agnos et oves (Jo. XXI. 15-17), simplices fideles nempe et episcopos, in suo regimine independenter ab aliis; dum contra episcopi pascunt semper, ut diximus, dependenter a Petro et Petri successore. En igitur successor Petri potest in toto orbe christiano omnia peragere quae superius enuntiavimus...»

Eadem igitur quoad speciem est episcopalis potestas episcoporum in singulis suis dioecesibus, et in Pontifice Summo quoad omnes dioeceses: cum hoc discrimine, quod in Pontifice Summo est in sua plenitudine, in aliis restricta; in Summo Pontifice independens, in episcopis dependens; in episcopis coarctata ad suas dioeceses, in Pontifice Summo sine ullâ limitatione loci, sed ad terminos terrae. — Cum igitur convenire nos necesse sit, realiter potestatem S. Pontificis esse eandem specie ac potestatem episcoporum, quid vetat quominus utamur eodem vocabulo ad qualitatem enuntiandam jurisdictionis, quae exercetur per Pontifices et episcopos...?

2°) Eversione fundamenti adversariorum. Ratio, cur noluerint supremam Papae jurisdictionem

esse « episcopalem », sed tantùm « primatialem », hoc erat, quod negabant eam esse simul ordinariam et immediatam in omnes et singulos fideles: ut patet ex citatis supra textibus Tamburinii etc. — Atqui hæc ratio jam eversa est in parte præced. — Ergò.

Rationem verò quam afferebant aliqui Patres Vaticani « novi vocabuli introductionem esse superfluam », transmissâ novitate, qua negari posset, sic refellit ibidem Episcopus Tarvisinus: « Notum est, imò usitatissimum in Ecclesiâ, ut nova dogmatica vocabula adhibeantur, novis erroribus insurgentibus. Nostris temporibus reapse valde periculosa sententia apud aliquos invaluit, quæ sustinet, S. Pontificem non posse in aliis diœcesibus à Romanâ diversis ea peragere, quæ episcopus quilibet in suâ propriâ, eo prætextu quòd alias illorum jurisdictionem læderet: perniciosus error à Vaticano Concilio est configendus; et hoc optime faciet si sanciat sua auctoritate, potestatem S. Pontificis exercendam in quâlibet diœcesi esse propriè episcopalem. »

3°) Ex definitione Vaticani, loco jam cit. in 1ª parte: « Quæ (suprema Romani Pontificis jurisdictionis potestas) verè episcopalis est. »

4°) Patres hanc vocem saltem æquivalenter habent (quod etiam ostendit eam non esse revera novam):

a) Dum Romanum Pontificem vocant non tantùm præsidem etc. Ecclesiæ universalis, sed « episcopum ecclesiæ universalis » vel « totius orbis »: quod dicit curam episcopalem de ecclesiâ universali. — Ita S. Cyrillus Alexandr. supra p. 405. — Item S. Leo M., epist. LXIV ad Marcianum: « Leo Episcopus romanæ et universalis Ecclesiæ. »

b) Dum eum vocant, vel testantur suo tempore vocari, « Episcopum Episcoporum », « Pastorem Pastorum »: ipse enim si est episcopus respectu ipsorum episcoporum, a fortiori respectu aliorum

(et ideo adversarii qui negant ejus immediatam in fideles jurisdictionem, negant etiam eum habere potestatem vere episcopalem in Episcopos, sed tantum eos movere adhortationibus etc.) — Ita jam Tertullianus, in hæresim lapsus, dicebat in Lib. de Pudicitia c. 1. : « Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium : Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit : Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto. » Is porro erat Zephyrinus Romanus Episcopus (quem jam vidimus supra p. 393, propter hæc impugnari ab auctore schismatico Philosophumenorum). Titulum autem « Episcopi Episcoporum » fuisse tunc vere datum Episcopo Romano, non confictum a Tertulliano quamvis ironice loquatur, patet : quia per illum titulum hic probatur edictum esse « peremptorium » juxta Catholicos, a quibus se Tertullianus separaverat. — Item S. Bernardus de Consid. l. 2. c. 8 : « Nec modo ovium sed et Pastorum tu unus omnium Pastor. » — Ex his et similibus concludit Pius VII in responsione ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem etc. Sum. Pontificem habere auctoritatem « immediatam et ordinariam » non solum in simplices fideles sed etiam « in omnes pastores, qui, quâcumque demum præfulgeant dignitate, non solum non sunt Pontifici pares, sed ita ejus auctoritati subduntur, ut qui pastores appellantur et sunt, si populos respicias, ii si Pontificem spectes, nonnisi ovium numero habeantur. » — De textu S. Cypriani objecto : « Nemo nostrum episcopum se esse episcoporum constituit » cfr. sup. p. 436. Pariter canon concilii Africani : « Nec primæ Sedis Episcopus appelletur Princeps Sacerdotum » etc. respicit Metropolitanos in Africa, non autem Romanum Pontificem. Si objicias in fine illius canonis (ut refertur in Corpore Juris, addi : « Universalis autem

De Ord. LXVIII -1

nec etiam Rom. Pontifex appelletur », resp. ea verba non esse Concilii Ephesini sed compilatoris Gratiani ipsius, qui multa alia suppositicia Canonum collectioni immiscuit. Et videtur illud additamentum ipse deduxisse ex quibusdam S. Gregorii M. dictis, mox citandis.

Scholion. — Haec adverte ad solv. difficultates :

1°) Haec propositio : « Rom. Pontifex est Episcopus Universalis » (seu « oecumenicus ») bifariam intelligi potest : a) eo sensu quod ipse solus, et nullus alius, sit omnium etiam particularium Ecclesiarum Episcopus ; ceteri vero particulares episcopi non sint Episcopi propriae, sed illius mere vicarii, non habentes jurisdictionem episcopalem ordinariam et propriam, sed tantum delegatam et quasi alienam. — b) in sensu nostrae thesi, non excludente ab aliis episcopalem jurisdictionem ordinariam et propriam. — Jam vero S. Gregorius M. (lib. 4. ep. 32. 36. 38) titulum illum a se rejecit, intelligens eum in 1° sensu, qui falsus est et pervertit oeconomiam a Christo institutam : et ideo eum vocavit « nomen blasphemiae, perversum vocabulum », etc. Quod intellexerit in 1° sensu, patet ex pluribus locis, v. g. l. 7. ep. 60 : « Si unus ... universalis Episcopus est, restat, ut vos episcopi non sitis ; » et lib. 4. ep. 32 : « Nullus eorum (Romon. Pontificum) unquam hoc singularitatis nomen assumpsit, nec uti consensit, ne, dum privatum aliquod daretur uni, honore debito Sacerdotes (scil. episcopi) privarentur universi. » Sane praedecessor ejus Leo Magnus (supra p. 536) non se dixerat « Episcopum universalem » sed « Episcopum Ecclesiae universalis », qui titulus diversus est et facilius de

se potest intelligi in 2° sensu ex duobus superius explicatis. Dices: At etiam „ Episcopus universalis „ posset accipi in bonam partem. Non nego: sed ut significaretur a Gregorio, satis fuit, quod tunc in pravo sensu a pluribus acciperetur vel facile accipi posset, et quod haec Gregorius adverterit. Quo posito (ut notat Bellarminus) sapienter et ad cautelam nomen illud si impl. eo fere modo quo Ephesini Concilii Patres nomen illud Χριστοτόκον proscripsere, etsi bonum et catholicum sensum habeat, ea solum de causa, quia malo exponi sensu potest et haeretico, ac sub eo Nestoriana potest latere doctrina, Mariam Christi Matrem asserans, sed Dei Matrem impie negans. Adde cum Laurentio Veith („ Richerii Systema confutatum „ § XLVII) : „ Etsi S. Gregorius sibi ut Rom. Pontifici in aliquo sensu debitum sentiret illud nomen, tamen quia tunc quaestio erat, an Joanni Constantinopolitano Patriarchae illud arroganter usurpanti, competeret, ideo absolute pronuntiat S. Gregor. nomen illud profanum esse et sacrilegum, nempe ut tributum memorato Patriarchae, utpote quia ei nullo jure et in nullo sensu debitum, sed arroganter et insolito facto usurpatum: utque facilius dicti Joannis cohiberet audaciam sua moderationis et modestiae exemplo, hoc nomen pariter et ipse recusavit..... Sequae ea de causa non Archiepiscopum, nec Patriarchum, sed Episcopum et servum servorum Dei scribere coepit. „ — Sic praeceptum humilitatis a Christo datum Proelatis Ecclesiae (supra p. 75) diligentissime servavit ille Sanctus Pontifex, impediendo ne introducerentur novi tituli, etiam ubi non immerito tribuerentur, imo et antiquos et receptos desitando potius quam amando. Jurisdictio enim non titulis verbisque propria consistit, sed factis seu efficaci influxu in societatem: porro facta Gregorii non desunt (testibus ejus

epistolis) quae probent eum sibi auctoritatem reipsa attribuisse, quam in nostra thesi dicimus. Sic v.g. Joannem Presbyterum Chalcedonensem, ob haeresis crimen ab Orientalibus judicibus damnatum, absolvit, atque eundem ad Joannem Patriarcham Constantinop. qui judicibus illi hanc causam decidendam commiserat, remisit „benigne suscipiendum et a cuncta ingnietudine tuendum" (l. 3. ep. 15). Hinc etiam Marinianae, Ravennatensi Episcopo, qui causam quamdam suam Ravennae agitandam, non Romae, contendebat, Gregorius M. exemplum ejusdem Presbyteri Chalcedonensis Romae absoluti objicit, his verbis: „Numquid non ipse nosti, quia in causa, quae a Joanne Presbytero contra Joannem Constantin. fratrem et Coepiscopum orta est, secundum Canones ad Sedem Apostolicam recurrit, et nostra ea sententia definita? Si ergo de illa civitate ubi Princeps est, ad nostram causa cognitionem deducta est: quanto magis negotium, quod contra vos est, hic est veritate cognita terminandum?" (lib. 5 ep. 43. l. 3 ep. 30) — Alia ejus exempla similia habes apud Palmieri thes. IX, et Veith l. cit. qui concludit: „Quid ad ista Adversarii (Calvinus, Richerius, Febronius etc.)? Num si haec dicta et facta Gregorii M. unquam expendissent, eum absolute et in omni sensu negasse, Papam esse Episcopum oecumenicum seu universalem, tam fidenter asseruissent?" Cf. Franzelin de Eccles. th. XI. p. 175, segg.

Occasione hujus celebris controversiae adverte: Gregorius ad retundendam Episcopi byzantini superbiam et audaciam, a) ipsum Petrum Apostolum vocat „membrum sanctae Universalis Ecclesiae ... sub uno capite (Christo)", nec mirum: nam si comparatur ad Christum, Petrus non est caput sed membrum; caeterum agnoscit ibidem Petrum esse membrum sub Christo primarium; et quod non negaverit

Petri primatum, patet ex ejus verbis citatis supra p. 357.; — b) defendens præcipuos Patriarchatos contra Byzantinos, affirmat illos sedes tres, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam esse unam unius nempe Petri sedem, cui tres Episcopi præsident. „Unitas vero hæc non est nisi secundum quid, ratione originis seu institutionis ab eodem Petro, non vero simpliciter, ut sit æqualitas potestatis multoque minus identitas." — Palmieri ibid. — Et ex hoc Gregorius concludit ad unitatem quamdam moralem scilicet quod Ecclesia Alexandrina et Ecclesia Antiochena instituti Petri ad specialem obedientiam et charitatem erga Romanam obligantur: cf. lib. 6. epist. 60.

Restat quæstio secundaria huic connexa: num scil. Joannes ille "Jejunator" episc. Constantinop. sub titulo "Episcopi œcumenici" primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam sibi attribuerit, vel saltem independentiam a centro unitatis romano? — Resp. Neg.: nam a) Gregorius talem doctrinam damnare debuisset ut hæresim: atqui nunquam Joannem vocavit hæreticum, aut schismaticum: sed crimen potius intolerabilis superbiæ, quam errorem in fide arbitrabatur; videbat tamen ibi periculum fidei saltem in futuro (l. 5 ep. 19), et ideo illi titulo tam ardenter resistebat; — b) expresse testatur, Byzantinos subjectionem erga Romanam sedem tunc profiteri, v.g. l. 9. ep. 12: „De Constantinopolitana Ecclesia quis dubitet, eam Sedi Apostolicæ subjectam esse?" cf. l. 7. ep. 65. Factis etiam apparebat tunc illa subjectio, ut constat exemplo Joannis Presbyteri Chalced., supra citato; — c) successores Joannis Jejunatoris ostendunt pariter subjectionem suam; imperatores byzantini Constantinus Pogonatus et Justinianus II, sæculo VII regnantes, Romanum Pontificem in suis litteris appellant "Papam œcumenicum", "Papam Universalem" (cf. Binii Collect. Concil. t. 3 p. 213 et 229). Hinc etiam vita colligamus, titulum illum et similes non habuisse primam originem

saeculo IX in falsis Decretalibus, ut Febronius aliique dixerunt (cf supra p. 442). – Quo sensu Joannes Jejunator se dixerit "episcopum œcumenicum" nescimus: "fortasse, (ait Palmieri l.c.) id solum voluit significare, nempe se esse Patriarcham principem in Oriente." Tituli enim honorifici aliquanto sensu lato et impropio usurpantur, adhibita hyperbole.

2° – Ad objectionem: "Unius hominis non possunt esse plures proprii (et immediati) sacerdotes vel judices, quia tunc teneretur pluribus obedire, quod esset impossibile, si contraria præciperent vel incompossibilia" – sic respondet S Thomas, Supplem. q. 8. a 5 ad 3m (et in 4, dist. 17. q. 3. a 3. q. 5): « Inconveniens esset, si duo æqualiter super eamdem plebem constituerentur: Sed quòd duo quorum unus alio principalior est super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens; et secundùm hoc super eamdem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis, et Episcopus, et Papa. » Dato enim conflictu qui ab objiciente supponitur, præcepto Superioris majoris cedit præceptum Superioris minoris, et cessat ipso facto; ergo in subdito utriusque nulla habetur impossibilitas vel perplexitas, et sic posita subordinatione, in toto complexu nulla est confusio.

3° – Adverte cum P. Palmieri thes. 13. –, "falsum esse, quod in serie ordinata eorum qui potestate funguntur in societate, ille qui præest imperet tantùm iis qui immediate ipsum in ea serie sequuntur: liquet id in monarchia civili in qua Regi omnes prorsus cives immediate subsunt. Ita quoque Deus in hac mundi universitate omnes immediate movet et regit. Unde cum, propter seriem ordinatam præsidentium, alter qui subditis proximus est dicitur immediatus Superior, alter qui uno gradu vel pluribus excedit dicitur superior mediatus, non significatur distinctio subditorum, qui alii

sint pro distinctis superioribus, sed designatur ordo præsidentium inter seipsos.»

4°. Christus ipse instituit Episcopatum, et dedit illi mediationem gradûs inter supremum Pastorem (Papam) et gregem pascendum; non autem "mediationem virtutis hoc sensu, quasi illa potestas suprema nonnisi per has inferiores in universum gregem pertingeret et exerceri posset." — Franzelin Th X. p. 146. Etiamsi origo jurisdictionis Episcopi dicatur esse ab ipso Deo (de qua quæstione in thesi aliquâ sequenti) non inde impeditur immediatus interventus Papæ in fideles illius Episcopi, cum idem Deus voluerit hanc subordinationem Episcoporum et potestatem immediatam Papæ: sicut si quis Parochus nominatus esset ab ipso Summo Pontifice, nihilominus Episcopus pro sua ordinaria potestate posset immediate intervenire in illa Parochia sicut in aliis: cf supra p. 198.

5°. DD. Darboy, Archiep. Parisiensis, objectionem faciebat quam sic exponit Pius IX in suis Litteris ad eumdem, (26 Oct. 1869 — cf. l'Univers, 16 mars 1869): "«Asserere non dubitas, Romani Pontificis potestatem in Episcopales diœceses nec ordinariam nec immediatam esse... «... atque existimas, diœcesim canonice erectam, in quâ «hierarchia est constituta, in Missionum regiones converti, «si Rom. Pontifex extra prædictum casum (evidentis necessitatis) «suam potestatem erga diœcesim exerceat." — Et respondet Pontifex: "Non parum autem miramur, cum ... ex «Febronianis placitis sentias, ex commemorata doctrina «diœceses in missionum regiones, et Episcopos in Vicarios «Apostolicos converti: cùm omnes cognoscant, à Catholicis «merito responderi id tam esse falsum, quam falsum «est asserere, in civili ordine Ordinarios provinciarum «Præfectos, Judices, aliosque magistratus non posse amplius «nominari Magistratus ordinarios propterea quod Rex vel «Imperator directa seu immediata et ordinaria potestate «in singulos sibi subditos potiuntur.»

6°- Aliam eiusdem objectionem sic refert Pius IX ibid: "Oppugnas ius quo singuli fideles potiuntur appellandi ad Summum Pontificem, et inquis id impedire ac prope impossibilem reddere diœcesis administrationem". Reponi potest a) neque ipsam Papæ administrationem esse reddendam impossibilem, quod fieret si ius appellationis supprimeretur. Abusus autem in eare ab ipso Rom. Pontifice præcaveri possunt: et si qui nihilominus remanent, minus sunt malum, quam si non daretur ille supremus recursus, tam sæpe utilis ex historia Ecclesiæ, cæterum necessario derivans ab existentia supremæ potestatis judiciariæ (cf supra p. 439, 440.) - Subjungit b) Pius IX: "Omnis religiosa mentis Episcopus ex eodem jure (appellationum) ac jurisdictione (ordinaria ac directa Rom. Pont.) consolationem ac robur percipit coram Deo et Ecclesia, et coram ipsis Ecclesiæ hostibus (nedum ejus administratio inde reddatur impossibilis). Et quidem coram Deo: propterea quod, dum ex parte se a reddenda villicationis suæ ratione eximit, salutari Apostolicæ Sedis lumine perfusus, magis in dies dirigitur ad suam diœcesim prospere administrandam. Coram Ecclesia: nam hoc facto eam majore usque conjunctione ac firmitate et regiminis unitate vigere et florescere videt. Coram ipsis Ecclesiæ inimicis: propterea quod contra ipsos hac ratione Episcopus fortior et constantior evadit. Omnibus enim probatum exploratumque est, Episcopum non solum debilem, sed etiam adversariorum ludibrium tunc majorem in modum fieri, cum ipse minus adhæret immobili illi Petræ, super quam Christus Dominus suam ædificavit Ecclesiam, et adversus quam inferi portas nunquam prævalituras esse promisit." - Et revera, historia teste, nunquam Episcopi a salutari Rom. Pontificum influxu subtrahere se conati sunt, quin potestati civili et politicæ pro mensura sua

defectionis manciparentur; v.g., famosæ "libertates Ecclesiæ Gallicanæ" erant revera servitus erga Regem, ut sæpe notatum est.

7° Ad objectionem: "Deus non confert potestatem, cujus exercitium est impossibile: atqui non potest Romanus Pontifex omnes fideles immediate regere". — Resp.: a) dist. min. per se ipsum, conc.; per suos delegatos, nego. V. gr. sacerdotibus regularibus Pontifex nonnullas facultates concedit immediate, et sic per eos agit in omnes fideles, non mediante quoad hæc potestate Episcopi loci. — b) Nego suppositum scilicet quod potestas ordinaria immediata in omnes fideles eo spectet, ut Rom. Pontifex debeat omnes actus regiminis erga singulos fideles exercere, independenter a mediatione Episcoporum et Parochorum: sufficit quod possit, quando velit, intervenire, etiam absque extraordinario casu perturbationis et magna negligentiæ Pastorum. Porrò per "potestatem immediatam" sic intellectam, Episcopus Romanus ad nihil impossibile ordinatur (Palmieri thes. 19)

Cæterum "posse præstare omnes actus regiminis" est phrasis æquivoca: intelligi potest vel a) de posse physico, quod subdividitur in posse physice per se, et posse physicè per alios, quibus potestatem nostram delegamus; — vel b) de posse juridico: intervenire Pontifex semper potest juridice, scilicet omnis actus pertinens ad regimen episcopale, in quacumque diœcesi, in quocumque particulari casu validus erit cum ponetur a Pontifice; et præcise in hoc consistit "potestas ordinaria, immediata, episcopalis" quam ei vindicamus; — vel c) de posse ethico; intervenire Pontifex semper posset ethicè, si omnis interventio Pontificis non solum valida esset, sed etiam licita: hoc nos minimè defendimus. Nam in multis casibus peccaret Pontifex interveniens, prudentiâ ei dictante ut rem Episcopo regulandam relinquat: sed etiam peccaret (quod ad nos non spectat examinare, et relinquendum est

ejus conscientiæ et Deo), validus esset actus; sicut positis ponendis, validum est decretum Regis quamvis ex superbia factum, validus contractus emptionis, quamvis ex avaritia factus etc. Huc pertinet, quod ad Eugenium Papam dicit S. Bernardus de Consid. l. 3. c. 4: "Quid tam indignum tibi, quam ut totum tenens non sis contentus toto, nisi minutias quasdam, atque exiguas portiones ipsius tibi creditæ universitatis, tanquam non sint tua, satagas nescio quomodo adhuc facere tuas? (nempe intempestivo interventu)... Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ (i.e. sanctitatis, virtutis) forte non ita. Facitis hoc quia potestis, sed utrum hoc debeatis facere quæritis est." (Cf. card. Mazzella n. 955.). Similes abusus in cujusvis potestatis humanæ exercitio possunt aliquando accidere: nec quidquam probant contra ipsius potestatis existentiam. Quod autem passim accidant, est hypothesis chimærica, ipsâ experientiâ teste. "Certe (ait Episcopus Tarvisinus in documento Vaticani supra citato), si Summus Pontifex, sicut habet jus peragendi quemcumque actum propriæ episcopalem in quacumque diœcesi, se ut ita dicam multiplicaret et quotidie, nullâ habitâ ratione Episcopi, ea quæ ab hoc sapienter determinarentur, destrueret; uteretur non in ædificationem sed in destructionem suâ potestate, confusio oriretur in spirituali administratione. At quis nec per somnium quidem excogitare posset tam absurdam hypothesim? Acquiescant omnes igitur; et moderatione S. Sedis confisi, nullum dubium moveant, auctoritatem S. Sedis præsidio futuram, non lasioni episcopalis potestatis." Etenim, præter ipsam impossibilitatem ita interveniendi in tot locis, et periculum pro propria auctoritate quod saltem retinere deberet Pontifices, dirigi solent hoc principio practico, quod expressum est ab uno ex eis, S. Greg. Magno (l. 8. ep. 30): "Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego

verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur." Propterea Vaticanum declarat in suâ Constit., cap. 3, quod potestas ordinaria et immediata Episcoporum ipsorum non tantum non destruitur, sed potius "a supremo et universali Pastore asseritur, roboratur ac vindicatur."

Ex dictis apparet etiam solutio ad similem objectionem Protestantium contra Primatum: "Unus homo non potest Ecclesiam per universum orbem diffusam commodè et convenienter gubernare: ergò Deus non potuit tale gubernium instituere." Cui respondet a) Suarezius, contra Regem Angliæ l. 3. c. 20 n. 9: "Si hoc Ecclesiæ regimen mere humanum esset, et solis humanis viribus, prudentiave morali, aut solo naturali arbitrio peragendum esset, non immeritò unius hominis capacitatem excedere judicaretur; quin potius fatemur neque ordinaria gratiæ auxilia ad id sufficere, nisi Deus longè majora et specialia offeret. Cum autem Christus Dominus et singularem providentiæ suæ præsentiam, et Spiritus Sancti assistentiam suo Vicario promiserit, et pro illius fide peculiariter rogaverit, quamvis humanæ fragilitati difficile sit omnes spiritualiter gubernandi totum universum, non est tamen impossibile, nec ita moraliter difficile, quin plures Pontifices, et majori ex parte, egregiè illud sustinuerint, et perfectè ac sanctè impleverint. Eo vel maxime quòd, licet unus sit supremus Pontifex, non tamen solus ubique et immediate (de facto) gubernat, sed alios etiam Episcopos et Pastores in partem sollicitudinis ex divinâ institutione vocat, eisque, quantum expedit, partem suæ jurisdictionis communicat, sibique majora et graviora, omnemque recursum ad conservandam unitatem et concordiam necessarium reservat." Insuper habere potest ubique suos legatos, Visitatores, etc.; habet suum "presbyterium", seu concilium, scilicet Cardinales (supra p. 518), ex

quibus praecipuè constant Congregationes Romanae, quae variis objectis applicato multa negotia expediunt, invigilante et approbante Pontifice. — b) Experientia ipsa demonstrat Pontificii gubernii possibilitatem et fructus felicissimos ad conservandam Ecclesiae unitatem, etc.; ut ipsi Protestantes Grotius et Leibnitius confessi sunt (supra p. 377, segg.).

Instant. Impossibile esset gubernium unius Regis supra totum mundum. Ergo a pari .... Resp. Nego parit. Nam a) Deus, eo ipso quod instituit ipse Primatum, debet gratias proportionatas muneri: quas de caetero etiam explicite promisit Ecclesiae. Nulla autem promissiones factae sunt Regi universali, nec simile quid Deus unquam instituit. — b) Addit Card. Turrecremata de Eccl. l. 2 c. 4: "Facilius unus potest praesse toti populo christiano in spiritualibus, quam in corporalibus: tum propter diversitatem et variam multiplicitatem, quae in temporalibus negotiis major quam in spiritualibus invenitur: tum quia mucro quo Princeps Ecclesiae contra rebelles et errantes utitur, quae est excommunicatio (cf. th XI supra), facilius extenditur in quantumlibet longinquas nationes, quam facit gladius materialis quo Principes seculares utuntur."

Corollarium I. Ergo potestas jurisdictionis in Romano Pontifice est plena: a) plena extensivè, non quasi extra Primatum nulla sit potestas in Ecclesia, sed quatenus ei nemo se subtrahere potest sive sit simplex fidelis ab alio gubernatus, sive sit Pastor; — b) plena intensivè, quatenus habet et in singulis partibus Ecclesiae universalis (ex thesi) omnia jura episcopalia, et insuper omnem requisitam potestatem ad totum in unitate servandum, ex munere jam probato "fundamenti stabilitatis", "centri unitatis" (Thes. IX, X, XIII, XIV). — Caeterum haec plenitudo confirmatur:

1°) Definitione explicita Vaticani l. cit.: "Si quis dixerit Rom. Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertineant; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis, --- A. S."— 2°) Verbis amplissimis, indefinitis, illimitatis, quibus Christus dedit Petro jurisdictionem (cf. thes. IX, 1ª p.; th X) — 3°) Ex traditione et primatûs exercitio in primis sæculis (thes. XIV, 2ª Scholion): nulla enim est potestatis ecclesiasticæ præcipua functio, quam non in Ecclesiâ universâ subinde exercuerint Romani Pontifices, quamque ipsis non agnoverint Patres. Varia jura Romani Pontificis explicare, pertinet ad jus canonicum. Plura jam vidimus in ipso suo exercitio in primis Ecclesiæ sæculis, thes. XIV. Cæterum falsum est criterium a Febronio ejusque sequacibus canonistis olim propositum, illud tantum esse de juribus primatûs "essentialibus", scilicet propriis et divinitûs institutis, cujus exemplum clarum et explicitum in historiâ primorum sæculorum inveniri potest: istud jam refutavimus supra p. 420, 421. Cf. de isto criterio Rosskovany, de primatu, § 44, seqq.— Implicite in thesibus nostris continentur et facile deducuntur multa jura, semel posito vero primatu jurisdictionis (thes. IX, seqq.), et posita natura jurisdictionis in genere et jurisdictionis ecclesiasticæ specialim, multiplicique potestate quam ipsa continet (thes. II)

Corollarium II. Ergo potestas jurisdictionis in Romano Pontifice est suprema, quâ superior nulla est: sive 1°) ipse comparetur

cum quolibet alio individuo, jurisdictionem ecclesiasticam habente; et secundum hunc modum superioritatem considerandi Romanus Pontifex est plane supremus, ex prædictis; — sive 2°) comparetur cum Concilio ex universâ Ecclesiâ congregato: quæ altera quæstio, olim celebris, remittenda est ad tractatum de Ecclesia, ubi de Conciliis: interim superioritas Papæ supra ipsum illud Concilium satis jam constat a) ex Scripturâ, ubi Petrus (cujus primatus transiit ad Romanum Pontificem) est fundamentum ipsius ædificii Ecclesiæ, seu Societatis formaliter ut societatis, formaliter ut collecta in unum: nam fundamenti est varias ædificii partes sustentare non qua separatas, sed quâ conjunctas - Atqui Concilium non est aliquid amplius quam tota Ecclesia et totum ædificium, sed pars potior ædificii: ergo (Cf. thes. IX 1ª p.; XIII et segg., et Mazzella n. 978); — b) ex eversis fundamentis opinionis adversæ, scil. quod Petrus fuerit Ecclesiæ delegatus et caput ministeriale (thes. IX. 2ª p.), et quod Ecclesia eligendo Pontificem ipsi conferat jurisdictionem (thes. XVIII); — c) ex traditione, dum v. gr. ostendit Petrum ut ipsi Collegio apostolico superiorem, ut alterum Moysen supremum ducem populi, etc. (thes. XII); - dum Patres Concilii œcumenici Ephesini se dicunt "coactos" seu obligatos per epistolam Papæ Cœlestini, ut conciliariter condemnent Nestorium (supra p. 406): ergo Papa obligat Concilium qua Concilium, et in ipsis actibus conciliaribus: sed obligare est superioris; ergo; — præterea dum Patres Chalcedonenses in epistola synodica (supra p. 410) agnoscunt S. Leonem Papam ipsis in Concilio congregatis fuisse id quod caput est membris, et postulant ab eo confirmationem decretorum conciliarium. — d) ex definitione Concilii Vaticani, qua istas theorias gallicanas, josephisticas, etc. tandem sepelivit, in Constit. "Pastor æternus" cap. 3: "Docemus .. hanc

Romani Pontificis jurisdictionis potestatem ... immediatam esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis veræque obedientiæ obstringuntur. Hæc est catholicæ veritatis doctrina", etc. Et infra: "Docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium ... Sedis verò Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant licere ab judiciis Rom. Pontificum ad Œcumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare." — Et jurisdictio Papæ definitur esse "suprema", cf. verba Vaticani in Coroll. præcedente.

Thesis XX

Episcopi sunt, vero quodam sensu, "Apostolorum successores" etiam quoad potestatem jurisdictionis; — 2) sic tamen, ut singuli greges particulares sibi assignatos habeant, — 3) nec succedant Apostolis eo sensu strictissimo, quo Romanus Pontifex Petro succedit.

St. Q. — Ex 1: et supremo gradu hierarchiæ jurisdictionis, qui constat Romanis Pontificibus, descendimus ad 2^m, qui constat Episcopis — adhuc præscindimus a distinctione episcoporum et presbyterorum, quia eam nondum probavimus (quoad potestatem jurisdictionis). Permittimus, non solum utrumque nomen considerari ut synonymum (de quâ Quæstione nominum cf. thesim VI), sed etiam utrumque munus, quoad jurisdictionem,

non distingui essentialiter et jure divino. Episcopos enim nondum opponimus Presbyteris, sed opponimus tum Apostolis, ut videamus dissimilitudinem, et quo sensu dici possint Apostolorum successores, tum Romano Pontifici, ut videamus ejus dissimilitudinem ab Episcopis, et (in thesi sequenti) influxum ejus in Episcoporum potestatem conferendam, limitandam, etc. (in quo natura Primatus complementum explanationis recipiet).

Gravissima et utilissima est quæstio præsens, quæ notionem dat accuratam Episcopi, ejusque relationum ad Papam: cum inter ipsos Catholicos aliqui Episcopos infra propriam dignitatem habuerint, multi autem supra, detrahentes Romano Pontifici; et generatim plurimi de his rebus summa ignorantia laborent. — Pariter e sectis separatis, alia contempserunt episcopalem dignitatem, negaverunteque episcopos ullo sensu Apostolis succedere: alia exaggeraverunt in sensu opposito, ut Anglicani seu Episcopaliani, et Græci schismatici.

Probatur 1a pars

1o) Christus sicut primatum jurisdictionis non dedit soli personaliter Petro sed etiam ejus in perpetuum successoribus Episcopis Romanis (cf. thes. XIII, et segg.): ita jurisdictionem sub Petro secundariam non dedit solis personaliter Apostolis, sed etiam eorum in perpetuum successoribus (diversis ab Episcopo Romano primariam jurisdictionem habente). — Nam v.g. Matt. XXVIII, 18, potestatem suam divinam ipse delegat Apostolis ("Data est mihi omnis potestas -- Euntes ergo"); promittens suam assistentiam eorum laboribus docendi, baptizandi, etc. usque ad finem mundi ("Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi") - Atqui Apostoli non erant usque ad consummationem ita laboraturi per se, sed tantum per successores (cf. supra p. 372). Ergo-

Potestas autem "docendi et baptizandi" hic data, non est sola potestas magisterii et potestas quædam sacramentalis, sed necessario includitur etiam potestas jurisdictionis, utpote cujus est regulare exercitium licitum tum magisterii tum administrationis Sacramentorum (cf. supra p. 98 seqq.). Et adverte "successores Apostolorum" illos esse debere vero quodam sensu, quos per modum unius Christus cum Apostolis comprehendit et alloquitur, tanquam eorum continuationem, et unam personam moralem cum eis.

Jam vero si quærimus, quinam sint illi "successores", videmus esse Episcopos, si non unice, saltem præcipue, quod nunc sufficit nobis. Nam a) nulla alia classis christianorum aut in Scriptura aut in Traditione nominatur, quæ magis succedat Apostolis. — b) ex Traditione (cf. Euseb. hist. eccl. etc.) scimus nomen munusque "Episcoporum" habuisse eos selectos viros, quos ipsi Apostoli curaverunt post se relinquere ut suos (etiam quoad jurisdictionem) successores, qui et ipsi post se successores relinquerent: talis fuit Timotheus in Asia, ad quem Paulus dicit, I Timoth. IV 11: « Præcipe hæc, et doce" etc et V, 19: « Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus », et alia quæ in Timotheo regimen Ecclesiæ seu jurisdictionem clarè significant (cf supra p. 57, 67, 71); quem etiam monet de successoribus post ipsum relinquendis, tum implicitè, ubi ait VI, 14: « Serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini N. J. C. " etc, atqui Timotheus non erat usque ad illum 2um adventum Christi servaturus mandatum per se, sed tantum per successores, ergo; — tum magis explicitè, II Tim. II, 2: « Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. » — c) Imo et in Scripturâ diserte Episcopi" vocantur illi præcipui viri quos ad ministerium Ecclesiarum debebant instituere v. g. Timotheus ac Titus, et quorum propterea dotes requisitas (in primo loco, ante diaconos, viduas Deo consecratas, etc) enumerat Apostolus, v. g. I Tim. III, 2 « Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse .... suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos, etc .... Si quis autem domui suæ præesse nescit,

quomodo ecclesia Dei diligentiam habebit ? Ex qua comparatione et oppositione apparet agi de eo qui præest Ecclesiæ, seu potestatem jurisdictionis habet. – Cf. Tit. I 5, 7. Et Act. XX 28 : « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. » Ubi habes et nomen episcoporum, et potestatem jurisdictionis ecclesiasticæ. Cæterum ipsa origo vocis "episcopus" (quasi superintendens) jurisdictionem significat (cf. Bouix, de Episcopo, initio). – Denique, ut advertit Card. Franzelin, de Eccl. thes. XV, « munus esse homogeneum in successoribus sicut in Apostolis (saltem ex parte, ita ut recto quodam sensu dici possint "successores"), Paulus etiam indicat, ubi præpositis Apostolis subjungit præpositos successores, Hebr. XIII. 7. 17. Et Petrus consenior sibi consociat seniores » (supra p. 57). – Ergo.

P. – Patres diserte rem nostram habent, v. g. : S. Irenæus (supra p. 389) : « Habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi et successores eorum usque ad nos » ; — et pariter obedientiam postulat, correlativam eorum jurisdictioni, supra p. 61 : « Obaudire oportet his qui successionem habent ab Apostolis, ... qui cum episcopatûs successione » etc.

S. Cyprianus, epist. 42 ad Cornelium (ed. Baluz) : « Unitatem a Domino et per Apostolos nobis successoribus traditam obtinere curemus. » – Item ep. 75 ad Firmilian. : « Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est ... et episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt. » Quod autem in potestate jurisdictionis existimet eos successisse, passim apparet, v. g. ubi in unitate Episcopatus gubernantis fundat unitatem totius societatis Ecclesiæ, cf. supra p. 438.

S. Pacianus (supra p. 138) : « Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum, ad Episcopos inde (scilicet ab Apostolis) descendit : et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi (quod dicit et jurisdictionem) ... Deus illud ut ... Apostolorum cathedram tenentibus non negabit. »

S. Hieronymus, epist. 41 ad Marcellam: „Apud nos Apostolorum tenerent locum Episcopi." – Epist. 146 ad Evangelum: „Omnes (Episcopi) Apostolorum successores sunt."

S. Augustinus, enarr. in Ps. 44, explicans v. 17: „Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram", docet, Episcopos pro Apostolis (seu, loco Apostolorum) datos esse, patres et ipsos ac principes nominatos. Ait: „Patres missi sunt Apostoli. Pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, et ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, etc."

3.) Ex definitionibus Conciliorum.

Trid. sess. 23. c. 4: „S. Synodus declarat... Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto, regere Ecclesiam Dei."

Vatican., „Pastor aeternus" cap. 3 „... Ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu S. in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt...."

Probatur 2: pars.

I In Scripturis N. T.,

1°) [negative:] nullus praeter duodecim Apostolos memoratur pastor (scilicet potestatem jurisdictionis habens, seu regens, cf supra p. 57), qui dicatur habere potestatem in universam Ecclesiam vel sollicitudinem omnium Ecclesiarum (II Cor. XI, 28)

2°) [positive:] Cum generatim Apostoli nullam pro se ferant determinationem ad peculiarem locum, e contra alii quilibet Pastores (proinde etiam Episcopi) semper

exhibentur cum relatione ad gregem aliquem particularem et restrictum, etiam tempore Apostolorum:

a) Act. XIV, 23, Paulus et Barnabas, in prima sua missione per Asiam, "constituerunt illis per singulas Ecclesias presbyteros."

b) Tit. I, 5 "Reliqui te Cretæ (in determinato scilicet loco), ut constituas per (singulas) civitates (κατὰ πόλιν) presbyteros..., si quis sine crimine est, etc.... Oportet enim Episcopum sine crimine esse", etc. — (Ubi apparet illos presbyteros" idem hic significare ac Episcopos, cf. thes. VI).

c) I Petr. V. 2: "Seniores,... pascite qui in vobis est gregem Dei." — Ubi "grex Dei" pascendus restringitur ad eum gregem "qui in vobis est", τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον. — (Phillips, du droit eccl. t. 1, § XXIII: "La leçon arabe porte: Qui inter vos est; l'éthiopienne: qui est apud vos; le texte syriaque: qui traditus est vobis.").

d) Est locus parallelus, Act. XX, 28: "Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei."

e) Pariter pastores illi, qui vocantur "angeli Ecclesiarum", Apoc. I, 20, et segg. exhibentur singuli cum titulo alicujus particularis Ecclesiæ: "Angelus Ecclesiæ Ephesi, Smyrnæ,... Pergami" etc.... quam solam habent regendam, cujus solus reddendam habent rationem, nam unicuique eorum attribuuntur tum bona tum mala opera quæ patrantur in Ecclesia propria, eaque sola.

II Ex Patribus:

S. Clemens Romanus (supra p. 19): "Apostoli.... per regiones et urbes primitias earum (scil. viros ex primis ibi neophytis, sufficienter probatos) in episcopos... constituerunt."

S. Irenæus qui cum S. Polycarpo conversatus erat, testatur (l. 3, c. 3, n. 4) eum fuisse ab Apostolis constitutum episcopum in Ecclesia particulari: "Et Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus,... sed etiam ab Apostolis in Asiâ, in eâ quæ est Smyrnis, Ecclesiâ, constitutus Episcopus, quem et nos vidimus", etc. — Et ait generatim, l. 5, c. 20 n. 1: "Episcopi

quibus Apostoli tradiderunt Ecclesias.»

S. Cyprianus, ep. 55 ad Cornelium c. 16: «Singulis Pastoribus portio gregis adscripta est, quam regat unusquisque et gubernet.»

S. Chrysost. ad Tit. hom. 2. n. 1, in illud Apostoli: «Reliqui te Cretæ», ait: «Neque enim volebat (Paulus) totam insulam uni committi (scil. ita, ut Titus solus in insula esset Episcopus), sed unicuique suam curam et sollicitudinem assignari.»

S. Augustinus, cùm rogaretur ut ad alias diœceses pergeret ad confutandos Donatistas, respondit (epist. ad Eusebium, 34, (alias 168): «Hoc ridiculum est dicere, quasi ad me pertineat cura propria, nisi Hipponensis Ecclesiæ... In aliis enim civitatibus, tantùm agimus quod ad Ecclesiam pertinet, quantùm vel nos permittunt vel nobis imponunt earumdem civitatum Episcopi, fratres et consacerdotes nostri.» Tantum-quantum ...: scil. ex mera delegatione alterius, non propria potestate.

S. Bernardus (supra p. 529): «Habent illi (Episcopi) sibi assignatos greges, singuli singulos.»

III. Ex definitionibus, et regulis ecclesiasticis severe prohibentibus ne Episcopi extra propriam diœcesim in res ecclesiasticas se ingerant, et supponentibus limitationem jurisdictionis.

In 28° ex iis antiquissimis canonibus, qui dicuntur Apostolorum, sic decernitur: «Episcopus non audeat extra fines suos ordinationes facere, in civitatibus aut pagis sibi non subjectis. Quòd si convictus fuerit hoc fecisse præter eorum sententiam qui civitates illas et pagos obtinent, deponatur et ipse, et ii quos ordinavit.»

Ad illas antiquissimas regulas sæpè alludunt Patres. — Jam S. Ignatius M., ad Polycarpum rem innuit, commendans Polycarpo, ut Antiochiam mittat virum aliquem probum et prudentem, qui curam suscipiat Ecclesiæ: Polycarpus enim

nullam habuisset in christianos Antiochenos auctoritatem, nisi delegatam ab Ignatio, Antiochiæ episcopo. — S. Chrysostomus (supra p. 100) invocat regulas contra S. Stephanium, qui in locis Chrysostomo subjectis, ordinationes fecerat missasque celebraverat sine licentiâ ipsius.

Multa similia documenta habes apud Bolgeni, l'Episcopato, t 1, c. 5; — Zaccaria, Antifebronius, t. 2. diss. 2. c 7.

Concilium Vaticanum (supra p. 555) sic docet: «Episcopi ... assignatos sibi greges, singuli singulos pascunt et regunt.»

Jam facultas ipsa theologica Parisiensis (Sorbonne), anno 1617, hanc censuram inflixerat propositioni 14ª desumptæ ex libro Marci-Ant. de Dominis: «Sicut Apostoli simul et in solidum aristocraticè curam gerebant Ecclesiæ cum potestate æquali et universali, ita Episcopi omnes simul et in solidum eandem regunt Ecclesiam, singuli cum plena potestate. — Hæc prop. est hæretica et schismatica quoad ultima verba «singuli cum plenâ potestate.» — Et Prop. 16.: «In potestate universali succedunt Episcopi non modò universi, sed etiam singuli. — Hæc prop. hæretica est et schismatica.» (Du Plessis, Coll. Jud. t 2. p. 2).

IV. — Ratione theologica.

Christus, sapiens architectus, unitatem Ecclesiæ volens, (ut scimus ex Script. et Trad.), non potuit id statuere, quod Ecclesiam maxima confusione et perturbatione impleret. Atqui, si quilibet Episcopus jurisdictionem universalem haberet, oriretur perturbatissima confusio. Ergo ipse Christus restrictam Episcoporum jurisdictionem (non vero universalem) voluit necessariò.

Neque est paritas cum duodecim Apostolis, qui cùm essent et longè inferiores numero quam sunt Episcopi, et plerumque, dispersione suâ, remotissimi

ad invicem, præsertim et sancti omnes specialibusque gratiis adjuti, sine incommodo potuerunt singuli habere jurisdictionem in omni loco, quod quidem privilegium fundatoribus Ecclesiarum maxime congruebat.

Nota. Non negamus, jure suo Episcopum in concilio œcumenico participare regimini universalis Ecclesiæ: sed hoc fit extraordinariè, cum rara sint illa Concilia: in circumstantiis igitur ordinariis, quas solas in hac thesi spectamus, Episcopus non regit nisi particularem gregem. Et sumimus nunc Episcopum absolutè in se, non vero collegialiter.

Probatur 3ª pars.

Duplex modus est quo Episcopus dici potest strictissimo sensu "Apostolis succedere" in potestate jurisdictionis. 1°) si tota plenitudo hujus potestatis, quam habebat Apostolus, transit ad Episcopum ei substitutum; — 2°) si, distinctione facta in eodem Apostolo inter jurisdictionem Apostolatûs et jurisdictionem Episcopatûs (vel inter jurisdictionem ejus qua se extendentem positive ad omnia loca, et jurisdictionem ejus quâ restrictam ad aliquem locum specialiter curandum), saltem hæc minor jurisdictionis species vere transit ex aliquo Apostolo, tanquam primo in aliqua sede Episcopali, ad Episcopum qui eamdem sedem obtinet.

Atqui neutro modo Episcopus, qualem habemus de facto, dici potest Apostolo succedere, nisi solus Episcopus Romanus, qui ita succedit Petro.

Ergò.

Probo Min. quoad 1ᵐ. Apostolus unusquisque habebat jurisdictionem universalem quoad loca (cf. supra p. 268), et hæc est sententia «certa et communis» (Suarez de Fide disp. 10. s. 1. n. 1). — E contra Episcopus unusquisque non habet nisi jurisdictionem restrictam ad particularem locum, ex parte precedente thesis

(imò aliquando, per accidens, nullam habet propriam jurisdictionem, sed solam potestatem ordinis, cf. supra p. 87). — Ergo non transit ad Episcopum tota plenitudo potestatis jurisdictionis, quæ erat in Apostolo. — Solus episcopus Romanus habet, ex primatu, totam potestatem jurisdictionis quæ erat in Petro Apostolo.

Probo Min. quoad 2^m^. Solus ex Apostolis Petrus formaliter et in sensu proprio Sedem episcopalem aliquam certo habuit, nempe Romanam (cf. supra p. 462): et propter hoc etiam, episcopus Romanus stricte succedit Petro, successione non interrupta. — Alius quidem Apostolus, Jacobus Minor, habuit sedem Hierosolymitanam, sed probabiliùs tantum: neque enim desunt ex Patribus, qui Jacobum, primum Episcopum Hierosolymitanum, tertium habeant diversum a duobus Jacobis Apostolis Majore et Minore. Deinde hodiernus Patriarcha Hierosolymitanus catholicus nequit dici strictissime succedere Jacobo Apostolo, quia diù interrupta est in ea diœcesi (per schisma) propriorum Episcoporum successio (ut notat Bouix de Episc. p. 1. s. 1. c. 5. prop. 5): idem dic de Patriarcha catholico Antiocheno (vel potius de Patriarchis Antiochenis, nam plures sunt in variis ritibus) quatenus Petro ut episcopo Antiocheno diceretur succedere. Episcopi autem schismatici illarum sedium, cùm nullam retineant jurisdictionem sed sint pseudoepiscopi (cf. supra p. 84, seqq.), nullatenus possunt dici succedere Apostolis in potestate jurisdictionis. — Alii autem Apostoli, præter Petrum et Jacobum Minorem, nullam habuerunt peculiarem sedem Episcopalem: ergò non eis succedunt strictissimè Episcopi etiam ii, quorum Ecclesias illi Apostoli in suis peregrinationibus fundaverunt, certò vel probabiliter: nam aliud est fundare aliquam Ecclesiam, aliud, ejus sedem episcopalem formaliter assumere (cf. supra p. 468). Denique plurimi sunt Episcopi, qui non

occupant sedes ab Apostolis fundatas, sed tardius institutas.

Recte Philipps, du droit ecc. t. 1. sect 23: « Les évêques sont les successeurs des apôtres; mais qui est le successeur de St André ou de S. Jean? Qui a succédé à S. Philippe ou a S. Jude? Je vois le siège de Pierre et le successeur du prince des apôtres qui y est assis; est-il entouré de 12 sièges apostoliques? A l'exception de Pierre et de Jacques le Mineur, quel est l'apôtre qui eut même occupé régulièrement un siège épiscopal particulier? Où sont les séries non interrompues d'évêques, qui dans les divers évêchés, remontent jusqu'aux apôtres? Dira-t-on que tous les évêques institués par S. André sont ses successeurs? Et de qui les évêques ordonnés par Pierre sont-ils les successeurs? Seraient-ils tous ses successeurs au même titre que l'évêque de Rome? Et de qui alors sont les successeurs les pasteurs qui ne sont pas immédiatement institués par les Apôtres, mais que d'autres évêques ont ordonnés pour des dioceses qu'il s'agissait de fonder? » — Cf. Bolgeni, l'Episcopato l. 1. c. 5; — Coiffeteau, Sacra monarchia ecc. p. 335, seqq; — Bouix l. cit.

Ergo « successio Apostolica » in Episcopis non intelligenda est strictissime sicut intelligitur « successio Petri » in Romano Pontifice: sed potius a) quatenus Episcopus habet aequalem potestatem ordinis ei quam habuerunt Apostoli (Cf. thes. VII), et quoad iurisdictionem (et magisterium) habet potestatem non aequalem sed tamen similem. Nam idem est objectum et finis potestatis, etc. Et « sicut Apostoli, iurisdictionis sibi a Christo traditae, primi fuerunt post Petrum, et reliquis discipulis ac fidelibus

superiores ; ita Episcopi, jurisdictione in dioeceses ipsorum cura commissas, superiores sunt presbyteris et reliquis clericis ac laicis, et Ecclesiæ principes merito vocantur ; » (Bouix l. cit) et præsertim b) quatenus, spectando eos collectivè, Collegium Episcoporum simul cum Romano Pontifice sumptum eandem habet supremam jurisdictionem in universam Ecclesiam (exercendam aliquando in Conciliis oecumenicis), quam habebat Collegium Apostolorum sumptum cum suo capite Petro (Cf. supra p. 273) _ « Il n'y a que l'évêque de Rome, qui soit, rigoureusement parlant, le successeur d'un Apôtre ... Ce n'est que dans leur ensemble, ce n'est que [conjugué] formant un seul et même corps, que les autres évêques sont les successeurs des Apôtres ... Le Collège des Apôtres vit et subsiste dans dans le Collège des Evêques ... Bien plus, l'épiscopat n'est précisément l'épiscopat que parcequ'il renferme le successeur de Pierre, le chef de toute l'Eglise ; il reste tel, lors même que tel ou tel successeur particulier des apôtres s'en sépare ; et, si grand qu'en puisse être le nombre, les évêques qui se séparent du successeur de Pierre, se séparent, par cela seul, de l'épiscopat véritable, du corps sacré dont les membres puisent la vie dans leur union avec le Chef ... Car c'est avec Pierre et par lui, que l'épiscopat gouverne le royaume de J-C. ; avec Pierre et par lui, qu'il annonce au genre humain la doctrine infaillible ... J-C. avait dit aux Apôtres : « Allez et enseignez tous les peuples » : la même mission a passé à l'épiscopat, mais non à chacun de ses membres" (seorsim sumpto). Phillips l. cit _ Quare S. Cælestinus Papa, ep. 18 ad Conc. Ephesinum, explicans illud : « Euntes docete omnes gentes », advertit Christum hoc mandavisse « omnibus in commune », et addit : « Subeamus omnes

eorum labores, quibus successimus in honore. Agendum igitur nunc est labore communi, ut credita et per apostolicam successionem nunc usque detenta servemus." — Proprie dicitur, Corpus Episcopale succedere Apostolico Collegio: minus proprie Episcopum succedere Apostolo. Cf. Bolgeni, l'Episcopato, n. 95)

Corollarium I Ad successionem apostolicam Episcoporum (utpote minus strictam, quam Romani Pontificis) non requiritur ea conditio successionis, quæ requiritur in Romano Pontifice (et solet vocari « factum Petri »); scil. non requiritur Sedem episcopalem primitus assumptam fuisse ab aliquo Apostolo, qui propriam suam jurisdictionem tali sedi stabiliter conjunxerit: sed sufficit aliud factum recentius, quod scilicet Sedes erecta sit a legitima auctoritate ecclesiastica, et cum Sede Romana communionem habeat: et sic nova illa sedes est sufficienter « apostolica », et qui in illa legitime eligitur secundum regulas ecclesiasticas est sufficienter « successor Apostolorum »

Corollarium II. Ergo Sedes Romana est ipsa « apostolica » sensu formali strictiori, quatenus primitus habita est ab apostolo Petro, atque etiam sensu causali, quatenus potest alias facere apostolicas (tum communione sua, tum etiam quia potest novas instituere sedes, ut videbimus in thesi sequente). Hinc explicatur illa antonomastica appellatio qua ipsa dici solet quasi proprio et exclusivo nomine « Apostolica Sedes »

Corollarium III. Ergo amplitudo illa jurisdictionis, quam habebat unusquisque Apostolus etiam spectatus singulatim et extra Collegium apostolicum collective sumptum, erat potestas

extraordinaria non ordinaria : adhibendo illas voces non in illis significationibus quas explicavimus in thesi praeced. (supra p. 522), sed sensu speciali explicato supra p. 381, 382; scilicet illa amplitudo in singulis (sicut et alia charismata apostolatûs) non debebat ad aliquos successores transire — Et haec est sententia modusque loquendi communis Theologorum, v.g. Cajetani in opusc. 1 & auctorit. Papae et Concil. c. 3, Suarezii l. 3 Defensionis fidei. c. 11. n. 12, et l. 4 de Legibus c. 3. n. 8, Petavii l. 1. de eccl. hier. c. 5. n. 8, Bellarmini l. 1. de Rom. Pont. c. 11 et 12, et l. 4. c. 25. — Eo modo loquendi utitur ipse Pius VI in resp. supernunciaturis Apostolicis c. 3, s. 1. p. 300 : « Dogma catholicum est, Apostolos, tametsi extraordinaria praeditos potestate, quae data personis cum ipsis personis interiit, fuisse Petro subjectos, quem solum Apostolis praesse Christus jussit; et subesse plenitudini potestatis Rom. Pontificis (quae veluti ordinaria in Petro, ita in ejus successoribus ordinaria est) omnes Episcopos qui extraordinaria potestate Apostolorum destituuntur.

Hinc etiam apparet cur extraordinariam illam potestatem Theologi referant, ad Apostolatum formaliter ut « Apostolatum » sub qua formalitate, Apostoli distinguuntur a « Pastoribus » (Ephes. IV: 11). Nam ut ait Cajetanus, l. cit. Apostoli « facti sunt velut legati Christi, juxta illud Pauli II ad Cor. V : Legatione pro Christo fungimur, et ad Eph. c. ult: Legatione fungor in catena. Et hoc ipsum Apostoli nomen importat, a missione sumptum. Unde ait Stapleton (Controv. 2. l. 6. c. 7) : « Ipsius Apostolatûs (reduplicative ut sic) nulla successio, finitur enim legatio cum legato, nec ad ipsius successores transit. At Petrus accepit hanc potestatem (universalem) non ut Apostolus, non ut missus extra ordinem, sed ut Pastor Ecclesiae ordinarius per suos Successores perpetuo duraturus » (Cf. thes. XIII). — « Pastor » ordinarium officium

sonat; cujus est habere successorem, et propterea Ecclesia non habet "Apostolos," qui successerint in Apostolatu Christi Apostolis, sed habet "episcopos" et "pastores."

Thesis XXI

Ad Romanum Pontificem jure divino pertinet influere in singulorum Episcoporum institutionem, seu jurisdictionis collationem, quae sine eo non possit esse valida, — 2) pariter in eorum depositionem; — 3) et multipliciter ipse potest restringere jurisdictionem episcoporum; — 4) qui tamen non sunt mere ejus vicarii.

St. Q. — Pergimus in explicandis relationibus Papae ad episcopos, et devenimus ad relationem causalitatis quam habet ad eos creandos.

Juxta hodiernam disciplinam, paucis exceptis locis, non habetur, sicut olim, electio Episcopi a clero regionis. A Tot enim abusus obrepserunt praesertim ex aemulatione et turbis eligentium et eligendorum (ait Phil. de Angelis; Praelect. Juris canonici), ut jam ab initio saeculi XIV reservationes favore Sedis Apostolicae factae sint, dempto Capitulis jure eligendi. Caput reservatio sub Benedicto XI anno 1304 reservante sibi electiones quatuor majorum Patriarcharum.... Demum ab aliis successoribus Pontificibus reservatae sunt omnes episcopales et superiores Sedes quomodocumque vacaturae... Ab eo tempore in Occidente (salva aliqua rarissima exceptione) modus electionis quoad Episcopatus de regula generali desiit. Regula autem haec omnimodae reservationis seu concessionis Episcopatuum per liberam dispositionem Sedis Apostolicae non diu mansit; namque exigen-

tibus temporum circumstantiis, jam a saeculo XV factum est, ut istae praevisiones fierent praevia praesentatione principum saecularium catholicorum, et ex eo tempore incoepit exerceri quod dicitur jus principum. Hoc quidem jus ex concessione Ecclesiae seu Apostolicae Sedis omnino repetendum est, ut nullo modo eorum jus nativum habeatur; cum ex historia hucusque expositâ demonstretur, non minus ac relatis theologicis et canonicis principiis, fuisse tantummodo ex Pontificis concessione." Deinde egregius Canonista tradit praxim hodiernam: "Si loquimur de Ecclesia occidentali, pro hac quatuor sunt modi providendi episcopatibus, scil. 1°) Electio seu nominatio libera Summi Pontificis, v.g. in Italia, post infractionem Concordatorum; in Mexico; quoad omnes „Vicarios Apostolicos". 2°) Commendatio plurium personarum facta ab Episcopis provinciae vel a clero Ecclesiae viduatae (v.g. in Statibus Unitis Americae, in Canada, Anglia, Hibernia); atque inter commendatos Pontifex de consueto eligit Episcopum. Dicitur autem haec simplex commendatio, quia Apost.ca Sedes pro opportunitate designare seu eligere valet etiam alterum inter commendatos non relatum. 3°) Praesentatio ex parte principum. In Concordatis initis cum pluribus principibus catholicis (v.g. Austriâ, Bavariâ, Galliâ, Hispaniâ, Lusitaniâ), Pontifex concessit primario Administratori Status civilis, ut nominet ecclesiasticum ad sedem episcopalem, et hoc jus correspondet praesentationi ... 4°) Propriè dicta electio. Aliquando S. Sedes indulget Capitulis Ecclesiarum ut servent modum (antiquum) electionis, idque vel ex Concordatis, vel ex antiquis privilegiis." (Ita multae Sedes in Germaniâ.)

Ex illa mutatione disciplinae occasionem sumpserunt non tantum Protestantes (v.g. Chemnitz, qui ait in suis Locis theol. p. 3 „Pontificem Romanum cum suis sacrilegium in eo commisisse,

quod electionem et vocationem Ministrorum eripuerit Ecclesiæ et ad se solum suosque transtulerit.") sed etiam pseudo-catholici, ut dicerent hanc esse usurpationem Romanorum Pontificum contra jus; et institutionem Episcopi, saltem in extraordinariis circumstantiis, fieri posse absque Romano Pontifice ipsoque invito; et posse jam exerceri regimen diœceseos ab Episcopo nominato quem Papa non vult acceptare.

Ita Febronius (Cf. ejus textu apud Bouix, de Episcopo p. 2 c. 1.) — Pariter Gallicani rigidiores, ita ut ex hac erronea doctrina pluries in Gallis renovatum sit schismatis periculum, ut historicè ostendit Bouix ibid.: 1°) sæculo XV, per Pragmaticam Sanctionem Caroli VII; — 2°) sæculo XVII, sub Henrico IV, et Ludovico XIII, Papa denegante Bullas nominatis à Rege; — 3°) maximè verò sub finem sæculi XVIII (Révolut. française) quando "Civilis constitutio cleri gallicani" expresse sancivit, ut sine ullis Pontificiis Bullis, sine ullâ Sedis Apostolicæ confirmatione, instituerentur Episcopi; — 4°) tandem sub Napoleone I, qui commissionem ecclesiasticam à se institutam sic interrogavit: "Quand le Pape refuse persévéramment de accorder des Bulles aux évêques nommés par l'Empereur pour remplir les siéges vacants, quel est le moyen de leur donner l'institution canonique?" Respondit Commissio, in tali casu posse Gallicanam Ecclesiam ad "priscum jus" recurrere; posse a Concilio nationali declarari, "qu'attendu l'impossibilité de recourir à un Concile œcuménique et vu le danger imminent dont l'Eglise est menacée, l'institution donnée canoniquement par le métropolitain à l'égard de ses suffragants, ou par le plus ancien évêque de la province à l'égard du métropolitain, tiendra lieu des Bulles Pontificales" — Interim non pauci Episcopi captivo Pio VII suam ad ista extrema deveniendi mentem

significabant nisi imperatoris voluntati cederet.

Similem assertionem de usurpatione Romanorum Pontificum jactaverunt etiam in Hispania, Germania etc, regalistae qui jus Episcopos instituendi asseruerunt quasi innatum Principi civili: plures citat Roskovany de Primatu § 100 et segg. — Contra hos speciatim jam aliquid diximus ubi de electione Rom. Pontificis, supra p. 519, 520; caeterum rejicimus ad tract. de Ecclesia relationes illas inter Statum et Ecclesiam.

Adverte autem, aliam esse quaestionem certam quam nunc tractamus, de jure interventionis Romani Pontificis in Episcopi electione, aliam verò quaestionem secundariam controversiae subjectam, de modo quo intervenit Pontifex, utrum scilicet dicendus sit conferre ipse jurisdictionem, an potius dicendum sit Dem tunc, etsi intervenient Papa, sed non ut causa et origine, immediate jurisdictionem conferre: de qua 2a infra. (thesi sq.) — In hoc vituperandi videntur multi auctores, quod solam quaestionem secundariam, ob controversiae celebritatem, ex professo tractant, non autem thesim nostram praesentem nec praecedentem cum diversis suis partibus, vel simul omnia confusè miscent.

Ad hanc thesim pertinent aliquae definitiones Ecclesiae. — Trident. sess. 23 can. 7: „Si quis dixerit ... eos (episcopos) qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse ... a. s." Et can. 8: „Si quis dixerit episcopos, qui auctoritate Rom. Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, ... a. s." — Syllabus Pii IX continet hanc propositionem 50am: „Laica auctoritas habet per se jus praesentandi episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam à S. Sede

institutionem et apostolicas litteras accipiant." Cf. 51am

Probatur 1: pars.

I. Ut corollarium ex procedentibus thesibus.

In monarchia, electio seu institutio inferiorum potestatum est jus ipsius monarchæ, nec tenetur eas ab aliis sibi impositas accipere, et validas agnoscere. — Atqui Romanus Pontifex, ex suo primatu jurisdictionis, et quidem ordinariæ et immediatæ in omnes et singulos fideles et pastores (cf. Th. XIX), habet jure divino rationem veri monarchæ (cf. definitionem ipsius Febronii supra p. 442, explicantis quibus juribus constet regimen monarchicum.) — Ergo.

Nec refert a) quod regimen Ecclesiæ dici possit "aristocratia temperatum". Nam eatenus vocari potest hoc nomine, quatenus debeant esse in Ecclesia Episcopi, nec possit episcopatum supprimere Romanus Pontifex, aut loco pastorum ordinariorum substituere ubique nutus suos legatos seu vicarios (cf. 4am partem thesis infra, cum Coroll. III). Sed, licet ita temperatum concedatur, regimen Ecclesiæ nihilominus remanet vera monarchia, in qua repugnat ut inferiores duces supremo Gubernatori per alios inferiores imponantur.

Nec refert b) quod Apostoli, licet subditi illius monarchiæ, non a Petro jurisdictionem acceperint (ex communiore hodie sententia). Nam 1) non per alios inferiores fuerunt illi impositi Petro, sed per Christum ipsum et solum, cujus Petrus non est nisi vicarius. 2) Ut proeclare explicat Cajetanus loc. cit., "sicut in natura dupliciter aliqua fiunt, scil. naturaliter, ut cum homo generat hominem et infirmus ex virtute naturæ sanatur, et supernaturaliter, sicut cum homo creatus est a Deo et infirmus miraculo sanatur; ita ... utroque modo J. Christus in primitiva Ecclesia usus est. Nam, in institutione ecclesiastici regiminis ordinario jure perpetuo servandi, Monarchiam seu unius principatum instituit, et posuit Petrum caput unum totius corporis Ecclesiæ, a quo in omnes potestas jurisdictionis ... ordinarie derivaretur: in erogando vero ex speciali gratia, ... præcavit Petrum

dando (Apostolis) auctoritatem gubernandi, ordinandi, judicandique Ecclesiam; ... et nihil officit excellentiæ potestatis jurisdictionis Petri super omnes, quod ejus subditis Salvator, superior omnibus, dedit illam potestatem ex gratia (extraordinaria), quam (potestatem) a Petro erant per viam ordinariam accepturi ... In Petro et a Petro inchoatur omnis Ecclesiæ potestas et derivatur in totam Ecclesiam via ordinaria, et rursus aliqui Petro subditi (scil. Apostoli) plures potestates acceperunt a Christo immediate, quas a Petro accepturi erant, viâ præventionis gratuitæ ... Sunt ergo simul vera, quæ adversari sibi invicem videbantur." — Denique notandum, probabilem remanere sententiam, Apostolos ipsos mediante Petro, jurisdictionem recepisse: quam defendit v.g. Lainez, Disp. Trid., t. 1, n. 57, seqq. ut probabilem, alii quidam ut certam.

II. Idem argumentum potest alio modo evolvi, sumendo aliquem e textibus, quibus Primatûs divinam institutionem probavimus, v.g.: "Tibi dabo claves regni cœlorum", etc (sup. p. 217). Ibi Petrus (et in ejus persona Rom. Pontifex) exhibetur ita habens claves regni seu potestatem in Ecclesia, ut ipse aperiat et nemo claudere possit, ipse claudat et nemo possit aperire, nisi ipse permittat et claves communicet. Atqui hoc falsum esset si duces subalterni, in regno Ecclesiæ, valide ingredi possent in jurisdictionem seu in munus claudendi et aperiendi, ligandi et solvendi, sine ullo influxu Romani Pontificis, sine ulla communicatione clavium ab ipso. Ergo —

III. "Idem docemur ex Joan. xxi. Ejus est enim constituere pastores subalternos, qui sit supremus universalis Pastor; imo qui sic sit pastor, ut ad ipsum immediate spectet cura totius ovilis: ejus etiam est constituere pastores subalternos, qui rationem reddere debeat omnium et singularium ovium, et cui omnes et singulæ oves sint a Christo traditæ. — Sed hujusmodi est Petrus in eoque Rom. Pontifex. — Ergo." Curcia de Rom. Pont. t. 3, sect. 9.

IV. Traditio asserit, tum dictis tum factis, verum aliquem et ad validitatem necessarium influxum Petri et successorum ejus in communicanda Ecclesiastica potestate

inferioribus quibuscumque. (Praescindimus a modo illius influxus, de quo in thesi seq.)

1° Dictis:

S. Cyprianus, v.g. lib. de Unit. Eccl. n 4 et 5 (sup. p. 437, 438) dicit, quòd Episcopi sunt quasi « rami arboris multi » sed procedentes ab una « radice », et illam « radicem » ostendit esse Petrum, nam "supra illum unum (Christus) aedificavit Ecclesiam suam". Unde et vocat Romanam Sedem (sup. p. 392) « Petri cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis (episcopalis) exorta est. » cf. ejus alios textus p. 358. — Et lib. de exhort. martyr. ad Fortun., c. 11, comparat Ecclesiam romanam matri Machabaeorum; concluditque eam esse, quae « Ecclesiae septem (i.e. universitatem ecclesiarum) postmodum peperit ipsa prima et una Domini voce fundata. ». Et (ep. 4 ad S. Cornelium, c. 2, Migne III 710) vocat eam « Ecclesiae catholicae matricem et radicem. »

S. Optatus (sup. p. 253): « Petrus ... claves regni coelorum communicandas caeteris solus accepit. » Indefit, teste eodem (sup. p. 85) ut haeretici episcopi, quibus Petrus in persona sui successoris claves non communicat (scil. nullum exercet influxum in eorum institutione et vocatione), « neque claves habeant, quas solus Petrus accepit. »

S. Gregorius Nyssenus (hom. in eos qui castigationes aegre ferunt, Migne XLVI, 311) pariter ait: « Per Petrum episcopis dedit (Christus) clavem caelestium bonorum. »

S. Chrysostomus hom. 3 in Actus, de electione Matthiae disserens, asserit Petrum (utique vi Primatûs, qui transiit ad Roman. Pontifices ut probavimus) potuisse, si voluisset, per se eligere Matthiam in Apostolum. At si hoc admittit de Apostolo, quanto magis de quocumque Episcopo! Ex verba S. D.: « Quid? an non licebit ipsi (Petro) eligere? Licebat, et quidem maxime; verum id non facit, ne cui videretur gratificari; quanquam alioqui nondum erat particeps Spiritûs. » — Ex quibus (ait Hallier de sacris ordin. p. 2, s. 5, c. 4, a. 3, n. 55) duo ista Summis Pontificibus competere colligimus, episcoporum ubique

terrarum creandorum curam, et potestatem, quâ si aliquando usi non fuerint, moderationi eorum et prudentiæ tribuendum (et sic moderationem ac prudentiam Petri in electione Matthiæ imitati sunt), utpote qui melius ac commodius per alios a se constitutos patriarchas primates, metropolitanos ordinationem ac delectum fieri posse censuerint, quam per seipsos; si quando autem uti voluerint et expedire judicaverint, nemo quærere possit quâ auctoritate id faciant, cum auctoritate Petri id facturi deprehendantur. »

S. Ambrosius cum concilio Aquileiensi (supra p. 401, 402) affirmat a Rom. Ecclesiâ « in omnes venerandæ communionis jura dimanare. » Ergo ex aliquo influxu Romani Pontificis derivantur illa jura, seu potestas ecclesiastica, in eos solos episcopos qui sunt in communione cum Rom. Pontifice, et in eos omnes.

S. Augustinus (de Utilitate credendi c. 17 n. 35): « Ecclesia (catholica) ab Apostolica Sede per successiones episcoporum .... culmen auctoritatis obtinuit. »

S. Innocentius I (supra p. 405) docet, quod ab Apostolo Petro « ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus (episcoporum) emersit »; inde deducit influxum perpetuum Apostolicæ Sedis in provincias « quamvis disjunctas remotasque », dicitque ceteras Ecclesias ab ea, « velut de natali suo fonte procedere ». Cf. S. Siricium ep. 5 ad epis. Africæ, [Migne XIII, 1155.

S. Leo Magnus (supra p. 253) serm. 4 de Natali ipsius, c. 2: « Cum multa solus Petrus acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transit ... Si quidquam ei (Petro) commune ceteris voluit (Christus) esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quod aliis non negavit. » — Et p. 359 « Ab ipso quasi quodam capite, dona sua voluit in corpus omne manare. » Et quod dicit de Petro, applicat ejus successori de quo quæstio est.

S. Gregorius Magnus l. 3. ep. 30 (Migne LXXVII 627): « Quanto apostolica Sedes, Deo auctore,

cunctis prælata constat Ecclesiis, tanto inter multiplices curas et illa nos valde sollicitat, ubi ad consecrandum antistitem nostrum expectatus arbitrium. Defuncto igitur Laurentio, Ecclesia Mediolanensis episcopo, sua nobis relatione clerus innotuit, in electione filii nostri Constantii, diaconi tui, unanimiter consensisse .... Eum a propriis episcopis, sicuti antiquitatis mos exigit, cum nostra auctoritatis assensu ... facias consecrari, quatenus hujusmodi servata consuetudine et Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, et a se concessa aliis sua jura non minuat.» Hæc Gregorius, ostendens Consecrationem episcoporum a Pontificis arbitrio et consensu et auctoritate pendere, et jura etiam electionis, quæ clerus tunc habebat, ex Apostolicæ Sedis privilegiis emanasse (Lainez, ibid. n°79)

Joannes Episc. Ravennæ (inter epist. S. Greg. Magni, ep. 57. lib. 3 indict. 11) ait d. Sede Romana: «Sedes illa, quæ universali Ecclesiæ jura sua transmittit.»

Nicolaus I, ep. 135 (Migne CXIX 1130): «Ecclesia, i.e. catholicorum collectio, quomodo sine Apostolicæ Sedis institueretur nutu, quando juxta sacra decreta nec ipsa debet absque præceptione Papæ basilica noviter constitui?» Ab ipso igitur dimanant potestas congregandi fideles, seu jurisdictio.

2°) Factis:

a) In Italiâ. — Sæculo III, S. Cornelius Papa dat ipse successores episcopis Italis qui contra regulas egerant in ordinatione Novatiani, nec suam culpam retractare voluerant: «Reliquis etiam duobus episcopis (inquit ipse in sua epist. apud Eusebium hist. eccles. l4. c. 43) successores ordinavimus eorque in loca illorum direximus.»

b) In Gallia. — S. Cyprianus (in qua habemus et Africa testimonium), epist 67 ad Stephan. (Migne III. 990) a Rom. Pontifice implorat, ut Deposito

Marciano episc. Arelatensi jubeat canonicè institui successorem : « Quapropter, inquit, facere te oportet plenissimas litteras ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos .... Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem, à te litteræ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur. »

c) In Hispaniâ. Ex eodem Cypriano habemus (supra p. 414) Basilidem episcopum hispanum ivisse Romam a Stephano Papâ postulans « reponi se in Episcopatum. »

d) In Syriâ. — Eodem sæc. III ipse imperator paganus Aurelianus non ignorat (supra p. 403, 404) eum ex duobus esse legitimum episcopum Samosatensem (cui proinde ædes ecclesiasticæ essent adjudicandæ), ad quem « Romanus episcopus scriberet », seu quem suffragio suo confirmaret.

e) Alexandriâ. Sæculo IV, S. Julius I (epist. 1. ad Eusebian n° 14), reprobata ordinatione Gregorii in episcopum Alexandrinum, generatim profitetur, juxta antiquam consuetudinem in causis episcoporum, Rom. Pontificis determinationem expectandam esse. — Cf. quæ de hoc habent Socrates et Sozomenus (supra p. 400)

f) Antiochiæ. S. Damasus confirmat Paulinum, rejecto Meletii (apud S. Basil. epist. 214 ad Terent. n° 2). — Cf. quæ habet de his S. Hieronymus supra p. 402, 403.

g) In Illyrico. Eodem sæc. IV. S. Siricius (epist. ad Anysium 4ª) cavet, ne quisquam per Illyricum creetur episcopus, nisi consentiente Anysio episc. Thessalonicensi, quem sibi in illis regionibus vicarium constituerat.

h) Constantinopoli, anno 382, cùm in episcopum electus fuisset Nectarius, Theodosius imperator legatos Romam misit ad Damasum, ad confirmationem necessariam impetrandam ut testatur Boni-

Facius I (epist ad Rufum 15 n.6): « Clementissimæ recordationis princeps Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis a latere suo Aulicis cum Episcopis, formatam hinc a Sede romana dirigi regulariter deposcit, qua ejus sacerdotium roboraret. » Ergo formatis (ut aiebant) epistolis confirmabantur a Rom. Pontifice episcopi; et hoc regulariter exigebatur ad episcopatûs robur seu validitatem: non utique ad validitatem ordinis, ergo jurisdictionis.

i) Corinthi. Idem Bonifacius I ibid n4 affirmat, Perigeni episc. Corinthi defuisse firmitatem episcopatûs ex defectu confirmationis pontificiæ: « Cui ad plenitudinem confirmationis episcopatus sui hoc solum restabat, quod nostros in honore suo necdum suscepit affatus. » De hoc Perigene scribit Socrates, hist eccles. l.7 c.36: « Perigenes Patris ordinatus fuerat episcopus. Sed quoniam ejus civitatis incolæ illum admittere recusabant, Romanæ Urbis Episcopus eum in metropolitana Sede Corinthi constitui jussit, mortuo ecclesiæ illius episcopo. Itaque Perigenes toto deinceps vitæ suæ tempore hujus ecclesiæ præfuit. »

j) Iterum Constantinopoli, sæc. V, videmus Anatolium epis. institutum seu confirmatum a S. Leone M., qui et ad Marcianum imperatorem, et ad Pulcheriam scribit de eo: « Mei favoris assensu, episcopatum tantæ urbis obtinuit » (ep. 104, 105); supra p. 432).

k) Iterum Antiochiæ Maximus electus episcopus confirmatus est ab eodem Leone, de quo expressum testimonium habemus in Actis Conc. œcum. Chalced., sub finem actionis 10ª: « Paschasinus et Lucentius reverendissimi Episcopi et Bonifacius presbyter, Vicarii Sedis apostolicæ ... dixerunt: Sanctus ac Beatiss. Papa, qui episcopatum sancti ac venerabilis Maximi episc. Antiochenæ Ecclesiæ confirmavit, justo satis judicio ejus meritum approbasse videtur. » — Eadem sessione Constantinopolitanus episcopus declarat irrita omnia acta

pseudo - synodi Ephesinæ, jam rescissa a S. Leone, exceptâ tamen electione ejusdem Maximi, quam, licet illegitime ibi factam, S. Leo sanaverat : « Definimus nihil horum valere quæ in illa quæ Synodus dicitur. confecta sunt, nisi illud circa sanctiss. Maximum magnæ Antiochenæ civitatis Episcopum: quoniam et sanctiss. Leo Romanus Archiep., in communionem eum recipiens, præesse eum Antiochiæ judicavit Ecclesiæ. » Verba plane insignia.

t) Iterum Alexandriæ Patriarcha electus erat Joannes, anno 482 : Simplicius papa, ep. 17 ad Acacium, narrat synodum Ægyptiam, numero plurimam, et clerum Alexandrinæ sedis, sibi retulisse electionem illam, et postulavisse quod solum « restare videbatur », scilicet Sedis Apostolicæ "assensum", ut electio "sumeret firmitatem", et addit: « Ecce secundum consuetudinem mihi talia disponenti, tranquillissimi Principis scripta sunt reddita, quibus memoratum tanquam perjurii reum ... sacerdotio perhiberet indignum. Illico retraxi pedem, et meam revocari super ejus confirmatione sententiam, ne quid contra tantum ac tale testimonium præproperè fecisse judicarer. »

Paulo post Greg. Magnum, sæculo VII°, S. Martinus I episc.^um Philadelphiæ constituit suum in Oriente vicarium, eique scribit (ep. V, Migne LXXXVII, 155) : « Constituas per omnem civitatem, earum quæ Sedi tum Hierosolymitanæ tum Antiochenæ subsunt, episcopos et presbyteros et diaconos : hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex Apostolica auctoritate, quæ data est nobis a Domino per Petrum sanctissimum et principem Apostolorum. »

Hæc sint satis : multa alia facta cum testimoniis vide apud Bolgeni, l'Episcopato, n. 87 segq. — ; Cercia, de Rom. Pont. s. 3, t. 10 ; — Bouix, de Episcopo, p. 2, c. 1 ; — Dom Gréa, de l'Eglise ... t. 2, c. 12.

Corollarium. Si independenter ab omni Rom. Pontificis influxu nequit novus Episcopus in antiqua Sede institui, ergo a fortiori nec nova Sedes erigi ;

quod non tantum novum Episcopum, sed etiam novam seriem Episcoporum importat.

Nota ad solvendas difficultates.

1° In creatione episcoporum possunt distingui, imo aliquando a diversis personis fieri, hæc tria: electio, ordinatio stricte dicta seu consecratio, missio (supra p. 148). — Ex his 1um et 2um non necessario debent immediate fieri a Rom. Pontifice. Imo Electio potest esse legitima, facta etiam inscio Pontifice, dum ea fiat juxta regulas ecclesiasticas vigentes pro tempore (quæ tamen ultimatim procedunt ab auctoritate Pontificum saltem antiquorum). — Ordinatio, quod majus est, erit valida etsi fiat invito Pontifice et contrà omnes regulas ecclesiasticas, modo ritus sacramentalis substantialiter servetur. (cf supra p. 83, 86) — De 3°, scilicet missione, quæ spectat ad jurisdictionem, hæc notanda. Quanquam essentialiter sistit apud solum Romanum Pontificem jus primigenium et radicale mittendi Episcopos seu eorum electionem confirmandi, eosque canonice instituendi, (ac proinde nonnisi ex ipsius concessione aut conniventiâ potuit vel potest missio seu confirmatio ab aliis tribui, quod probant nostra argumenta ex naturâ Primatus deducta): tamen ipsum factum missionis seu confirmationis non debuit essentialiter et semper procedere immediate a Rom. Pontifice. Plane potuit Pontifex committere quibusdam majoribus Episcopis, v.g. Patriarchis, ut cæteros confirmarent, (vel etiam Synodis), et sic mediate transmittere jurisdictionem, exceptis specialibus adjunctis quibus ipse, (ut semper poterat) in hoc immediate interveniebat. Ergò a) nihil probant contra nos facta quæ afferuntur, episcopi scil. ordinarie confirmati a Patriarchis vel aliis. (Adhuc quærendum superest, ait Cercia sect. 3. sect. 10)

De Ordine LXXIII-1

an jure sibi proprio ... illa vindicaverint; num vero jure a Romano Pontifice expresse aut tacite iisdem communicato. Factum enim non probat nisi factum: jus vero, cum gratiis et divine sunt, definiri debet ex altioribus causis. Jam vero nos ostendimus invictissime, jus creationis in solidum episcoporum penes Pontificem plane consistere. Ergo, quod factum est, intelligi debet praestitum ex spontanea ipsius Pontificis largitione." b) Nec contra nos est, quod jus illud confirmandi eis aliquando asseratur a Conciliis: nam "ea ipsa sanctiones canonicae suum robur habent ex Rom. Pontificis concessione. Ac certe, si (ut poterant) illis sanctionibus edendis Rom. Pontifices restitissent; vel non fuissent plane editae, vel nullum valorem obtinuissent in Ecclesia, non secus ac reliqua quae constat a Rom. Praesulibus fuisse improbata." (Sd. ibid.) — c) Et historia ipsa directe confirmat quod dicimus, quamvis perierint multa documenta quibus magis apparere potuisset, influxus Pontificis in his rebus. Nam, ex documentis supra allatis, apparet Rom. Pontificem hunc unum habuisse, ut Episcopos praecipuarum Sedium, praesertim Alexandrinum, Antiochenum, Constantinop., ipse per se confirmaret; quod facere solebat in litteris illis quae "formatae" appellabantur (per quas unus Episcopus alium Episcopum novum in suam communionem recipi testabatur, de more priorum saeculorum). Sic supra p. 575: "Formatam huic (scil. Nectario electo ad sedem constantinop.) a Sede Romana dirigi regulariter deposcit, quae ejus sacerdotium roboraret." — Hinc etiam (ut notat Corcia ibid.) revocari possunt, quae rerum canonicarum scriptores de pallio tradunt, quod missum a Rom. Pontifice fuit semper instar sigilli

et confirmationis illorum qui eligerentur, ac solemnitudinem muneris conferebat, ut et possent alios confirmare: nam dabatur illis qui aliis episcopis praessent. Unde S. Gregorius M. (l. 2 ep. 22. ad univ. Illyriae episcopos), de electo cunctis suffragiis episcopo Justiniano loquens, praedare inquit: "Juxta postulationis vestrae desiderium, praedictum Fratrem et coepiscopum nostrum, in eo in quo est sacerdotes ordine constitutus, nostro assensu et auctoritate firmamus, ac tamque nos ejus consecrationem habere, dirigentes pallium, indicamus."

Quòd si usurpationes et ordinis statuti perturbationes aliquandò factae sunt, ita ut aliquis episcopus, v.g. Constantinopolitanus, novum jus sibi arrogaret, saltem in specialibus adjunctis, instituendi episcopos antea directa dependentes a Rom. Pontifice, recordandum est a) facta illegitima apud homines non infrequentia esse, nec quidquam probare contra jus, praesertim quando reclamationes contra ista fiunt, ut saepe factae sunt; — b) saepe potuisse factis hujusmodi valorem accedere ex consensu S. Pontificis, sive expresso sive saltem tacito (quandò haec fieri sciebat, et nihil omnino nunquam se invitum ostendebat, et communionem cum haec facientes non abrumpebat). Cf de his omnibus Hallier, l. cit n. XVIII, sqq. (Migne. Theol. cursus completus, t. 24, p. 1178, sqq.) — Breviter Suarez de legibus l. 4 c. 4. n. 25 — Et Sainez de orig. jurisd. episc. n. 178, ait: "Etiam concludo, ex se jurisdictionem non potest dare, neque capitulum vel inferiores, nisi accedat consensus Pontificis expressus vel tacitus. Quum etiam populus vel principes auctoritatem vel vim interponunt, licet consecratus ordines suscipiat, non tamen jurisdictionem suscipit, nisi accedat praedictus consensus: quem verisimile est accedere, quia

quia Pontifices vel ob necessitatem et aedificationem, vel ut vitentur scandala, consentire solent, et demittere etiam, cum opus est, suam auctoritatem ad Dei gloriam et salutem animarum.// Sed si nolunt et reclamant, certe nulla datur jurisdictio.

Episcopos vero inferiores omnes in remotis regionibus immediate confirmare erat practice impossibile Pontifici, attenta communicationum difficultate. Quare Pontifex omnino coactus est mediatè hoc facere: committebat nempe rem Patriarchis in Oriente, ut patet v.g. ex epist. 24ª Innocentii I, ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum (Migne XX 548): // Itaque arbitramur, frater carissime, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et caeteros non sine permissu conscientiaque tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, si aestimas, ad manûs impositionem tuae gratiae statuas pervenire.// Quas dispositiones sic magis explicat Bouix de Episc., p. 2. c. 1: // Metropolitanos, postquam a clero et populo viduatae metropoleos fuerant electi, ordinabat Patriarcha auctoritate singulari (scil. ordinatio Metropolitanorum ipsi semper immediate facienda reservabatur). Dum autem eos ordinabat Patriarcha, hoc ipso electionem approbabat et confirmabat. Quoad caeteros Episcopos, passim caeperant Metropolitani patriarchatui Antiocheno subjecti, ut indicant Innocentii verba, eos ordinare absque obtento Patriarchae assensu. Id autem ita corrigi vult Pontifex, ut necessarius sit Patriarchae permissus. Unde nisi Patriarcha ordinationem permitteret, irrita remanebat electio, nec poterat fieri consecratio.

Obtenta autem Patriarchæ licentia, quæ vera erat confirmatio, poterat fieri a Metropolitanis ordinatio, i.e. consecratio, nisi eam etiam sibi reservare mallet patriarcha quoad viciniores. » Quamvis autem potuerit Rom. Pontifex quibuslibet committere confirmationem Episcoporum faciendam, tamen hoc potius congruebat Patriarchis stricte dictis, scil. episcopo Alexandrino et Antiocheno, quia earum sedes erant derivatæ à Petro (cf. S. Greg. M. supra p. 341) et sic congruebat magis ut admitterentur in participationem sollicitudinis Pontificiæ: quare ad hoc appellat Innocentius I. in epist. modo citata, ubi vult fieri confirmationem a Patriarcha Antiocheno: « Advertimus non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem (Antiochenæ Ecclesiæ) attributum, quam quod prima primi Apostoli sedes esse monstretur, ... quæque Urbis Romæ Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gauderet. » Alexandrina pariter sedes, eo quod fuit instituta et occupata a Marco, discipulo Petri, et ipsius Petri nomine, propterea à Petro specialiter derivata censebatur, teste Traditione antiquâ. (Cf. Muzzarelli opusc. 25, Origine de la juridd. des Evêques, réponse à la 6e preuve des adversaires). — Satis igitur fuisset jus illis Patriarchis à Petro datum, a successoribus Petri tacitè prorogatum: quanto magis thesis nostra eluceret, si præterea expressa habemus documenta Pontificum confirmantia illas Patriarcharum prærogativas? — In Occidente, ubi non erat alius Patriarcha nisi ipse Rom. Pontifex, quodnam jus, diversis temporibus, vigueriit ex ipsius regulatione, quoad confirmandos Episcopos, Cf. apud Bouix l. cit.

2°) Posito hoc facto quod in hodierna disciplina Rom. Pontifex sibi reservaverit, saltem in Occidente, immediatam confirmationem Episcoporum etiam inferiorum (quoad Orientales cf. Ballerini "Re versurus" Pii IX), nullus casus necessitatis, nulla ratio

boni publici, potest facere, ut contra illas dispositiones Pontificis, ipsoque invito, jurisdictio ab aliquo habeatur, Cf. Bolgeni, l'Episcopato parte 2ª, ubi refellit abbatem Testari dicentem, in regno Neapolitano, propter incommoda diuturna vacationis Sedium et necessitatem boni publici, posse exerceri jurisdictionem episcopalem ab iis quos Rex nominaverat, quibus Pontifex Confirmationem denegabat. Nunquam enim, etiam in casu necessitatis, habetur jurisdictio nisi ex Concessione saltem tacita vel generali supremi Capitis; ergo nunquam contra ejus voluntatem. Et jam in primis Ecclesiæ seculis, tanquam pseudo-episcopi habebantur, et carentes omni jurisdictione, quicumque instituti essent contra regulas ecclesiasticas tunc vigentes, Cf. Nicenum Iᵐ et Constantinop. Iᵐ supra p. 85, et S. Leonem M. p. 86. Atqui ex regulis ecclesiasticis nunc vigentibus, requiritur et expectari debet immediata confirmatio a Pontifice; imo ejus denegatio nunquam stetit cum jurisdictione valida. Ratio autem publici incommodi data non concessa (nam majus incommodum esset, aperire viam schismati) non potest supplere ea quæ ad validitatem actuum publicorum positive requiruntur. Sane v. g. Sacerdos qui non recepit positive facultates ad absolvendum, multò magis cui fuerint denegatæ, non potest absolvere eo prætextu, quod in aliqua regione desunt sacerdotes, unde magnum est incommodum.

2ª pars

St. qu. Post Calvinum aliosque Protestantes, Jansenistæ et multi Gallicani, hanc theoriam finxerunt: Ante Sardicense Concilium, erat Synodorum provincialium pronunciare definitivam sententiam depositionis contra Episcopos, plane independenter a Rom. Pontifice, qui tunc

nullum jus haberet in his rebus. Ergo hodiernum jus Pontificis ut judicet et deponat Episcopos fuit tardius invectum, vel usurpatione Pontificis, vel concessione Ecclesiæ aut Imperatorum.

Sententiam nostram, quæ est communis Theologorum Catholicorum, sic exprimebat Innocentius III anno 1198 (Cap. Inter, 2 de translatione Episcopi): « Cum per translationem (a Sede in Sedem), depositionem aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis ... Episcopus ab ecclesia (sua) removetur, ... tria hæc non tam constitutione canonica, quam institutione divina (proinde ab initio et omni tempore Ecclesiæ) soli sunt Romano Pontifici reservata. »

Probatur

Ad Rom. Pontificem jure divino pertinet, ac proinde semper pertinuit, deponere Episcopos, si hoc jus fluit ex natura Primatûs, qualem probavimus in proced. thesibus a Deo institutum.

Atqui hoc fluit ex natura Primatûs etc. — Ergo

Probo Min. 1°) Si Concilia provincialia vel nationalia, ut volunt adversarii, potuissent unquam per se et independenter ab omni Pontificis assensu Episcopum definitive deponere, essent in Ecclesia plura tribunalia suprema, ab invicem plane independentia, ac proinde nulla monarchia in Ecclesia, nulla plenitudo potestatis in Rom. Pontifice contra id quod Scriptura, Patres et Concilia asserunt (Cf. supra p. 548, 549).

2°) Rit ait ipse gallicanus Natalis Alexander (dissert. 28 in sæc. IV), « hoc ipso quod Romanus Pontifex est jure divino omnium Episcoporum primus, et cæteris jurisdictione superior, Ecclesiæ Caput, Vicarius Christi, Consequens est ut ad ipsum Episcopi cum injuriam patiuntur, (vel pati existimant) « appellare possint. Ipsa enim juris naturalis æquitas ab inferiorum judicum sententiis ad supremum judicem appellari

posse dictat et persuadet. Cum itaque Rom. Pontifex ratione sui primatus sit superior Episcopis omnibus divisim sumptis et Conciliis etiam provincialibus et nationalibus" (omittitur hic quaestio de Concilio œcumenico, quae ad rem praesentem non facit) "ad ipsum appellare posse Episcopos, Metropolitanorum, Primatum, Patriarcharum, aut Conciliorum sive provincialium sive nationalium sive patriarchalium judiciis depositos, necessario sequitur." — Sed, si appellari potest, judicium, à quo appellatur, non est definitivum, nec proinde habetur vera depositio, nisi Rom. Pontifice confirmante judicium vel expresse vel saltem tacite: et sic ultimatim omnis depositio Episcopi fundatur in judicio Rom. Pontificis ab eoque dependet.

II. Historice falsum est quod dixerunt adversarii, anteriores non esse Concilio Sardicensi appellationes Episcoporum depositorum a Synodis ad Rom. Pontificem, hujusque in Episcopis deponendis interventum supremum. — Sufficiat afferre a) epistolam Cypriani poscentis Stephani Papae interventum ad depositionem Marciani Arelatensis (supra p. 573); — b) appellationem Basilidis Episcopi hispani depositi eodem saec. III, teste eodem Cypriano (supra p. 414); — c) appellationem Privati (ibid.); — d) Julium Papam paulo ante Concilium Sardicense, invocantem antiquam ecclesiasticam regulam quod "pro irritis habeantur quae praeter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta" in Synodis, agebatur autem de damnatione Episcopi sc. S. Athanasii: Cf. testimonium Socratis et Sozomeni supra p. 400; et testim. Theodoreti (supra p. 415) scribentis: "Julius ecclesiasticam sequens regulam, et ipsos (episcopos qui damnaverant Athanasium) Romam venire jussit, et divino Athanasio ad judicium diem dixit", etc. — Nec quidquam est in Conc. Sardicensi, quod innuat

constitui jus novum,

, sed tantum agnoscitur potestas quæ erat in essentia primatus: Cf supra p. 398. Plura apud Christianum Lupum, de Romanis appellationibus; et Bouix, Tract. de Concilio provinciali. p. 3. C. 6.

III. Juxta antiquam consuetudinem, Synodis provincialibus non licebat Episcopum deponere, nisi referendo ad Sedem Apostolicam. Ergo semper pendebat ipsa depositio à Romano Pontifice qui poterat, sibi facta relatione, rem examinare, Sententiamque confirmare vel nullam declarare.

Zosimi ant. - Anno 342. S. Julius I ad Eusebianos qui S. Athanasium deposuerant, scribebat (apud. S. Athanas. apol. contr. Arian): « An ignoratis hanc esse consuetudinem ut primum nobis scribatur et hinc quod justum est, decernatur? Sane si quæ hujusmodi suspicio in illius urbis Episcopum cadebat, ad hanc Ecclesiam (Romanam) scribendum fuit. »

Anno 404, S. Innocentius I scribebat ad Victricium Episcopum Rothomag. (Rouen): « Si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam sicut Synodus statuit et beata consuetudo exigit post episcopale judicium referantur. » Jam vero ex ipsâ naturâ rei et ex usu ecclesiastico patet, Episcopi depositionem numerandam esse inter causas majores.

Idem Pontifex ad Augustinum aliosque Episcopos Africanos scribens invocabat disciplinam antiquam: « ut quicquid, quamvis in disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum » (definitivâ nempe sententiâ) « nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur. » - Supra p. 404. 405.

S. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus et doctor Ecclesiæ, non ausus est Nestorium episcopum damnare, antequam totam causam ad Sedem Apostolicam retulisset (Sup. p. 406) - Eum S. Cœlestinus I constituit suum vicarium ad eam sententiam depositionis ferendam, cujus modum Papa ipse præscribit (ibid.) - Ipsum Concilium œcumenicum Ephesinum dicit per epistolam Papæ se cogi ad ferendam sententiam contra Nestorium.

In illis relationibus ad Sedem Romanam debebant exponi a plenissime et lucide universa, que causam spectabant, ut patet ex epist. S. Leonis Magni ad Flavianum (supra p. 409). Plura exempla apud Bouix. De Cne. Provinc. p. 4. c. 10.

Corollarium. - Ergo Romanus Pontifex, ex causâ aliquâ gravi ad bonum publicum spectante, potest Episcopum, etsi nullius delicti reum, a Sede removere: v. g. si talia sint adjuncta ut Episcopus gubernanda diœcesi impar evadat, nec nisi cum isgenti illius Ecclesiæ detrimento gubernationem retineat. - Nam a) ut arguit Bouix de Episc. p. 3. s. 2. c. 4., in dictis casibus, diœcesi sua nocuus, ex hypothesi, evadit Episcopus, si Episcopatum retineat. Ergo de jure naturali tenetur sub gravi eum resignare. Non enim propter commodum Episcopi constituta est diœcesis, sed ipse propter diœcesis bonum in eâ constitutus est Episcopus. (Cf. de naturâ jurisdictionis in genere supra p. 61, et speciatim de jurisdictione ecclesiastica præceptum Christi supra p. 75. 76; et gesta coll. Carthag. anno 308 die I n. 16: « Episcopi autem propter Christianos populos ordinamur »). Ergo potest Pontifex qui invigilat bono totius Ecclesiæ et est pastor pastorum (Cf. th. XIX), ei injungere ut resignet. Quod si Episcopus Pontifici obedire pertinaciter renuit, patratur unum ex illis delictis quæ de jure depositionem merentur. Ergo casus reducitur ad casum depositionis ob delictum, quæ, ex probatis in thesi, ad papam pertinet. - b) Romanus Pontifex habet plenam potestatem gubernandi (supra p. 548). Atqui ille monarcha minime posset dici plenam habere gubernandi potestatem qui videns in aliquâ regni sui provinciâ gubernatorem bono publico damnosum (etiam sine sua culpâ) non posset eum invitum amovere.

Quæ argumenta extendantur ad omnes alicujus regionis Episcopos, ubi casus datur. « Casus autem (ait Bouix ibid.) quo utile sit omnes simul alicujus regionis innoxios Episcopos amovere rarissimus est. Imo usque ad diem VII nunquam contigerat. Postulante autem Napoleone I novam omnium diœceseon Galliæ circumscriptionem, utile reputavit Pius VII, attentis

plane extraordinariis, quae supervenerant, circumstantiis, huicce voto satisfacere. Quod cum recte fieri non posset nisi amotis tunc existentibus Galliarum Episcopis, eos ad dandam demissionem Pontifex coegit et renuentes deposuit. »

Plura de his apud Bonix ibid. — et Muzzarelli Opusc. theol. op. 26. « Le Souverain Pontife a-t-il le droit d'ôter son Siège à un Evêque? »

Scholion de Episcopo sine causâ justâ deposito à Pontifice. — Utrum talis depositio esset valida, disputari potest; et solutio pendere potest à controversia de quâ in th. seq. utrum à Deo immediate suam jurisdictionem habeat Episcopus. Quidquid sit, Episcopus qui sine justâ causa se depositum existimaret, debet recordari a) judicium auctoritativum de justitiâ et sufficientiâ causae deponendi (vel transferendi) pertinere ad eum cujus est ferre sententiam depositionis (ex thes. praeced. scil. ad Roman. Pontificem; b) judicium tantum privatum et internum, quo Episcopus putat sententiam Papae carere justis causis (ac proinde ex aliquorum opinione esse invalidam) in praxi saepissime fore dubium, non certum; jam vero « in dubio praesumptio superiori favet », juxta axioma ab omnibus receptum; c) etsi judicium illud certum esset, tamen non posse Episcopum scandalose resistere. Haec advertit Bonix de Episc. p. 3 c. 7. in fine; eaque sic evolvit Muzzarelli (op. cit.) « Dans toute matière, le juge à qui il appartient de prononcer la sentence a toujours droit de faire les enquêtes et de connaître des motifs du jugement. Ceci posé, n'est-il pas évident que le Pape étant le seul à qui il appartient de destituer un Evêque doit connaître aussi des motifs de destitution, qu'à lui seul peut appartenir et cette connaissance et ce jugement?... De plus la destitution d'un Evêque est non seulement un bien ou un mal pour son Eglise particulière, mais elle influe nécessairement sur le bien ou le mal de l'Eglise universelle. Or ne voit-on pas que celui qui est chargé du soin de cette Eglise est aussi le seul qui puisse et qui doive connaître de l'utilité ou de la nécessité

d'une destitution puisqu'il est le seul qui puisse en pareil cas connaître exactement en à la fois des maux et des besoins de cette église particulière et de l'Eglise universelle?... Il est donc évident que l'Evêque destitué ne peut être de droit juge légitime (publicâ auctoritate) dans la cause de sa propre destitution. Il ne lui reste donc que de prononcer comme juge particulier (privatâ Conscientiâ) non par un jugement externe, si je puis parler ainsi, mais par une sorte de jugement interne, sur la validité ou la nullité de sa Cause. Or dans ce jugement ou il a certitude ou il a doute et incertitude ... Supposé donc 1°) qu'il y ait doute pour lui sur la valeur des motifs de la destitution portée par le Souverain Pontife; je répondrai ici ce que Pagnan répondait du doute en matière de translation (C. Quanto, n. 120. seqq.): « Si le Pape ordonne, l'Evêque est tenu d'obéir parceque la présomption est en faveur de l'Eglise », (C. Omnes 7. q. 1; Cf. Suarez de Legibus l. I. C. 9 n. 11. - Si 2°) l'Evêque est certain de l'invalidité des motifs de sa destitution et du mal qui doit en résulter pour l'Eglise, il doit alors exposer respectueusement ses raisons au Souverain Pontife comme un inférieur à son Supérieur quand il s'agit du bien public; mais gardons-nous de dire qu'il puisse résister ou agir comme non destitué. D'abord, parceque ... le bien public et surtout le bien Spirituel, demande que personne de sa force ne prétende retenir ses droits contre l'autorité Suprême, quand même on les lui aurait injustement enlevés ... tant à cause du scandale, dont on ne doit jamais faire abstraction dans ces sortes de cas, que pour la facilité que chaque particulier y trouverait à résister aux ordres du Prince ... La seconde raison est que tout particulier dépouillé par l'autorité publique, bien que privé injustement de la possession in re et ne la retenant pas moins le droit et la possession in re, ne peut cependant de son autorité privée recouvrer la possession de ses droits et chasser le possesseur illégitime; il faut qu'il y soit autorisé par un décret de l'autorité publique elle-même; en agir autrement, serait ouvrir la porte à une infinité d'abus ou aux plus grands désordres.

On peut s'en convaincre par la loi de restitutione spoliatorum, qui accorde à ceux qu'on a dépouillés injustement le droit de rentrer dans leurs bénéfices en passant par-dessus les formes ordinaires, mais toujours par l'autorité ecclésiastique .... cf. S. Thomas 2.2. q. 66, a. 5 ad 3 ... » – Cf. Bouix de Episc. p. 3, c. 1 in fine.

Probatur 3. pars

1°) Qui potest omnino tollere jurisdictionem, a fortiori potest tollere partem ejus, seu eam restringere, si restringibilis est. – Atqui Rom. Pontifex potest eam tollere, ex parte præced.: aliunde illa est restringibilis; tum a) quoad loca et personas subditas, tum b) quoad materias quæ sunt objectum jurisdictionis. – Ergo.

Probb Min. quoad a): Non se habet essentia episcopatus sicut essentia Primatus: Primatus jure divino habet determinatam extensionem, scilicet ad universalitatem locorum et personarum, propterea restringi quoad loca et subditos non potest: e contra Episcopatus est essentialiter restrictus ad aliquem locum seu ad aliquos pascendos (thes. XX 2ª p.), sed indeterminate, ita ut nullum numerum locum subditorum, nullum territorium determinatum institutio divina Episcopatus postulet. Quo posito, Supremi est Pastoris, qui bono publico et concordiæ atque unitati Ecclesiæ invigilat, assignare territoria, eaque si bonum publicum postulat, restringere, diœcesim imminuere, etc. Hoc adeo verum est, ut id etiam fateantur ii Theologi catholici, qui contra alios contendunt jurisdictionem episcopalem non a Rom. Pontifice sed a Deo immediate conferri. « Nam episcopi (inquit v. g. Thomassinus, vetus et nova eccl. discipl., p. 2, l. 1, c. 48, n. 7) obtinent illi quidem immediate a Christo jurisdictionem suam, sed non ab illo immediate consecuti sunt territorium hoc suum et peculiarem diœcesim: cum hæc partitio facta fuerit, volventibus sæculis, ab Ecclesia, nec fieri potuerit, aut perpetuari, nisi consensione Capitis, in quo est cardo et centrum ecclesiasticæ unitatis. »

Probo Min. quoad b) : Deus dedit Rom. Pontifici jurisdictionem ordinariam et immediatam in omnes et singulos pastores et fideles (Thes. XIX). Atqui posita tali superiore jurisdictione, necessario Episcoporum jurisdictio multipliciter restringitur quoad materias per omnes speciales interventus immediatos Romani Pontificis in illa diœcesi, et per omnes leges generales, quibus Romanus Pontifex aliquid sibi in omnibus diœcesibus reservat regendum, ligandum, solvendum, dispensandum, etc. — Cæterum jurisdictio Episcopi propria quoad suam diœcesim nequit existimari quoad materias illimitata et absoluta (ut aliqui adversariorum existimaverunt) nisi ex crassa ignorantia traditionis et historiæ ecclesiasticæ: nihil enim frequentius quam leges regulæque ecclesiasticæ a Conciliis tum œcumenicis tum particularibus (non sine participatione Romani Pontificis) procedentes, ad subjiciendum talem Episcopum tali Metropolitano, tali Patriarchæ, etc., ita ut perpetua et multiplex habeatur jurisdictionis limitatio, et aliquæ materiæ inferiori Episcopo subtrahantur. Exemplo sit canon 4tus Conc. œcum. Nicæni I: « Firmitas eorum, quæ per unamquamque provinciam geruntur, Metropolitano tribuatur Episcopo. » Et can. 9us Conc. Antiocheni paulo post Nicænum: « Episcopos qui sunt in unaquaque provincia scire oportet, Episcopum qui præest metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ... Visum est... reliquos Episcopos, nihil magni momenti aggredi sine ipso. » — Cf. brevem conspectum, quem de tota hierarchica subordinatione graduum episcopalium proclare exhibet S. Leo M. epist. 14 ad Anastas. (supra p. 458).

2.) Ex definitionibus Ecclesiæ.

Pius VI, in Bulla "Auctorem fidei", prop. 77: « (Doctrina Synodi Pistoriensis)... per id quod supponit, Episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicæ potestatis, a qua inductæ sunt aut probatæ et vim legis obtinent: inducens in schisma

et subversionem hierarchici regiminis, erronea.»

Ibid. prop. 8: «In eo quod innuit, jurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate impediri aut coerceri posse, quandocumque Episcopus propriojudicio censuerit, minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ: inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.» Cf. et 6^am.

Jam Trid. s. 14 cap. 7 docuerat: "Meritò Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare."

Corollarium. - Ergo prorsus erroneum est quod asseruerunt aliqui Th. parum orthodoxi, v.g. Pereira theologus Lusitanus in suo opere de Episcoporum potestate, "Episcopum potestatem absolutam et illimitatam in sua diœcesi possidere" etiam admissa collatione jurisdictionis episcopalis immediate a Deo, istud minime sequitur, cum Deus possit immediate conferre jurisdictionem limitatam (supra p. 298). Neque istud sequitur ex eo, quod Episcopus in sua diœcesi habeat ordinariam et immediatam jurisdictionem in fideles: nam in eo tantum consistit ordinaria et immediata jurisdictio, quod quis possit subditos omnes directe per se attingere eosque regere actibus sibi propriis; qui tamen actus remanent proportionati perfectioni essentiali jurisdictionis; jam vero jurisdictio episcopalis est essentialiter imperfectior quam Papalis, eique subordinata, ac proinde per eam limitata. Cf. supra p. 523, 524. — Nec sequitur ex eo quod sint "successores Apostolorum" (Cf. Thes. XX); - neque ex eo quod unusquisque Episcopus est "sponsus Ecclesiæ suæ"; nam, etiam dato quod sponsus proprie dictus habeat absolutam et illimitatam potestatem disponendi bona sponsæ suæ eamque regendi, respondet Suarez de Pœnit. disp. 88 s. 2 n. 6 «non oportere illam metaphoram servari in omnibus, alioqui potestas Episcopi non deberet esse adeo limitata" ut eam esse probamus.

Imo etiam rejicienda est sententia aliquorum Scholasticorum, qui admittebant quidem jurisdictionem episcopalem

multipliciter restringi et impediri quoad usum, vi juris ecclesiastici, sed tamen admittebant "unumquemque ex vi juris divini posse in suo Episcopatu quidquid Papa potest in universa Ecclesia, nisi impediatur." - Nam a) Deus non dat potestates seu potentias inutiles, quæ nunquam ad usum reducantur; atqui sunt plures facultates, quæ in disciplina generali Ecclesiæ non competunt nisi soli Rom. Pontifici, ita ut ne concedere quidem possit eas Episcopis, v.g. canonizatio sensu stricto (cf. supra p. 190), ergo non sic res est concipienda, quasi illas facultates Pontifex impediret quoad usum in Episcopis: sed potius quod non solus usus sed et ipsa facultas illarum rerum in Episcopis deest, scil. quod eorum jurisdictio, etiam quoad hoc, est ordinis inferioris. Quod in materia indulgentiarum sic evolvit Suarez l. cit., contra aliquos ex prædicto falso axiomate concludentes posse Episcopum, seclusa limitatione seu prohibitione Summi Pontificis, plenarias indulgentias concedere, et in quacumque quantitate, et tam pro vivis quam pro defunctis: "Si Episcopi ex vi juris divini tam amplam haberent potestatem, profecto non possent Pontifices tam limitatam illis eam permittere, ut solum 40 dies indulgentiæ, et rarissime annum unum, solis viventibus, concedere valeant... Potestas enim a Christo data, vel non potest ab homine auferri, etiam ex parte, vel certe non in majori parte, sine gravissima causa satisque certa et universali, quæ in præsenti non potest facile ostendi." Ergo vel sapientia Dei aut disciplina generalis Ecclesiæ esset culpanda, quod nefas est, vel rejicienda est sententia quam impugnamus. — b) Ex ista sententia sequeretur, Episcopum v.g. dispensare posse a legibus Romani Pontificis, nisi a Pontifice impediatur et prohibeatur. Atqui hoc repugnat: nam ex ipsa natura rei, inferior nihil potest contra leges Superioris, nisi positive Superior consentiat (vel expresse vel tacite): ergo ut episcopus contra leges Papæ (v.g. dispensando) agere possit, requiritur specialis concessio positiva, nec sufficit mera omissio prohibitionis, quæ est quid negativum. Superior enim (ut arguit Suarez de Legibus l. 6 c. 14 n. 4 et 6) statim ac aliquid per suam legem præscribit

aut prohibet, illud subtrahit ab ordinaria potestate inferioris: cui propterea non licet in illam materiam falcem immittere, nisi velit suam voluntatem anteponere voluntati Superioris, per legem manifestatæ: quod profectò esset sue subjectionis jugum excutere. Quare Fagnanus, in cap. Nimis n. 44., ait: "Inferiorem posse contra legem Superioris absolutè dispensare, nihil est aliud quam corpus membris et superiora inferioribus subjicere, et ordinem naturalem invertere, et ecclesiasticam hierarchiam confundere, Dei ordinatione institutam. Præsertim verò, quia mos Sacrorum Canonum et Conciliorum est ferè ubique simpliciter præcipere aut prohibere, quid faciendum sit, vel non faciendum: ratio autem descendunt ad prohibitionem dispensationis. Undè, si liceret episcopis dispensare quotiescumque dispensatio in specie non prohibetur, consequenter esset in eorum facultate totum Jus commune et Concilia universalia subvertere, in singulis casibus dispensando; quod est erroneum asserere." Itaque Episcopos aliquot, qui in praxi ita agebant, "deceptos à quibusdam doctoribus", dicit Benedictus XIV, de Synodo diœcesana, l. 9. c. 1. n. 5. — ☞ Et hæc omnia præscindendo à controversiâ de origine jurisdictionis Episcoporum. Nunc verò si accipiatur sententia dicens jurisdictionem conferri non à Deo immediatè sed à Rom. Pontifice, adhuc clariùs est res: nihil jurisdictionis habet Episcopus, nisi quod Pontifex ipsi expressè vel tacitè concessit.

Nota. Per consecrationem suam, Episcopus immediatè à Deo accipit potestatem ordinis æqualem ei quam habet Rom. Pontifex, sed inde non sequitur æqualis potestas jurisdictionis (Cf. Th. III.): simulque eo ipso accipit aptitudinem vagam ad jurisdictionem episcopalem, sed aliud est aptitudo ad jurisdictionem, aliud est jurisdictio ipsa in aliquam diœcesim determinatam, nec provide aptitudo quædam

indeterminata sine ulla adhuc actuali jurisdictione confundi debet cum jurisdictione actuali et concreta illimitata et plena.

4ª Pars.

St. Q. Jurisdictioni "ordinaria" quam quis jure proprio exercet, si alicujus muneris quod existit semper in societate, solet opponi jurisdictio "vicaria", quam quis non jure proprio exercet sed vice et auctoritate alterius. Cf. supra p. 522. – Ubinsque notionem sic evolvit Turrecremata De Eccl. l. 2. c. 64.: "Ordinarium dicitur ab ordine. Unde ordinarium videtur importare id quod secundum communem ordinem in republica fit semper. Propterquod, illud quod competit diversis gradibus et statibus in republica ordinatis ordinarium dicitur... Potestas autem commissarii, (seu delegati) proprie loquendo videtur dici, quando alicui ab aliquo sic instituto committitur eadem potestas, que est sua ordinaria, secundum quam vicem ejus aliquid agat. Unde collatio talis potestatis non dicit novum gradum potestatis, sed institutionem simpliciter in aliquo gradu nove potestatis, sed dicit commissionem ejusdem potestatis ab instituto in ipsa potestate... Et ita patet quod prolati isti (Episcopi) a Papa positi non sunt commissarii, sed vere ordinarii."

Jurisdictio vicaria est idem ac delegata, seu commissaria. (Aliqui tamen dividunt vicariam in mandatam et delegatam (stricte), distinguentes scilicet diversos gradus delegationis: ita Aichner, Compend. juris eccl. § 24. Sane patet multis modis fieri posse delegationem, unamque esse posse aliâ ampliorem).

Omissâ hic delegatione jurisdictionis mere in foro interno (ut quando Papa dat quibusdam Religiosis potestatem absolvendi à casibus papalibus in foro penitentiæ), jurisdictionem etiam in foro

externo Rom. Pontifex delegare potest modis valde diversis. Vam potest delegare jurisdictionem suam vel 1°) quatenus ea est plus quàm episcopalis, vel, 2°) quatenus est episcopalis (cùm in qualibet diœcesi, functiones episcopales ipse possit exercere; cf. Ch. XIX).

Ad 1^m genus delegationis pertinent tùm a) legati quos Romani Pontifices mittebant pro singularibus negotiis intrà fines mandati, quo instruebantur, expediendis; ut jam vidimus à Clemente Rom. factum (supra p. 386). Hodiè ad hæc singularia negotia, ferè semper "legati à latere" scil. Cardinales mittuntur (Aichner §. 108) — tùm b) Speciatim legati qui ad concilia generalia missi sunt, representantes Sedem Apostolicam; cf. v. g. Conc. Chalcedon. (supra p. 409) — tùm c) quidam episcopi qui habebant Rom. Pontificis vices sibi commissas stabiliter super certas quasdam provincias earumque Metropolitanos, quique "Vicarii apostolici" vocati sunt. Canonum observantiæ invigilabant, et de omnibus ferè causis (exceptis iis quæ Papa sibi reservasset) Supremam ferebant sententiam; Provinciales synodos cogebant, eis præsidebant.. etc (cf. Benedict. XIV. de Syn. Diœces. l. 2. c. 10. n. 1., et auctores quos citat). Hæc vicaria potestas, quæ primùm ad personam tantùm concedebatur, paulatim certis ecclesiis perpetuò alligari cœpit: ita ut episcopus talis ecclesiæ præter potestatem suam episcopalem ordinariam quâ erat æqualis aliis, haberet illam specialem potestatem quâ extolleretur super plures alios. Tales erant, v. g. episcopus Thessalonicensis per Illyricum jam sæc. IV et V. cf. epist. S. Siricii, s. Leonis, etc..; episcopus Arelatensis pro causis Galliarum, Hispalensis per Hispaniam, etc.. Tales creari perrexerunt in medio ævo; et post sæc. XI. vocati sunt "Primates" (cf. supra p. 533): sed illi vicariatus postea aut omninò interierunt aut in merum titulum abierunt. — Tùm d) illi qui à Pontificibus velut inspectores mittebantur

ad aulas Principum, ut ibi causas Ecclesiæ Romanæ perpetuo prosequerentur, et pro negotiis fidei ac disciplinæ excubarent: dicebantur Apocrisiari, seu Responsales Eccles. Rom. Hoc legatorum genus invalut post Conc. Chalced., apud imperatorem Byzantinum, et viguit etiam in aulâ Francorum. Similes hodiè dicuntur "Nuntii"; et eorum potestas nascitur ex litteris Pontificis, quæ vocantur Credentiales. — Cf. Aichner, l. cit.

2^m genus delegationis est, in quâ sola functiones episcopales vel quasi-episcopales delegantur pro aliquâ regione; et suas diversas species etiam habet. — Ac primùm a) considerare possumus casum, in quo regio illa jam habet Episcopum, sed impeditum ut gregem per semetipsum pascat, v. g. ob seminm, ob dioceseos amplitudinem: et Rom. Pontifex ei dat coadjutorem. Adverte discrimen cum casibus præcedentibus: illic delegatus Pontificius erat, saltem aliquâ ex parte, supra episcopum localem: hìc est infrà. Discrimen hoc in delegationibus advertit S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 5^a, ad 3^m: "Superior dupliciter potest committere (seu delegare). Aut ita, quod eum vice suâ constituit; et tunc talis est principalior quàm inferior prælatus, sicut pœnitentiarius Papæ quàm episcopus, et pœnitentiarius Episcopi quàm sacerdos parochialis... Alio modo, ut eum coadjutorem illius sacerdotis constituat, et quia coadjutor ordinatur ad eum cui coadjutor datur, ideo adjutor est minùs principalis". — b) Alius casus est in quo regio nullam habet sedem episcopalem (v. g. apud barbaros qui primùm convertuntur); ac proinde non agitur de coadjutore, sed de aliquo quem delegat Papa ad jurisdictionem episcopalem ibi exercendam: — sive ille delegatus non sit episcopus ordine seu consecratione (nam qui non habet episcopalem potestatem ordinis, potest nihilominùs habere episcopalem

potestatem jurisdictionis, Cf. supra p. 88); ita qui hodie in missionibus dicuntur "Praefecti apostolici", quoad ordinem simplices presbyteri; — sive consecratione episcopali ut insignitus, ita hodie in missionibus, qui "Vicarii apostolici" vocantur (Cf. Aichner ibid.)

De hac ultima specie delegationis agitur in thesi: utrum scil. Episcopi, qui ordinario modo regendis diœcesibus praeficiuntur, praeter potestatem episcopalem ordinis, non aliam habeant jurisdictionem quam delegatam a Rom. Pontifice, et sic ejus sint "meri vicarii": quod dicimus plane falsum et omnino negandum.

Probatur

1°) Ex Patribus, qui rem dicunt implicite, nam

a) Dicunt Episcopatum (non tantum quoad ordinem, sed etiam quod magisterium aut jurisdictionem spectatum) esse institutionis divinae, saltem collective spectatum, ideoque semper esse debere in Ecclesia. — Utqui id dici negavit de meris vicariis; nam hi nullo sensu sunt institutio divina, sed humana et ecclesiastica, quod patet tum ex ipsa notione delegationis, tum ex eo quod Pontifex posset supprimere omnem merum vicarium suum, Ecclesiam unice per Episcopos gubernans, saltem aliquo tempore.

Ita v.g. S. Epiphanius, in praeclaro textu supra p. 90, dicit novum thronum Davidis, Constitutum ab ipso Deo ut maneat usque ad finem mundi, nihil aliud esse quam ipsum catholicum Episcopatum, cui Deus dedit simul "regnum cum Pontificatu" seu potestatem jurisdictionis simul cum potestate ordinis.

Hinc jam antea S. Cyprianus ita explicat illud: "Tu es Petrus ... Tibi dabo claves", etc., ut Petrus ejusque successor non possit supprimere Episcopatum, sed e contra necessario Episcopis debeat communicare claves, ut elemento constitutivo Ecclesiae Dei (Epist 27 ad Lapsos): "Dominus noster

... Episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur et dicit Petro: "Ego dico tibi quia tu es Petrus", etc. Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit," etc. — Cf. De Unitate Ecclesiæ, initio.

S. Bernardus, libro 3 de consid. c. 3, dicit Eugenio Papæ: "Erras, si ut summam, ita et solam institutam à Deo vestram Apostolicam auctoritatem existimas."

b) Patres negant, Papam esse solum Episcopum propriè dictum, quasi cæteri non essent nisi ejus delegati et vicarii.

Sta S. Greg. Magnus, qui propterea rejecit a se ambiguum titulum "Episcopi universalis" cf supra p 538

c) Traditio passim vocat Episcopos "Principes" — "Principes populi", "principes Ecclesiæ" (Sta v.g. S. August. supra p. 555; S. Leo Magnus supra p. 572; S. Optat. p. 138). Atqui meros vicarius, gubernans nomine alterius hominis qui potest pro libitu functionem ejus supprimere, dicetur quidem minister Principis, sed non propriè Princeps. — Ergo.

2°) Ex consensu Theologorum. — Gallicani, febroniani, etc, sæpè calumniati sunt "ultramontanos" thesim hanc negare: sed proscat eos Zaccaria (Antifebr. vindicatus, p. 4 diss. 10 c. 4 n. 3) ut aliquem afferant, qui dicat Episcopos esse meros vicarios Pontificis. Cf plura ap. Bouix; De Epis. p. 1. c. 2. — Sane omnes T.C. asserunt Episcopos esse "Ordinarios, non Delegatos, habere propriam auctoritatem, condere in sua Diœcesi proprias leges, etc. — V.g. S. Thomas opusc. contra impugn. Religionem c. 4 "an religioso liceat prædicare", cum objiceretur ipsos Episcopos extra diœcesim

suam prædicare non posse nisi ab aliis Episcopis requisitos, et sic anteponi ipsis Episcopis Religiosos ubique excurrentes, respondet: « Ad aliud quod objicitur quod Religiosi secundum hoc haberent majorem potestatem quam Episc. vel Patriarchæ, dicendum quod non est verum: quia Patriarchæ vel Episcopi possunt aliquibus prædicare ordinariâ potestate; religiosi autem non habentes curam animarum nusquam: possunt tamen ubilibet prædicare auctoritate eorum qui qui possunt (delegata scilicet), sicut et episcopus potest episcopaliâ exercere in aliena diœcesi auctoritate illius episcopi, in cujus diœcesi commoratur. »

3°) Ex Conciliis. — Vatic. cap. 3 loquitur de " ordinaria ac immediatâ istâ episcopalis jurisdictionis potestate, quâ Episcopi ... tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt. " Atqui si Episcopi essent meri vicarii Papæ, non haberent potest. ordinariam, sed delegatam quæ ei opponitur; nec gregem regerent tanquam veri pastores (posito usu sacro illius vocis), sed tanquam ministri et famuli solius veri pastoris verique episcopi qui esset in mundo, scilicet Romani Pontificis.

Corollarium 1. — Ergo, licet possit Rom. Pontifex valide a singulis et ab omnibus quoque Episcopis jurisdictionem auferre, teneretur tamen alios substituere, ut semper sint Episcopi in Ecclesia; nequit enim ipse episcopalem auctoritatem ordinariam abolere aut vicariale regimen ad totam Ecclesiam extendere, substituendo omnibus Episcopis meros suos vicarios. " Nec potest Papa, ait Lainez (de orig. Jurid. Epis. n°176) tollere ... potestatem ordinis nec jurisdictionem in communi, quia omnia ista a jure divino sunt, et dicere potest Pontifex cum Petro (Act. X1.17): Ego quis eram qui possem prohibere Deum? — Non posset igitur tollere pro nutu Episcopos, quia hoc esset destruere, et into-

liberaliter errare ; et Deo non solum peccaret, sed nec teneretur ejus sententiæ . Potest tamen ab aliquo et ab aliquibus tollere vel suspendere jurisdictionem, vel ex causâ cum merito, vel sine causâ cum peccato . Sed hoc permittit Deus ut majus malum evitetur ; majus enim malum esset Ecclesiæ, quod omnes reluctarentur Pontifici, requirentes ab eo causas eorum quæ fecit, et se judices sui judicii faciendo, quam quod pauci etiam innocentes privarentur temporali honore .... Non vides etiam quod repugnet, quod in aliquibus regionibus relinquantur aliqui fideles cum solis ministris Commissariis exercentibus munia sacerdotalia, et adhibitis aliquibus titularibus episcopis, qui ea quæ ordinis sunt exerceant ; veluti v.g. monachi in Occidentali orbe, et in Indiis traxerunt multos ad fidem, et eos ex jurisdictione commissariâ exercebant . »

Cæterum nunquam accidet talis mutatio disciplinæ generalis, ut Papa Episcopos proprié tales, seu ordinarios, simpliciter supprimat ; cum Christus, sua assistens Ecclesiæ, nequeat permittere ut peragatur quod divinam Ecclesiæ constitutionem destrueret (Bouix loc. cit.) — Imo ubicumque commodè potest instituri hierarchia, solemne est Rom. Pontificibus hoc non negligere, ut etiam nostris diebus pluries factum vidimus a Pio IX et Leone XIII . Nam, quemadmodum habet schema Constitutionis super Missionibus apostolicis, inter Docum. Vaticani Concilii (Coll. Lacensis t. VII p. 683), « in hoc opere (propagationis Evangelii) efficiendo, cum ob adversas temporum ac locorum vices, aliasque gravissimas causas, ut plurimum non possent diœceses erigi vel restitui, neque Episcopis propriis ac perpetuo titulo cum ordinaria jurisdictione demandari, Visum est Rom. Pontificibus, quod alias factum jam fuerat, aliquot mittere operarios evangelicos episcopali charactere insignitos, qui vicaria Summi Pontificis auctoritate regiones sibi commissas

moderarentur: quique propterea, recepta iamdudum appellatione, Vicarii Apostolici dicti sunt. Quo pacto provisum est, ne fideles Episcoporum ministerio et opse carerent, simulque cautum, ne præpropere et inopportune erigerentur dioeceses vel restituerentur iis in locis, in quibus perfecta ecclesiasticæ hierarchicæ forma et canonicæ disciplinæ ordo nondum constitui aut servari possent. Ubi autem huiusmodi difficultates non occurrerunt, aut certe magna ex parte sublatæ fuerunt, nil magis curarunt S. Pontifices, quam ut Episcopales sedes iisdem in locis restituerent vel erigerent iisque Episcopos ad sacrorum canonum normam præficerent." Et ib. p. 698, explicat aliqua adnotatio illas difficultates: "Ubi autem, licet fidelium numerus excreverit, non tamen præsto est sufficiens præsertim ex indigenis clerus, artusque redditus episcopalis officii oneribus ferendis necessarius; ubi vel ex locorum natura vel ex populorum indole, aut ex civilium potestatum voluntate vel agendi ratione, aut alia demum quacumque de causa non possit prudenter existimari stabilem fore Episcopi sedem, liberum potestatis Ecclesiasticæ exercitium, illudque ad iuris communis regulas facile esse componendum, abstinent Apostolica Sedes a dioecesibus erigendis et propriis Episcopis instituendis, easque regiones per Vic. Apostolicos regere consuevit."

Vicariorum Apostolicorum potestas, de se magis variabilis, ex mandato S. Congregationis de propaganda fide erui tur, quæ minorem aut ampliorem iurisdictionem concedere solet (Cf. Aichner l.c.) Quoad illam delegatam iurisdictionem (quam solam exercent) sunt meri Vicarii. Sed adverte, secundum usum hodiernum communissimum eos præterea recipere titulum vera alicuius antiquæ Sedis "in partibus infidelium", et ex hac parte recipere proprio ac perpetuo titulo ordinariam iurisdictionem Episcopalem; quamvis

omnino ligata quoad exercitium, haec altera jurisdictio in eis subsistit, et potest sufficere ut dicantur, sicut alii Episcopi, veri pastores, veri episcopi, veri principes Ecclesiæ etc: — cf. Semeneko "Quid Papa et quid Episcopatus" p. 128; et quæ diximus de episcopo Romano si Roma destrueretur, p. 485, 486.

Corollarium II. Ergo id absurdum est quod multi imperiti declamaverunt, Concilio Vaticano mutatam fuisse Constitutionem Ecclesiæ, Episcoposque redactos ut jam essent meri vicarii Papæ (cf. Hergenröther, Catholic Church and Christian State, vol. 1. diss. 4). — Cum quia nullum afferri potest jus Pontificis a Concilio assertum, quod non antea palam vindicaretur a Romanis Pontificibus, et exerceretur in Ecclesia: tum quia jus Canonicum post Concilium remanet prorsus idem ac antea, tum quia discrimen Episcoporum a meris vicariis in eo est quod explicavimus, minime vero in eo quod Episcopi sint independentes, habeantque in sua diœcesi jurisdictionem ordinariam et immediatam soli ad exclusionem Papæ, quod esset prorsus contra Scripturam, Traditionem et Canones (cf. thes. XIX).

Corollarium III. Ergo apparet recto quodam sensu dici posse cum Card. Bellarmino (de Rom. Pont. l. 1. c. 3, 5, 8 1, qui citat pro se omnes Catholicos Doctores, regimen Ecclesiæ esse monarchiam aristocratiâ temperatam. Sane monarchia ecclesiastica posset esse minus temperata, magis absoluta, simplicior, si nempe Deus nullum gradum jurisdictionis immediatæ instituisset, nisi Supremum Monarcham, qui omnes Ecclesiæ partes gubernaret per meros vicarios, ad nutum revocabiles etiam sine causâ, sine ullâ sede fixa, sine titulo perpetuo, ad breve tempus nominatos, sine jurisdictione ordinariâ et propriâ, ministros et instrumenta Papæ, non Principes Ecclesiæ. Quare Laccaria, Antipchon vindicatus, p. 4. diss. 10. c. 4. n. 3: "Episcopos nemo nostrum tanquam pontificios vicarios habet... Quamvis enim

monarchicum Ecclesiæ regimen aristocratiâ temperatum cum Bellarmino asseruimus." Eandem formulam admittit G. Schrader, de Unit. romana l. 1. n. 225, in nota, cum aliis auctoribus. — Et hoc etiam apparet ex eo quod in Conciliis œcumenicis Episcopi assident ut judices cum Papa, non solum ut consiliarii (Veith, Richerii syst. refutatum, § 39.)

Quare notetur de voce quam de re disputant recentiores Theologi, qui regimen Ecclesiæ vocantes "monarchiam simplicem", rejiciunt Bellarmini sententiam, ita inter alios Card. Mazzella, n. 536, segg.: ipse fatetur (n. 539) esse quæstionem nominis. Et videtur esse æquivocatio in hac voce in quâ vim jaciunt, "regimen simpliciter monarchicum". Etenim si dicere volunt, monarchiam Ecclesiasticam tam absolute et pure monarchicam esse quam in alio ordine Providentiæ esse potuisset, falsum est, ut probavimus. Verum si tantum hoc volunt, regimen Ecclesiæ remanere vere et simpliciter monarchicum, id ipsi nos cum Bellarmino sane admittimus. Nam cum absurdum sit gubernium, quod æqualiter sit monarchicum et aristocraticum, debet necessario prævalere vel monarchia, vel aristocratia, scil. potestas suprema tandem debet esse vel in uno vel in pluribus (cf. Maurum Cappellari, qui deinceps Sedem Romanam nomine Gregorii XVI cohonestavit in ob. de Triumpho S. Sedis et Ecclesiæ, § 76, segg.; simil. Migne, Démonstrat. Evangél. t. 16 p. 829 segg.): et secundum illam formam quæ prævalet gubernium dicitur simpliciter tale: sicut v. g. actus quidam humani, quamvis sint secundum quid involuntarii seu mixti quadam necessitate v. g. influente metu, tamen remanent vere et simpliciter voluntarii et liberi. — Jam vero, quando dicimus "monarchiam temperatam aristocratiâ", (monarchiam in recto, aristocratiam in obliquo) eo ipso significamus monarchiam prævalere, proinde regimen esse vere

et simpliciter monarchicum. — Denique advertendum est, in monarchia plures esse gradus et modos, quibus possit per aristocratiam temperari: nos minime affirmamus tale ac tantum temperamentum, quale et quantum in quadam politica Constitutione, quam habes prae oculis, potest inveniri; multo minus affirmamus summum aristocratia temperamentum quod fingi possit in monarchia quae monarchia remaneat: sed tantum aliquod temperamentum asserimus: sic respondetur iis quae habet Card. Zigliara, Ethica, n. 62.

Ex dictis apparet contradictio in quam incidunt Richer et post eum multi Gallicani Febroniani, etc. Admittunt et ipsi verbis in Ecclesia esse debere "regimen monarchicum aristocartia temperatum", sed deinde ita explicant rem ipsam, ut praevaleat aristocratia, ac proinde gubernium dicendum sit simpliciter aristocraticum (monarchiam secund. quid); Papa enim juxta eos non est nisi delegatus et minister alicujus coetus aristocratici, qui supremam potestatem habet, cf. prop. Richerii supra ps. 241, aliosque citatos pagg. segg. — Contradictionem istam erudite impugnat Petavius de eccl. hier. l. 3. c. 15. Et Gregorius XVI op. cit. § 7, ait: "Ce ne serait pas (dans le système gallican) une monarchie tempérée par l'aristocratie, mais bien une aristocratie tempérée par la monarchie; car lorsqu'on dit qu'une forme de gouvernement est tempérée par une autre l'on entend que la 1re domine, et qu'il s'y mêle quelque chose de la 2de mais dans une moindre proportion et non au même degré... tant que l'on donnera au Concile (acéphale) une puissance supérieure à celle du Pape, de quelque manière qu'on les considère tempérés l'un par l'autre, l'avantage que le Concile, c. à. d. l'aristocratie, aura sur le Pape, et la position inférieure de la monarchie du Pape,

seront qu'il n'y aura jamais une monarchie temperé par l'aristocratie. Et cependant les partisans de cette opinion avouent qu'il est de foi que l'Eglise est un état monarchique, et qu'on ne peut l'appeler une aristocratie temperée par la monarchie; ce qui est contradictoire avec leur système; ils sont catholiques dans leur croyance et inconséquents dans leurs raisonnements." Cf. Veith qui eamdem contradictionem in Richerio vituperat § 33.

Igitur formula Bellarmini a Gallicanis detorta est ad sensum falsum, quem sponte sua non exprimit: melius est hoc advertere, quam ipsam formulam cum vero et naturali suo sensu rejicere.

Addit Bellarminus (ib. c. 3), monarchiam Ecclesiae quodammodo etiam democratia temperari, quatenus scil. in Ecclesia virtuti non generi defertur, et etiam ex infima plebe accedi potest ad primos Ecclesiae gradus, ipsumque Summum Pontificatum.

Thesis XXII

Jurisdictio singulis Episcopis a Romano Pontifice conferenda, seu non est immediate a Deo.

St. Q. Probato per thesim precedentem necessario influxu (immediato, aut mediato per Patriarchas vel alios ad id delegatos) Rom. Pontificis in Episcopos singulos potestate jurisdictionis muniendos, celeberrima quaestio superest inter Catholicos, utrum ille influxus Pontificis sit in suo ordine vera causa, origo seu fons hujus episcopalis jurisdictionis, an potius mera conditio ita ut eam proprie non conferat, sed solus Deus.

Haec quaestio fuit olim acriter disputata

in Conc. Trident. (Cf. Card. Pallavicini, Hist. Conc. Trid. l. 17. c. 12 et 15; l. 21 c. 1.), nec tunc definita, nec postea. Remanet igitur hactenus libera et controversa; et prascindendo ab ea, adhuc possunt defendi magis essentialia puncta constitutionis Ecclesiæ, et subordinatio hierarchica. Nam in utraque sententia asseritur omnino necessaria institutio canonica a Pontifice, assignante territorium sive subditos, ita ut sine hoc nullum habeatur validum jurisdictionis exercitium. Cf. Thomassin supra p. – Et sicut ait Benedictus XIV (de Synod. dioeces. l. 7. c. 8. n. 7): "Episcoporum jurisdictio, sive sit immediate a Christo Domino, sive a summo Pontifice, ita semper huic subest, ut, consentientibus omnibus Catholicis, ejusdem auctoritate et imperio limitari, atque ex legitima causa omnino auferri possit."

Originem a Deo immediate propugnaverunt vehementes omnes Gallicani, Jansenistæ, Febroniani, etc., quoniam hæc opinio videbatur ipsorum erroribus magis favere: quanquam (ut ostendimus in thesi præced.) abusi sunt illa controversia, et illegitimæ sunt consequentiæ, quas contra varia jura Pontificis & permissa sibi opinione deducere sæpe conati sunt; nisi per "originem immediatam a Deo" intelligas exclusionem juris confirmandi episcopos in Romano Pontifice: sed tunc jam mutas quæstionem servato nomine, nec remanet libera aut catholicis incerta. Inter auctores plane orthodoxos non desunt qui collationem immediate a Deo fieri defenderint (Wirc. de leg. n. 104: sed contrarium docent in tract. de Trinit. theolog. n. 180): multi tamen aliud docent, imo plerique, si spectare volumus vel principes Scholæ et generatim Scholasticos ante Gallicanismi tempora vel recentiores postquam in nostro sæculo errores gallicani, jansenistæ, etc. ad nihilum redigi cæperunt. His §. 9. accedimus, thesim defendentes ut multo

probabiliorem.

Thesis minime est inutilis ad clariorem habendam notionem de potestate ecclesiastica, pleniusque recedendum ab erroris et schismatis periculo.

Non negamus, Deum immediate concurrere cum Pontifice conferente jurisdictionem, eo modo quo omni creaturæ Deus immediate concurrit: sed negamus jurisdictionem Episcopi esse immediate a Deo eo sensu quo v. gr. miracula dicuntur esse immediate a Deo, quatenus nempe Deus se substituit causalitati causæ secundæ. — Item, quæstio non est de potestate ordinis, quam omnes concedunt dici posse conferri immediate a Deo singulis Episcopis: — neque est, utrum institutio jurisdictionis episcopalis in genere et in abstracto, scil. institutio Episcopatus, ad regendam sub Rom. Pontifice Ecclesiam, sit immediate a Deo: quod omnes etiam, saltem aliquo sensu, concedunt Catholici. (Cf. Lainez supra p.): sed quæstio est, an collatio jurisdictionis singulis episcopis fiat immediate a Deo, sensu dicto. De discrimine harum quæstionum cf. supra p. 501. Idem notat Bouix l. cit.; Card. Mazzella n. 1004 et alii.

Probatur

I. Si Deus immediate conferret singulis jurisdictionem episcopalem, id faceret vel 1°) occasione confirmationis a Rom. Pontifice seu præconisationis, qua completentur omnia requisita ad electionem et designationem personæ; — vel 2°) in ipsa consecratione episcopali; — et revera, adversarii in alterutram hypothesim abierunt, inter se divisi (Jam Lainez utramque memorat, n. 217)

Atqui neutra hypothesis admitti potest. — Ergo —

Probo Min. quoad 1^m.

1ª hypothesis sic refertur a Zaccaria, Antisebron. vindicatus d. 3. c. 2. n. 4: "Sicuti, cum eligitur Rom. Pontifex, Cardinales solùm personam designant, unus autem Christus pontificiam electo dignitatem tribuit: ita sunt qui opinentur, cum eligitur quis ac confirmatur in episcopum, designari personam cui Deus jurisdictionem ante episcopalem consecrationem impertiatur." At haec hypothesis est rejicienda, nam

a) Quando aliquis homo influit in communicandam alteri jurisdictionem (praesertim si necessario requiritur ejus influxus), eatenùs potest ille influxus hominis meritò reduci ad meram designationem personae, potestque meritò ipsa jurisdictionis collatio subtrahi ab illo homine ut Deo immediate attribuatur, — quatenùs homo tunc influens non habet ipse jurisdictionem talem (nec formaliter nec eminenter, ut esset v.g. Rex nominans ad episcopatum) ac proinde censeri nequit fons et origo, unde illa jurisdictio dimanat: in qua ratione fontis et originis consistit illa species influxûs, quae stricte et propriè dicitur "conferre jurisdictionem", quae species ab influxu "mere designandi personam" contradistinguitur tanquam aliquid perfectius, cf. supra p. 502, 503. — Et ratio hujus Majoris est, quod, quotiescumque activitas aliqua explicari potest per causas secundas, non debemus illam tribuere immediate Deo sal. per exclusionem causarum secundarum: sic, juxta omnes, nunquam debemus supponere miraculum (quod eodem sensu fit immediate a Deo), ubi factum per causas secundas explicari potest (Cf. Lainez haec evolventem, disp. Trid. de origine jurisd. episc., n. 109 seqq.)

At qui, ex thesi praecedenti, Rom. Pontifex necessariò influit in communicandam omni episcopo jurisdictionem, quae sine ejus interventione vel omnino

haberi ab electo non potest, vel saltem non potest haberi expedita quoad usum licitum atque etiam validum, patentibus omnibus catholicis. Aliunde habet ipse plenitudinem jurisdictionis ecclesiasticæ; et in illam ipsam diœcesim, de qua agitur, habet ipse perfectiori quodam modo potestatem vere episcopalem: cf. thesim XIX: et quod possit alteri vere conferre episcopales functiones, ab omnibus admittitur v.g. in casu vicariorum et Præfectorum apostolicorum.

Ergo potest et debet ipse considerari ut fons et origo omnis jurisdictionis episcopalis in quam influit, ut proprie eam conferens: nec licet hoc munus ab ea causa secunda idonea subtrahere in perpetuum, ut Deo immediate tribuatur, sola designatione personæ relicta Pontifici.

Hinc vides disparitatem cum casu Cardinalium influentium in communicandam jurisdictionem papalem: eam non habent formaliter neque eminenter (supra p. 503). Quare hic est necessaria Dei interventio immediata, et Solus Deus potest hic esse fons atque origo, ac proinde electores illi merito dicuntur tantum designare personam.

b) Idem sub forma argumenti ab absurdo sic exprimit Zaccaria l. cit.: « Hæc opinatio (adversariorum) viam aperit absurdis figmentis. Nihil enim retat quin eodem jure dicamus... a Deo jurisdictionem immediate accipere nedum Episcopos, sed etiam Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Legatos, Vicarios Apostolicos, Abbates, immo etiam parochos, præpositos, decanos rurales, archidiaconos, œconomos: horum personas ab Ecclesia designari, jurisdictionem immediate a Deo conferri sicut Papæ. » Nam si nobis licet interventus Dei immediatos fingere pro libitu quin ad hoc coganur ipsa deficientia causæ secundæ, cur etiam ibi fingere non possumus, præsertim cum talis interventus Dei, invisibilis cum sit, non possit ex factis et a posteriori impugnari?

c) Tatenus etiam dicitur quis tantum designare personam, non conferre jurisdictionem, quatenus ipso illo actu non adhibet, neque adhibere potest auctoritatem erga eum quem ita designat: v.g. electores Romani

Pontificis non possunt ei imponere ut Pontificatum assumat, neque ad id eum ligare obligatione. Atqui Pontifex non ita relate ad Episcopos; nam procedit per injunctionem (qui est modus quo generatim transmittitur jurisdictio, cf. S. Thomam supra p. 95): ceterum Papam auctoritative procedere, patet ex testimoniis supra p. 573 sup. "Injungere jurisdictionem (ait Lainez op. cit. n. 212) est praecepto aliquo obligare ad jurisdictionem suscipiendam et ea utendum ... Et ita cum Superior imponit alicui subdito curam regendi alios, duo facit: ipsi enim qui regere debet, praecipit ut suscipiat curam regendi; ... subditis vero praecipit, ut ei pareant ... Itaque qui injungit licet respectu Dei minister sit, ob quem sumit curam eligendi personam et ei onus imponendi; respectu tamen ipsius electi et eorum quibus illum praeficit, ex auctoritate agit quasi ecclesiasticus princeps ... Adhibet industriam suam et voluntatem et auctoritatem, et ita non se habet per modum nudi instrumenti, sed agentis liberi ex auctoritate."

Hinc licet minister Dei dici possit in conferenda jurisdictione, non tamen eodem sensu, quo minister Dei est v.g. in consecrando Episcopo; ut explicat Lainez ib. n° 213: "Quia autem, qui injungit, ut principale agens sub Deo operatur, qui autem consecrat, per modum instrumenti; et quia effectus etiam diversi sunt, et effectus injunctionis magis proportionatus agenti, effectus vero consecrationis altior, ad quem consecrans non possit pertingere, utpote supernaturalis: hinc fit, ut injungens debeat assimilare sibi illum cui injungit; et ideo nullam habens jurisdictionem nullam injungere potest alteri; consecrans autem, quia ut instrumentum agit, cujus non est assimilare sibi effectum (nec enim serra scamnum sibi assimilat, sed mentis seu ideae artificis), ideo consecrans saepe porrigit effectum quem ipse non habet; nam absolvit peccator sacerdos, et gratiam confert ordinato peccator episcopus. Differunt igitur in tribus hi ministri, nempe in hoc quod injungens ex auctoritate agit, et effectum inferiorem confert et ad quem ipse pertingit, et in hoc quod sibi assimilat illum in quem agit: contra vero minister consecra-

tionis non agit ex auctoritate, et effectum suas vires superantem confert, et non est necesse ut in se habeat quod confert.»

Probo min. quoad 2um

2a hypothesis (quae habuit pro se plerosque adversariorum) sic procedit: «Potestas ordinis, quae ex consecratione oritur; est immediate a Deo.» (Et hoc concedimus, tum quia homo in ea conferenda est merum instrumentum Dei, cf. S. Thom. supra p. 95, et modo dicta; nec potest libertate sua limitare, determinare effectus consecrationis, nec auctoritate se agit; "in ordine imprimendo Deus ipse per se operatur, nec admittit ecclesiasticam auctoritatem operantem et injungentem, quam admittit in jurisdictione episcoporum (conferenda)." Lainez n. 208; — tum quia Ecclesia, etsi soleat ab episcopo haeretico vel schismatico retrahere quidquid retrahere potest, quidquid ipsa contulit, tamen nequit ab eo retrahere potestatem ordinis nec validum usum ejus, quod est signum, hac illi homini a Deo esse collata non ab Ecclesiâ). — «Atqui (pergunt adversarii) characteri episcopali seu potestati ordinis potestas jurisdictionis ita est annexa, ita veluti imbibitur, ut Deus immediate conferens primam necessario conferat simul 2am, proinde etiam immediate. — Ergo.» —

Necessitatem vero interventionis Pontificiae (probatam in thesi praeced., 1a parte) sic ipsi explicant et cum sua opinione conciliant: «Deus per consecrationem immediate confert jurisdictionem, sed ligatam, non exercibilem; confirmatio seu institutio canonica, à Pontifice procedens, est conditio necessaria, ut hac jurisdictio fiat expedita et exercibilis; Pontifex autem tunc non confert jurisdictionem, quae jam est collata, sed solum assignat materiam in quam exerceatur jurisdictio, assignando subditos; pariter quando episcopum deponit, non proprie jurisdictionem ab eo tollit, cum tollere non possit quod Deus dedit immediate, sed solum aufert materiam subjectam.» Jam vero hac 2a hypothesis multiplici vitio laborat, et rejicienda est, nam:

a) Supponit (in minore argumenti) inseparabilitatem potestatis ordinis et potestatis jurisdictionis; quod

thesi speciali jam refutavimus, thesi III. supra. Sufficiat hic afferre textum S. Cypriani de Novatianis Episcopis (qui tamen validam consecrationem episcopalem accipiebant), de Unit. Eccl. c. 10 - Migne IV. 507): « Ubi sunt, qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione præficiunt; ... qui nemine episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt. »

- b) Ex generali praxi Ecclesiæ certum est, quod ante consecrationem episcopalem presbyter (vel clericus etiam inferior presbytero) dummodo rite promotus in episcopum a Rom. Pontifice, jam habet immo exercere potest jurisdictionem episcopalem suamque diœcesim administrare: ita ut consecratio superveniens nihil immutet quoad jurisdictionem quam habet, sed tantum addat potestatem ordinis episcopalem: cf. supra p. 89. - Atqui (ut arguit Bouix l. cit.) id stare nequit cum adversariorum hypothesi. Nam juxta ipsorum systema, episcopalem jurisdictionem non confert immediate Christus nisi in eo temporis articulo, quo fit episcopalis consecratio. Ergo subdiaconus r.g. in Consistorio promotus, utpote nondum consecratus, non habet jurisdictionem episcopalem immediate a Christo: et tamen episcopalem jurisdictionem jam habet et exercet valide: ergo illam habet a Papa: ergo quando ille subdiaconus, recepto diaconatu et presbyteratu, consecrabitur Episcopus, non recipiet a Christo episcopalem jurisdictionem: non enim recipitur quod jam habetur » (nec est fingenda inutilis Dei interventio immediata, cf. 1am hypothesim refutatam). - « Quod si objicias, valere id quando confertur jurisdictio a Papa nondum consecratis, non autem quando præcedit consecratio episcopalis et postea consecrato assignatur diœcesis, respondeo: ... sequeretur absurdum: alii nempe Episcopi jurisdictionem haberent a Papa, alii a Christo » (et tale ac tantum discrimen proveniret ex circumstantia valde accidentali et secundaria, utrum consecratio præcesserit vel non). « Qui consecrati fuissent post præconisationem, eam haberent a Papa: qui vero ante, eam haberent immediate a Christo.

Quod prorsus absonum est, et cæteroquin adversariorum etiam systemati contrarium: de omnibus enim Episcopis indistincte sustinent adversarii, eis a Christo immediate jurisdictionem conferri

c). In consecratione nulli a Christo assignantur subditi. — Subditi enim, quos aliqui finxerunt a Christo tunc assignari, vel essent omnes fideles in mundo, vel eorum pars indeterminata, vel pars determinata: jam vero 1^m repugnat, quia tunc Episcopus haberet jure divino jurisdictionem universalem, quam tamen nullus eorum exercet (cf thes. XX., 2^a p.), ergo vel Ecclesia falleretur in sua disciplina generali, injuste omnibus tollendo quod Deus dedisset, vel Christus insipienter dedisset omnibus jurisdictionem numquam exercendam. Et Christus tunc daret etiam materiam, Papa vero materiam non daret (ut dicunt) sed tolleret. — Repugnat et 2^m: quia assignare subditos nihil est aliud quam eos determinare. — Repugnat et 3^m: neque enim Christus tunc facit revelationem ut per se assignet subditos; neque enim per alium dici potest tunc assignare, siquidem ritus sacer consecrationis minime involvit assignationem subditorum regendorum ab Episcopis consecrantibus, et potest consecrari episcopus sine ullo grege regendo, ut jam in primis sæculis factum est aliquando (supra p. 87) et valida semper esset talis consecratio.

Atqui ubi nulli assignantur subditi, ibi nulla jurisdictio confertur: jurisdictio enim in nullas personas idem est ac jurisdictio nulla. Sicut ille homo non est pater, qui filios nondum habet, neque herus, qui servos nondum habet; ita nondum habet jurisdictionem ecclesiasticam, qui subditos tali jurisdictione regendos nondum habet. Nam "superior et subditus correlativa sunt, et ideo non potest unum fieri prius quam aliud, neque unum sine alio." (Suarez de Leg. l. 4. c. 4. n. 8 — Cf. Bellarm. de Rom. Pont. l. 4. c. 24). — Fieri quidem potest (sicut advertit P. Palmieri, thes. 4) ut jurisdictio sit tantum in habitu, quemadmodum in Rege vi exacto a Regno; at in hoc quoque

ideo jurisdictio manet habitualiter, quia exstant et possunt designari illi qui per se tenentur ei parere, puta cives illius regni, licet ex accidenti suspendatur haec obligatio.»

Ergo Christus in consecratione nullos assignans subditos, eo ipso nullam dat proprie jurisdictionem: Pontifex autem in praeconisatione assignans subditos, eo ipso dat jurisdictionem. — Ergo, ut concludit Laynez contra explicationem adversariorum de interventu Pontificis (l.c. n. 127), "repugnat dicere, Papam dare materiam et non dare jurisdictionem; quia dare materiam, in proposito, ut omnes fatentur, est dare subditos; dare autem alicui subditos est dare jurisdictionem supra illos, ac per hoc jurisdictionem, quia correlative sese habent superior et subditus ... Cum quis sacerdos est non habens subditum, hoc ipso quod illi subditus datur, datur illi jurisdictio supra illum; et inde est quod possit illum absolvere. Unde qui materiam non habet, non habet jurisdictionem, sed potestatem ordinis tantum vel nullam.» — Ergo vi episcopalis consecrationis exsurgit quidem exigentia quaedam Ecclesiam regendi (nam ex positiva lege Dei, per se et ordinarie debent conjungi in Episcopis utraque potestas ordinis et jurisdictionis, si non statim ab initio, at saltem post aliquod tempus, unde interim in eodem homine una potestas alteram exspectat: Cf. supra p. 89, seqq): aliis verbis, vi episcopalis consecrationis exsurgit positiva aptitudo ad jurisdictionem episcopalem; non autem ipsa jurisdictio. Sicut ille, quem Rex destinaret ad imperandum alicui speciali militiae quae nondum existit: haberet aptitudinem, destinationem, sed nondum imperium, jurisdictionem: nondum esset proprie dux, antequam determinati essent milites. Profecto abusus esset vocis quando, v.g. duo sunt capaces ut a Rege eligantur in praetorem, si vellemus dicere eos jam habere jurisdictionem praetoriam. — Et hinc est quod per jocum dicere solemus v.g. "ducem sine exercitu", indicando Imperatorem irrisoriam aut etiam impossibilem. Mazzella n. 1011. — Cf. supra p. 106.

Ex eodem argumento probatur, Christum

in suo praecepto generali de Episcopatu constituendo et semper servando ad gubernium Ecclesiæ, Episcopis quidem dedisse aptitudinem ad jurisdictionem, nullam vero jurisdictionem propriam; nullos enim singulis tunc assignavit subditos. Et contra Petro ejusque successoribus vere contulit jurisdictionem ipsam, quia Petro ejusque successoribus determinatos assignavit subditos, universos scilicet fideles: determinatio perfecta habetur per ipsam universalitatem. Cf. Suarez de Leg. l. 4. c. 4. n 17, 18.

d) Explicatio ab adversariis addita, ut cum sua opinione conciliant catholicam doctrinam de necessitate interventus Papæ, – scilicet, quod jurisdictio immediate a Deo procedit sed ligata, et a Rom. Pontifice confirmante fit exercibilis, – etiam ipsa est vitiosa, neque intelligibilis, – Nam in Episcopo consecrato, qui nondum est a Rom. Pontifice confirmatus, vel quem Papa non vult confirmare, consideremus potestatem ordinis: existit quidem vi consecrationis, sed ligata, nondum enim licet ei facere ordinationes aliasque episcopales functiones exercere: ipsa enim potestas ordinis propter bonum commune et debitam subordinationem regulatur in suo usu et exercitio a superiore jurisdictione (cf. thes. III. 4am p.). Attamen si contra prohibitionem ecclesiasticam vellet ille ordinare aliquem, ordinatio, quamvis illicita, foret valida, ex catholica doctrina (cf. supra p. 83): "quia ligare usum potestatis a Deo acceptæ est illum facere illicitum, et nihil aliud. Ergo a pari, si esset in illo Episcopo, vi consecrationis, immediate a Deo, potestas jurisdictionis sed ligata donec Pontifex hominem confirmet, illicite quidem gubernaret suam dioecesim, sed valida essent ejus statuta, præcepta, judicia etc. (sicut sunt valida etsi ea faciendo peccet arrogantia, imprudentia, etc.): nam nulla potest afferri ratio disparitatis; sicut potestas ordinis nequit a superiore ecclesiastico impediri quoad validitatem, quia est immediate a Deo, ita et potestas jurisdictionis quæ esset et ipsa immediate a Deo, et quæ daretur simul et per eamdem causam instrumentalem, consecrationem. Atqui juxta doctrinam catholicam, in preced. thesi probatam, nulla et invalida sunt statuta, judicia etc. facta ab electo Episcopo etiam

consecrato, qui nondum esset expresse vel tacite confirmatus a Rom. Pontifice, multo magis si eum Papa expresse rejiceret. Ergo cum doctrina catholica se conciliare conantur quidem adversarii, sed eorum conatus est infelix: et hinc presertim apparet periculum pro doctrina catholica in ista opinione. — Ergo dicendum est, in consecratione non conferri jurisdictionem ligatam, sed nullam conferri; in suâ autem confirmatione Papam non permittere et quasi expedire usum, sed revera conferre jurisdictionem antea non existentem. — Cf. Lainez op. cit. n. 117, 129, 133; — Mazzella n. 1010.

Scholion I — De aliis argumentis et difficultatibus. — Afferri potest argumentum ex Patribus citatis in preced. thesi (supra p. 571-573), quorum aliqui exhibent Petrum ejusque successores ut fontem ex quo procedit episcopalis jurisdictio. Sed e textibus qui solent afferri, plures saltem non satis clare rem exprimunt: dicunt quidem, jurisdictionem non transire in episcopos sine aliquo influxu Rom. Pontificis, sed a questione subtiliore, quid sit ille influxus bene potuerunt prescindere. — Sicut e converso, quando aliqui Patres dicunt « Episcopos esse a Deo », non tangunt questionem, utrum mediate an immediate, et supponendo quod intelligunt esse immediate, non clare exprimunt utrum de Episcopatu in genere, an etiam de Episcopo qua concreto et determinato agant: ergo nequeunt afferri contra nos.

Idem dicas de textibus Scripture, qui ex utraque parte afferuntur. — Textus qui probant monarchiam ecclesiasticam non peremptorie demonstrant per se Deum debuisse res ita constituere, ut Papa jurisdictionem episcopis proprie conferret: modo in eorum missionem ipse necessario influat tum regulis generalibus electionis tum confirmatione particulari, salva satis videri posset ratio monarchie: quamquam utique magis congruus est modus, ut supremus Monarcha

jurisdictionem ducibus subalternis proprie conferat (Cf Suarez Def. fidei l. 4 c. 9 sub finem) — Multo minus adversarii textus efficaces afferunt. Præcipui sunt : 1°) Act XX. 28 : « Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei " Sed potest responderi a) cum Lainez in Trid., textum non dicere "immediate", et posse intelligi de collatione jurisdictionis tantum mediate divina sicut quando dicit Apostolus (Rom XIII) "Omnis potestas (etiam civilis) est a Deo", vel quando Ecclesia in suis canonibus qui non sunt de jure divino sed ecclesiastico, dicit : « Visum est Spiritui sancto et nobis » (cf supra p. 614) — b) dato quod agatur de immediate divina institutione, intelligi potest quod Deus qui jure divino statuit in genere ut Ecclesia sub Rom. Pontifice per Episcopos regatur et ut potestas ordinis et potestas jurisdictionis per se et ordinarie in eodem conjungerentur, immediate confert in ipso charactere episcopali destinationem (ab ipso inseparabilem) ad regendam Ecclesiam seu ad ecclesiasticam jurisdictionem. Non autem ita urgeri potest textus, quasi Deus (quod verba possent significare) ipse revelatione designaret, quem gregem cui Episcopo velit attribui : nam hoc experientia aperte falsum est, et ab ipsis adversariis rejicitur : ergo fatendum est, in hoc textu esse aliquid indeterminatum et ambiguum, proinde licere nobis illud interpretari cum aliqua limitatione, ita ut Deus faciat aliquid immediate non tamen quidquid ipse facere posset et quidquid volunt adversarii eum facere. — 2°) Matt. XVIII. 18. : "Quæcumque alligaveritis etc" .. De quo ait Lainez op cit n 143. : " Ex illis verbis ... non colligitur, tunc fuisse datam aliquam jurisdictionem, quia de futuro loquitur Christus. Nam quod dicit : Dic Ecclesiæ, intelligendum est, dicendum ei fore, hoc est, ejus prælatis cum fuissent instituti et vocati. Quod vero dicit : Quæ alligaveritis, verbum est futuri temporis, et verbum in quo non solum non datur potestas, sed nec promittitur per ipsum Christum danda, sicut promisit Petro : tibi dabo claves, sed prædicitur illos habituros illam potestatem, non autem docetur a quo sint illam habituri, an a Christo immediate, an vero mediate per Petrum, et quodvis horum evasisset, vera fuisset Christi prædictio » — 3°) Joan. XX. 23. : "Quorum remiseritis peccata" etc. De quo Lainez

ibid: "Illa verba cum dicantur in consecratione cujusvis simplicis sacerdotis, qui nullam habet jurisdictionem, non intelliguntur de potestate jurisdictionis sed ordinis ut asserit S. Thomas in 4. dist 19 et 22. Et licet Dominus eis dicat (ibid): Sicut misit me Pater et ego mitto vos, accipite Spiritum S, — non per hoc significatur, illos aequalem cum Christo habere potestatem, sed quod ex sua plenitudine potestatis dat illis spiritum et potestatem spiritualem ad peccata remittenda" (quae potestas ut est ordinis, conceditur esse immediate a Deo) « cujus potestatis usus, ut serveretur unitas, pendebat a jurisdictione per Petrum conferenda. » — 4°) Matt XXVIII. 19: "Euntes ergo docete" etc. — De quo Lainez ibid: « Potestas docendi (magisterium) et baptizandi (sacramentalis), quem immediate a Christo acceperunt, non concludit, non accepisse eos jurisdictionem (sm potestatem distinctam ab illis) a Petro, quia potuit dari ad ordinatum usum ejus, qui exigebat, ut ab uno Petro jurisdictionem acciperent, ut sua potestate ordinate uterentur. Sed quia ---- probabilis est sententia eorum, qui dicunt, Christum D. ex privilegio voluisse per seipsum conferre omnibus Apostolis omnem, quam habuerunt, potestatem spiritualem, et id ex verbis praedictis probari: tamen adhuc non conficitur quod Episcopi licet sint Apostolorum successores. —, quod ab eo immediate accipiant jurisdictionem, a quo sui praedecessores Apostoli eam habuerunt. Nam videmus individua fere omnium specierum, quae fuerunt post prima illa individua immediate a Deo creata, illis primis successisse et ejusdem speciei esse et naturae cum illis, et tamen illa fuerunt immediate producta a Deo, sequentia vero immediate a suis progenitoribus, Adam v.g. — » Et cf thesim praecedentem de imperfecta successione Apostolorum in Episcopis.

Idem dicas de caeremoniis ab Ecclesia institutis quae objiciuntur, quae non sunt nimis presse accipienda quasi conferrent id quod significant. Quamvis enim in consecratione episcopali tradantur etiam symbola jurisdictionis, ut baculus, annulus, non sequitur propriam

De Ordine LXXVIII - 2

et actu jam existentem attribui jurisdictionem; sed per hæc significatur, et gradum episcopalem ex suo genere connecti cum regimine Ecclesiæ, et hominem qui consecratur eo ipso recipere proximam aptitudinem et destinationem ad ejusmodi regimen (cf et Lainez n. 189). Et absurdum secus sequeretur: nam etiam Presbyter, quia illi absolute dicitur in ordinatione: "Quorum remiseritis peccata" etc acciperet tunc jurisdictionem saltem in foro interno et quidem illimitatam et æqualem Episcopali et Papali (Lainez n. 241). — Cæterum possumus cæremoniis cæremonias opponere, v.g. solemnem formulam quâ utitur Romanus Pontifex in creandis Episcopis: "Providemus ecclesiæ N.... de N...., et præficimus eum in Patrem et pastorem ac Episcopum ejusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus et spiritualibus" etc — Fortasse etiam ut notat Lainez n. 251, illæ ceremoniæ quæ objiciuntur ideo inductæ sunt, quia olim dabatur ordinarie jurisdictio simul cum consecratione non tamen vi consecrationis: cf. supra p. 108 schol. Ev p. 577, seqq.

Nec valet objectio quod Episcopi per nos fierent meri vicarii Rom. Pontificis, contra id quod probatum est in thesi præced." Stare enim simul possunt hæc duo (respondet Bouix l. cit.): quod Christus voluerit ut a Papa singuli Episcopi suam jurisdictionem acciperent, et quod etiam voluerit ordinarie constitui a Papa Episcopos non tanquam vicarios ad nutum revocabiles, sed tanquam pastores et principes qui proprio nomine sibi commissas Ecclesias regerent, nec deberent nisi ex justâ causa removeri. » Dignitatem quam juxta adversarios Christus contulisset per se, eamdem prorsus potuit velle conferre per Romanum Pontificem. Sane, cum diversitate originis immediatæ stare potest essentialis identitas dignitatis (licet concedamus accidentalem quamdam dignitatem accedere ex collatione immediata a Christo et sic fuisse in Apostolis): et vicissim, cum identitate originis immediatæ stare potest essentialis diversitas dignitatis, et sic jurisdictio ordinaria Episcopi et jurisdictio delegata meri vicarii vere differunt, licet idem Romanus Pontifex [illegible] diverso modo immediata utriusque origo.

Pariter ad objectionem, quod a monarchia

ecclesiastica tolleretur concessum a nobis (supra p. 602, 4°) temperamentum ex aristocratia, sic respondet Bellarminus de Rom. Pont. l. 4. c. 24 : « Aristocratia Ecclesiæ requirit quidem ut Episcopi sint principes, et non simplices vicarii, sed non requirit ut isti principes instituantur a Deo, et non a Pontifice, sed solum ut Pontifex cogatur divina lege in variis Ecclesiæ partibus, diversos principes ecclesiasticos constituere : quomodo si alicubi rex teneretur in singulis provinciis non constituere prætores aut præsides (apud nos, "des préfets"), sed veros duces ac principes qui provinciam ut suam regerent cum dependentia tamen ad Regem"

Objectionem Vasquezii (in 1. 2. d. 152. c. 2.), Episcopos in actibus suæ jurisdictionis ordinariæ non dicere : « Auctoritate mihi a Rom. Pontifice concessa" — bene solvit Suarez ib. n 12; hæc formula reservatur auctoritate extraordinariæ et delegatæ, quare non solet adhiberi ubi agitur de ordinaria — Objectionem : « Si Pontifex est origo et causa jurisdictionis deberet eos vocare unice filios, non fratres » sic solvit Lainez n 196 : « Fratres sunt, quia potestatem ordinis episcopalis æqualem omnes immediate habent a Deo; cum hoc tamen a primogenito (scil Rom. Pontifice) habent jurisdictionem, ac si Rex ordinaret primogenito suo, ut fratribus aliis suis principatus aliquos impertiret. ».

Objectionem aliam attentu dignam sic proponit et solvit Turrecremata l. 2 c. 60 et 64 : « Potestas quæ est ab aliquo deficit illo deficiente (cum deficiente causa deficiat ejus effectus). Unde, siccata radice, ramorum deficit virtus, et exstincto fonte, rivulorum aqua siccatur. Si ergo potestas jurisdictionis aliorum Prælatorum Ecclesiæ derivatur a Papa, sequitur quod eo expirante aut moriente deficeret ceterorum Prælatorum auctoritas; sed hoc est falsum et inconvenientissimum : ergo et illud ex quo sequitur .... Respondetur dicendo quod hoc non sequitur ----, quia cessante causa in fieri tantum non oportet quod cesset effectus jam factus, sed solum cessante causa in esse. Non dicitur autem Papa ratione personæ, quæ corruptibilis est, quod sit causa in esse potestatis Ecclesiæ, (quia tunc bene sequeretur quod adversarii dicunt), sed isto modo scilicet sicut

causa in esse) sedes papalis, quæ non moritur (Extrav. de rescrip. cap. Si gratiose lib. 6), et quæ fundata est a Deo, non potest destrui et est causa omnium istorum in esse. Persona autem non est causa nisi in fieri, quandò ipse facit aliquem episcopum vel curatum. Et satis apparet consequentia illa adversariorum derisoria: quia isto modo probaretur quod constitutiones factæ per Papam non haberent vigorem sive auctoritatem a Papa, cum non perdant vigorem sede vacante. Unde argumentum concludit quod potestas Episcoporum aut curatorum non sit a Papa sicut a causa in esse considerata persona sua; a sede autem Papali sit sicut a causa communi quæ semper permanet. »

De illa distinctione inter Sedem et Sedentem Cf. Card Franzelin de Eccl. thes. 13, qui ait: "Distinctio oritur inter Sedem et Sedentem ratione perpetuitatis. — Sedes, hoc est perpetuum jus Primatus, ex parte Dei in ejus incommutabili lege et supernaturali providentia, ex parte Ecclesiæ in jure et officio potestatem pro singulis Petri successoribus divinitus institutam semper velut depositum custodiendi et successionem certa lege procurandi, nunquam desinit" = Potest etiam dici, illam sedem seu complexum abstractum jurium et officiorum Primatûs, etiam vacantem, moraliter perseverare præterea in suis effectibus, v.g legibus præcedentium Pontificum adhuc vigentibus." Sed singuli hæredes (pergit Franzelin) seu sedentes in sede Apostolica sunt homines mortales; adeoque sedes nunquam deficere, sed vacare potest et sæpe vacat. Cùm verò manet quidem divina lex et institutio perpetuitatis, manet hoc ipso jus et officium in Ecclesia, secundum legem statutam, procurandi successionem" (quæ lex de modo electionis ab ipsis emanat Pontificibus, cf. supra p. 514); "manent etiam participationes potestatum, quatenus aliis communicabiles et a superstite adhuc successore Petri communicatæ sunt, vel legitimè constitutæ et non abrogatæ: sed ipsa suprema potestas cum suis juribus et prærogativis, quæ nuspiam exstare potest nisi in uno singulari Petri hærede, jam sede vacante actu nemini competit." Quare Ecclesia

est tunc in statu imperfecto; sed hoc transeunter et per accidens, et simile quid habetur in omni monarchia electiva, et etiam democratia tempore electionum.

Atque eo facilius intelligitur responsio ad objectionem factam, quod influxus Papæ ad communicandam jurisdictionem non postulat essentialiter esse immediatus, sed olim in multis locis fuit mediatus tantum, v.g. aliquis Patriarcha a sede Romana habens jam antiquas facultates per modum legis Pontificiæ confirmabat Episcopos etiam inscio Papa, etiam sede Romana vacante (cf. p. 577, seqq.). Ergo a fortiori non est necessaria vita Pontificis ad conservandam jurisdictionem quam ipse immediate dedit Episcopo; qui non est merus delegatus, ut probatum est. – Sedes vero Romana si per impossibile destrueretur, tunc cessaret omnis ecclesiastica potestas, sicut siccato fonte siccantur rivuli; et ideo dicitur, Sedem hanc esse potestatum inferiorum causam in esse et quoad ipsam conservationem, non tantum in fieri, et quoad 1m originem et inchoationem.

Præter auctores citatos, cf de hac quæstione Salmeron t. 12, in Act. Apost., tract 61 et seqq.; Muzzarelli, opusc. 25, Origine de la jurisprudence des Evêques; – Hergenröther, Church and State, Essay 4.

Scholion II. De quibusdam systematibus intermediis. –

Bolgeni (l'Episcopato 1a p. c. 7), facta distinctione inter jurisdictionem particularem Episcoporum in propriam diœcesim, et jurisdictionem universalem quam aliquando participant in Conciliis œcumenicis, asserit 1m esse a Papa; 2am vero esse immediate a Deo et inseparabilem a potestate ordinis (dari proinde vi ipsius consecrationis episcopalis), licet exercitium ejus impediri possit a suprema Ecclesiæ auctoritate. – Systema istud 1o) non est proprie contra nostram thesim, quæ tractat directe de solâ jurisdictione Episcopi in propriam diœcesim; quæstionem autem de Concilio œcumenico remisimus ad

tract de Ecclesia ; — 2°) tamen novum est, ut notat Bouix eum refellens, de Episc p.1 s.1 c.8, nec solidum habet fundamentum. Ex eo quod Christus voluerit, ut aliquando Episcopi cum Rom. Pontifice in Concilium congregati, participent de potestate legislativa in universam Ecclesiam, minime sequitur, unumquemque Episcopum in sua consecratione accipere a Deo aliquam jurisdictionem actualem in Universam Ecclesiam. "Non enim, (ait Cercia s.9 lect.13) quod competit collectioni episcoporum, continuo dici poterit competere singulis individuis: nec item quod competit episcopis jam perfectis et absolutis in suo ordine per acceptionem jurisdictionis a Rom. Pontifice, et in Concilio admissis ac constitutis, continuo dici poterit competere Episcopis utcumque inspectis nec aliis instructis nisi sola consecratione". — Et 3°) sequeretur, episcopos sine ulla jurisdictione dioecesana, seu honorarios, (quos jam in primis saeculis aliquando extitisse probat ipse Bolgeni ; cf supra p.87) habere jus et quidem jus divinum ut sedeant in Conciliis oecumenicis. Jam vero (ait Bouix l.c.) " si pervolvas probatae doctrinae auctores catholicos, ubi expendunt an et cur ad Concilium oecumenicum necessario debeant vocari Episcopi, generaliter reperies hoc eos principio niti, quod ratione ordinariae jurisdictionis quam singuli in commissas sibi dioeceses habent, sint Ecclesiae principes, atque ab ipsis recte tota Ecclesia repraesentetur, utpote qui singuli singulos greges quibus praesunt, repraesentent." Ex tali principio excluduntur episcopi honorarii, qui merum haberent potestatem ordinis. Cum quibus non videntur omnino confundendi episcopi titulares seu in partibus, nam hi habent assignatam dioecesim et jurisdictionem particularem quamvis ligatam (cf supra p.601). Utrum hi titulares habeant jus sedendi in Concilio, magna fuit controversia tempore Vaticani: cf DD. Cécconi, hist. du Conc. du Vatican, t. 2 p.348 seqq. — Ecclesia hanc abstinuit a quaestione speculativa solvenda ; et praescindendo a jure, fuerunt de facto vocati, quod pendet a nutu Pontificis (cf supra p.113) — La occasione, systema Bolgeni fuit a nonnullis propugnatum : cf scriptores a Cécconi citatos, ibid. — 4°) Jurisdictio illa universalis habetur immediate a Deo

vi consecrationis (sicut ipsa potestas ordinis), non apparet quomodo possit ab Ecclesia ligari non solum quoad licitatem, sed etiam quoad validitatem (supra p.): cur non possent v.g. Schismatici orientales si se intruderent in Concilium œcumenicum, valide judicare de fide et disciplina, licet illicitè: cur hæretici et schismatici dicantur a Patribus pseudo-episcopi (cf supra p. 85) cum habeant tamen et juxta omnes potestatem episcopalem ordinis, et juxta adversarios aliquam etiam potestatem episcopalem jurisdictionis: cf Cercia l. cit.

Aliud systema quod jam refellebat Laynez op. cit. n. 136, quodque instauratum est sæc. XVII a P. Cellot s.j. Parisiensi, in opere "de Hierarchia et Hierarchis", docet jurisdictionem episcopalem in foro externo esse a Rom. Pontifice, in foro autem interno esse immediate a Deo et per consecrationem ipsam dari (quamvis a Papa ligari possit) — Systema hoc 1°) non adeo impugnat nostram thesim quæ maximè respicit jurisdictionem in foro externo. — 2°) si conceditur, Papam conferre jurisdictionem in foro externo, gratis et arbitrarie subtrahitur ipsi collatio jurisdictionis in foro interno; — 3°) Hic etiam valet argumentum factum supra p. subditos hujus jurisdictionis a Christo in consecratione assignari vel quosdam, sed falsum est; vel nullos sed tunc nulla est ista jurisdictio; vel omnes christianos, sed tunc singuli Episcopi haberent jurisdictionem pœnitentialem universalem, quod plane repugnat praxi Ecclesiæ, unde vel Ecclesia injustè eis tantam jurisdictionem semper tolleret, vel Christus inutiliter et insipienter illam eis tradidisset: utrumque impossibile: ergo tantam non habent (cf. supra p. 592). — Caterum ad limitandam istam sententiam, memento, actum quo Episcopus aliis dat jurisdictionem in foro interno, pertinere revera ad jurisdictionem externam (supra p. 107): unde Episcopus tantum prose acciperet immediate a Deo facultatem absolvendi, in ista sententia.

Thesis XXIII

Episcoporum excellentia supra presbyteros quoad jurisdictionem non fuit tardius invecta, sed viget a tempore Apostolorum, — 2) imo est de jure divino, recto quodam sensu.

St.Q. Excellentiam episcoporum supra presbyteros sicut in thesi V jam probavimus quoad potestatem ordinis, ita nunc probaturi sumus quoad potestatem jurisdictionis seu gubernationis.

Adversarii sunt iidem cf. p. 133, 134 (Cf. etiam Renan supra p. 25.)

1a pars hujus thesis praescindit a jure divino: tantùm defendit discrimen inter episcopos et presbyteros (quoad jurisd.) non esse usurpationem aut innovationem tardiùs invectam, sed semper viguisse in Ecclesiâ a tempore Apostolorum, sive apostoli hoc discrimen promulgaverint jure divino statutum, sive ipsi suâ auctoritate statuerint ut legem, hucusque non immutatam.

Præsupponentes igitur thesim V^am^, et „episcoporum" nomine intelligentes eos qui habent potestatem ordinis supremam et sic a presbyteris jam distinguuntur, nunc addimus eos fuisse semper destinatos per se ad regendum (licet per accidens possint carere jurisdictione, cf. thes. III) atque etiam in hoc præstare Presbyteris, quos regere nati sunt. Valorem thesis sic exprimit Benedictus XIV, de Syn. diœces. l. 13. c. 1. n. 2: „Ecclesiæ catholicæ firmissimum dogma est, Episcopos esse superiores Presbyteris non solum potestate ordinis, sed etiam jurisdictionis. Hanc veritatem, contra Calvinum, definivit Trident. s. 23 de Ord. can. 6." — Trid. quidem rem non habet disertis verbis, nam canon 6us posset intelligi tantum de hierarchiâ ordinis; et in canone 7° (et cap. 4) definit tantum, "Episcopos presbyteris superiores esse"; sed hæc

vox "superior" potius congruit jurisdictioni ; et quod præsertim considerandum est, contextus in cap. 4°, indicat agi etiam de jurisdictione : « S. Synodus declarat episcopos .... positos a Spiritu S^to regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse », deinde addit quæ sunt ordinis : « ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare », etc.

Prob. 1^a pars.

1.- Traditione — Patres 1°/ distinguunt Episcopum a presbyteris etiam ratione jurisdictionis, ita ut Episcopus sit unius particularis Ecclesiæ supremus gubernator, cui presbyteri obedire debeant ; — 2°/ tempore Apostolorum jam extitisse hoc discrimen testantur.— Ergo.

Probo Antec. quoad 1um

S. Ignatius M. luculentissima habet testimonia — Non tantum a/ distinguit semper Episcopum a presbyteris vel presbyteris, tanquam unum et ordine primum a subordinata multitudine, v.g. supra p. 20 et epist. ad Polycarpum c. 6 (Migne V. 723) : « Qui subditi sunt Episcopo, presbyteris, diaconis, ultimam mihi contingat cum illis partem habere in Deo. » — sed etiam b/ subordinationem presbyterorum ad Episcopum exprimit ; v.g. ad Ephes. c. 4 (Migne V. 647) eam proponit fidelibus ut exemplum : « Decet vos in Episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est Episcopo, ut chordæ citharæ : propterea in consensu vestro et concordi charitate Jesus Xtus canitur. » — Aliâ pulchrâ utitur metaphorâ ad Magnesios c. 13 (M. l. c. 674) : « Cum dignissimo Episcopo vestro, et digne contextâ spirituali coronâ presbyterii vestri », etc. Et ad eosdem c. 3 : « Sed et vos decet non familiariùs uti ætate Episcopi, sed respectu potentiæ Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam ; quemadmo-

dum cognovi sanctos facere presbyteros, qui non temere
dijudicant conspicuam illius conditionem juvenilem,
sed ut prudentes in Deo ei cedunt, non ei autem, sed
Patri Jesu Christi, omnium episcopo. In honorem igitur
illius, qui amat nos, decet obedire sine ullâ hypocrisi."
Et ad Trallianos c. 12 (M. ib. 683) "Decet singulos
vestrum, et præcipuè presbyteros, recreare Episcopum."
— Et c) gradum diversum jurisdictionis indicat si-
militudinibus, v.g. ad Magnes. c. 6: "Episcopo præ-
sidente loco Dei, et presbyteris loco senatûs apostolici,"
etc.; Deus utique est supra senatum apostolicum. —
— d) Unitatem Episcopi in Ecclesiâ particulari so-
lemniter asserit ad Philadelph., supra p. 181; —
missionem ejus ad gubernandam familiam illam, ad Ephes.
c. 6 — M. ib. 650): "Quemcunque Paterfamilias mittit
ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debe-
mus ut illum ipsum qui mittit. Manifestum igitur
est, quod Episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum."
— Et hanc regiminis formam non tantum in illis Ec-
clesiis Asiæ, sed et ubique vigere indicat, ad Eph. c. 3.
"Episcopi per tractus terræ constituti, in sententiâ Jesu
Christi sunt: unde decet vos in Episcopi sententiam con-
-currere." — e) "Terminons (avec P. De Smedt op. cit.)
par une parole du St évêque d'Antioche (ad Rom c. 9)
qui montre jusqu'à quel point il regardait l'administra-
-tion de son église comme concentrée tout entière entre ses
mains: "Souvenez-vous, dans vos prières, de l'église de Syrie,
qui n'a d'autre pasteur, pour tenir ma place, que Dieu.
J. C. y suppléera l'évêque, et aussi votre charité." Cepen-
dant il avait laissé à Antioche des prêtres et des diacres.

Tertullianus, supra p. 22, clare agnoscit
supremam "auctoritatem" seu jurisdictionem "Episcopi", supra
ipsos "presbyteros", in re liturgica: sicut et Ignatius
supra p. 99.

Origenes (supra p. 23) supra "laicos",
"diaconos", ipsosque "presbyteros" agnoscit suo tempore

aliquem "qui totius Ecclesiæ arcem obtinet, qui pro omni Ecclesia reddet rationem" (quod est supremi gubernatoris); is nequit alius esse quam Episcopus (nisi malint adversarii eum loqui de Rom. Pontifice quoad universalem Ecclesiam, sed hoc magis adhuc eis repugnaret.)

(Adde plures sequentes textus, qui probantes 2um partem antecedentis, a fortiori probant 1^am^)

Probo antec. quoad 2^m^

a) S. Ignatius, supra cit., non ut quid novum et tunc exsurgens, v.g. suo tempore ab aliquo Concilio institutum, regimen episcopale Ecclesiæ discrimenque a presbyteris exhibet, sed ut quid jam diu receptum et consuetum. — Atqui ipse fuit Joannis Apostoli auditor, et anno 107 obiit. — Ergo necesse est, ut ipso tempore Apostolico eadem jam extiterint.

b) Consentiunt Patres, Apocalypsim interpretantes c. 2 et 3, Episcopos intelligi nomine "Angeli Ecclesiæ Smyrnæ, Angeli Eccæ Ephesi", etc ad quos ex mandato Christi scribit Apostolus. His de angelis Asiæ jam dicebat Tertullianus, lib. 4 c. Marcion. c. 5): Habemus Joannis alumnas Ecclesias: ordo Episcoporum, ad originem recensus, in Joannem stabit auctorem. " Jam vero illi Episcopi habebant singuli in suas Ecclesias, jurisdictionem, quod apparet ex ipso Joanne: nam (ut advertit Card. Franzelin de Eccles. th. 15) "ipsis attribuuntur tum bona, tum mala opera, quæ patrantur in Ecclesiis eorum curæ commissis, utpote qui vigilant tanquam rationem Deo pro animabus reddituri; singulorum est in singulis Ecclesiis tenere et servare quæ acceperant ab ab Apostolis (Apoc. III. 3), examinare, damnare, et arcere doctrinas contrarias et falsos doctores (II. 2, 14, 15, 20), vigilare, confirmare, exigere subjectionem (III 2. 9.)". Aliunde inter eos, quos regebant, fuerunt certo presbyteri, quod scimus, tum ex testimonio valde antiquo

S. Irenæi « episcopos et presbyteros » asserentis fuisse in eadem illa Asia Minore et quidem jam ipso tempore Pauli Apostoli (supra p. 176, 177), tum ex antiquiore testimonio S. Ignatii, qui paulo post Joannem, ad illas easdem Ecclesias, v.g. ad Ephesios et Smyrnæos scribens, ubique presbyterium sub Episcopo existere testatur. Ergo jam tempore Apostolorum, ex Scriptura per Patres explicata, existebat discrimen episcoporum et presbyterorum etiam quoad jurisdictionem, existebat unitas Episcopi unam Ecclesiam particularem ejusque totum clerum regentis. — Cf. Natal. Alexandrum, diss. 44 in sæc. 4um, initio; Hergenröther, hist. eccl. t. 1, n. 186.

c). In singulis Ecclesiis diligenter servabatur catalogus episcoporum qui sibi invicem successerunt, descendendo a tempore Apostolorum, (saltem ubi agebatur de Ecclesiis præcipuis fundatis Apostolorum tempore). Primus historicus Ecclesiæ, Hegesippus, in medio sæculo secundo, colligit illas episcopales successiones (apud Euseb. hist. eccl. l. 4, c. 22). Aliquos ex illis catalogis nobis transmittit Eusebius, l. 2, c. 23, 24; l. 3, c. 2, sqq.: textus ejus habes apud Franzelin l. cit. — Eusebius impossibile putat (l. 3, c. 37) ex nomine cunctos recensere, qui ubique a tempore Apostolorum fuere pastores, adeoque eos solos recenset qui in quibusdam præcipuis sedibus consederunt, Romæ, Hierosolymis, Antiochiæ, Alexandriæ. — Hinc etiam Tertullianus, de præscript. c. 32, provocabat sui temporis hæreticos ut similes catalogos producerent: « Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. » — Aliqui illa antiqua consuetudo analoga consuetudini qua regum vel consulum sibi succedentium nomina in nationibus conservabantur et conservantur, ostendit episcopos jurisdictionem habuisse in Ecclesiam, eosque presbyteris superiores fuisse, secus non unius episcopi post alium catalogus fuisset contextus, sed omnium simul presbyterorum in unaquaque Ecclesia, quam omnes æqualiter

rexissent. — Ergo inde superioritas episcopi demonstratur, et quidem ab ipso Apostolorum tempore, a quo incipiebant catalogi.

d.) — In omnibus Orientalium sectis separatis (v.g. apud Syros et Coptos monophysitas, Chaldaeosque Nestorianos, qui omnes saec. V se separaverunt) reguntur Ecclesiae ab episcopis, qui presbyteros sibi subditos habent: Cf. Renaudot, Perpétuité de la foi, t. V, l. 5, c. 10. — Imo jam haeretici saec. II^i „episcopos" habebant ad regendas suas Ecclesias, quorum originem postulabat Tertullianus supra cit.; Novatianus schismaticus saec. III „episcopos" conficiebat suae sectae, de quo ait S. Cyprianus, epist. 52, n. 2b: „Cum jampridem per omnes provincias et per urbes singulas ordinati sint episcopi, ... ille (Novatianus) super eos creare alios pseudoepiscopos audeat!". — Atqui consensus hujusmodi explicari nequit nisi quia in primis saeculis omnibus notissimum erat, episcopos ab initio fuisse constitutos ad gubernandas Ecclesias, non vero innovationem et usurpationem fuisse.

e) — Patres saepe significant gubernium Episcopi supra presbyteros totamque suam Ecclesiam esse essentiale seu necessarium, ita ut debuerit proinde ab initio semper existere. — v.g. S. Cyprianus ad Florentium, ep. 69, n. 8 (Migne IV, 406): „Scire debes Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse." Et ibidem n. 5: „Inde enim schismata et haereses ortae sunt et oriuntur, dum Episcopus, qui unus est et Ecclesiae praest, superba quorundam praesumptione contemnitur", etc. Cf. et loc. cit. supra p. 597.

S. Hieronymus, in dialogo contra Luciferianos v.g. (Migne XXIII, 165): „Ecclesiae salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam, et ab omnibus eminens data potestas, tot erunt in Ecclesia schismata, quot sacerdotes: inde venit ut sine chrismate et episcopi jussione, neque presbyter neque diaconus jus habeant baptizandi." Ubi S. Doctor considerat eam "potestatem" quae servat Ecclesiam in unitate contra "schismata", et a qua procedunt "jussiones":

quæ est potestas jurisdictionis : et hujus potestatis gradum eminentem « exortem » in episcopo esse, cui subdantur ipsi « presbyteri », necessarium declarat ad salutem Ecclesiæ : ergo prima Ecclesiæ fundatio debuit hanc hierarchiam jurisdictionis complecti. — S. Hieron. idem indicat comparatione hujus hierarchiæ cum hierarchia V. Test., quæ essentialem habebat distinctionem similem graduum ; v.g. ep. 52 ad Nepotianum presbyterum n.7 (Migne XXII, 533) : « Esto subjectus Pontifici tuo.... Quod Aaron et filios ejus, hoc esse episcopum et presbyteros noverimus. »

II. Ratione. Ex impossibilitate mutationis.

Cf. Wirc. de Ord. n. 97 in fine ; et quæ diximus supra p. 26. — Argumentum sic evolvit L. Duchesne (Les origines chrétiennes, leçons d'hist. eccl. professées à l'école supérieure de théologie de Paris, ch. 6) : « Franchissons les cinquante années écoulées depuis la mort de S. Jean jusque vers le milieu du second siècle, nous trouvons l'episcopat fonctionnant partout : il y a des évêques à Rome, à Lyon, à Athènes, à Corinthe, à Smyrne, à Sardes, à Hierapolis, dans toute l'Asie, dans le Pont, en Crète, dans tous les pays sur lesquels il subsiste quelque renseignement. Nulle part cette institution ne présente la moindre apparence de nouveauté. Certaines églises ont déjà dressé des listes qui rattachent l'évêque vivant au fondateur apostolique ou contemporain des apôtres. Hégésippe, qui voyage vers ce temps là, recueille ces successions épiscopales où les établit lui même d'après le souvenirs et les documents indigènes. La succession romaine nous est connue par S. Irénée (l. cit. supra p. 45 9), celle d'Athènes par S. Denys de Corinthe (apud Euseb. hist. eccl. l. 4, c. 23) ; la 1re remonte aux apôtres Pierre et Paul, l'autre à St Denys l'Aréopagite. A Rome, la succession épiscopale était si bien connue, si bien classée chronologiquement, qu'elle servait à dater l'apparition des hérésies ; on disait sous Anicet, sous Pie, sous Hygin. (C'est le procédé employé par S. Irénée, ou l'auteur plus ancien qu'il copie, I, 22-27, pour dater Cerdon, Marcion,

Valentin, Carpocrate). Dans la question de la Pâque, certains faits furent datés de la même façon, en remontant plus haut encore, jusqu'à Télesphore et Xystus I, c'est-à-dire jusqu'à la fin du règne de Trajan ....»

«Dira-t-on que l'exemple et l'influence de St Jean sont parvenus à implanter (plus tard) à Rome, en Grèce, en Macédoine, une forme de gouvernement ecclésiastique inconnue jusqu'à la mort de cet Apôtre et même assez longtemps après? Il y a des personnes qui ne reculent pas devant cette conclusion, sans songer que l'intervention de l'église romaine dans les affaires de Corinthe (1er siècle; supra p. 18, 356), et plus tard la résistance de Rome à l'usage pascal d'Asie (2me siècle; supra p. 416), montre qu'à l'occident d'Ephèse on avait des autorités et des traditions auxquelles on donnait la supériorité même sur S. Jean. — On a parlé aussi des Clémentines dans lesquelles on voit S. Pierre organiser des églises avec l'épiscopat unitaire; mais, outre qu'il serait singulier qu'un changement de cette importance eût été introduit par un livre apocryphe, les Clémentines étaient encore à naître longtemps après le milieu du 2me siècle. — On a mis aussi en avant l'ambition de certains membres des collèges presbytéraux... Mais ces ambitions individuelles, suffisantes pour expliquer l'envahissement de fonctions honorables par des personnes indignes, ne le sont pas pour expliquer la création de ces fonctions elles-mêmes.»

«La transformation d'un collège de membres égaux en une sorte de conseil dans lequel toute l'autorité réelle appartient à l'un des membres aurait été une véritable révolution. Elle aurait eu contre elle l'intérêt de tous les collèges presbytéraux, et, toujours dans l'hypothèse que nous combattons, la tradition antérieure dont tous les fidèles étaient témoins et dépositaires. Qu'un tel changement ait pu s'opérer dans quelques communautés isolées, cela est possible; mais qu'il se soit produit en même temps dans toutes les églises du monde romain, c'est tout à fait invraisemblable.

Et ce qui est plus incroyable encore, c'est que cette révolution, qui n'a pas pu triompher sans des luttes très-vives et très-longues, n'ait pas laissé de traces dans l'histoire. »

Donc « les faits et témoignages historiques sur l'existence universelle et incontestée de l'épiscopat unitaire vers le milieu du IIe siècle ne peuvent s'expliquer par des causes tardives et secondaires. Il n'y a que l'autorité des Apôtres qui ait pu introduire et légitimer une telle institution. »

2a Pars.

S.Q. Tridentinum, s.23, cap.4 et can.7, definivit « Episcopos esse presbyteris superiores » : nec addita sunt verba : « de jure divino », quae multi episcopi, praesertim Hispani et Galli, addi volebant. Ratio non addendi fuit, quod haec verba a multis tunc intelligerentur quasi asserrent, singulos Episcopos suam jurisdictionem accipere immediate a Deo (dum presbyteri nonnisi a superiore ecclesiastico jurisdictionem acciperent) : quam controversiam, in thesi nostra praecedente solutam, Patres magna contentione agitaverant, noluerunt definire : cf. acta concilii citata a Raynaldo, ad annum 1562, n.121, seqq. (breviter apud Bouix de Episc., p.1, s.1, c.6) ; cf. et Bened. XIV de syn. dioeces. l.1, c.4, n.2 — Inter eos qui insertionem verborum « jure divino » (saltem in quantum intelligerentur de potestate jurisdictionis) impedierunt, praecipuas partes habuit Laynez, ob rationem dictam : et cum objiceretur, necessariam esse illam insertionem ad vitandum errorem Aerii (cf. sup. p.133) a Calvinistis aliisque renovatum, Laynez merito respondebat (disp. de orig. jurisd. episc. n.207) : « Satis vitatur error Aerii, si dicatur differre episcopum a presbytero eumque excellere quoad potestatem ordinis jure divino, quoad jurisdictionem vero jure ecclesiastico » (saltem).

Nostris vero diebus, cum Concilium provinciale Quebecense anno 1863 sua decreta misisset Romam ut approbarentur, hoc invenimus in responsione S. Congreg. de Propaganda Fide (collect. Lacensis concil. recentiorum, t.3, p.684) : « In decreto 6o, Eminentiss. Patres judicarunt minus accurate dictum

quod legitur ad calcem capitis 1i, "Dogma itaque catholicum est Episcopos jure divino presbyteris superiores esse"; ac jusserunt ut isthaec propositio aliquantulum reformetur, adhibitis verbis quibus in eodem Dogmate declarando usus est Bened. XIV de syn. dioec. l. 13, c. 1." (cf. supra p.)

Quamvis autem Ecclesia a tali formula definienda abstinuerit, saltem ad tempus, ne illa utpote aequivoca aliqui abuterentur: tamen vero quodam sensu dici potest et debet, superioritatem Episcoporum etiam quoad jurisdictionem esse de jure divino: neque inter Catholicos esset de hac re dissensio, dummodo recte exponeretur. Quis sit ille rectus sensus, ex argumento nostro apparebit.

Probatur.

Supposito et jam probato discrimine Episcoporum et Presbyterorum simplicium quoad potestatem ordinis (cf. th. V), primi etiam quoad jurisdictionem differunt et excellunt jure divino, si soli hoc habent proprium, ut praecepto divino debeant ordinarie adhiberi ad regimen Ecclesiae.

Atqui Episcopi soli hoc habent proprium. Ergo.

Probo min. Ex una parte, Christus praecepit ut Ecclesia gubernaretur ordinarie per Episcopos Apostolorum successores, ita ut Summus Pontifex nequeat illam gubernationem supprimere, nequeat v.g. totam Ecclesiam gubernare per simplices presbyteros a se delegatos, imo neque per eos qui sint Episcopi ordine, sed meri Vicarii Pontificis sine jurisdictione propria et ordinaria. In hoc consentiunt Catholici, etiam ii qui maxime negant, Episcoporum singulorum jurisdictionem immediate a Deo esse. cf. th. XXI 1a p., et XX 1a p. — Ex alia parte, nullum est simile praeceptum quoad simplices presbyteros: sed bene possunt sine omni jurisdictione relinqui cum sola sua potestate ordinis, et ex eis illi ipsi, quibus aliqua jurisdictio de facto communicatur ut auxilientur Episcopis, possent in toto mundo esse meri delegati Episcoporum ad nutum revocabiles, sine ullo stabili munere, sine ulla ordinaria jurisdictione: nam stabile munus Parochorum non est nisi de jure ecclesiastico, proinde posset a Romano Pontifice in toto mundo supprimi.

(cf. thesim sequent.). Caeterum qui falsò asseruerunt Parochos (scilicet sacerdotes secundi ordinis et ab Episcopis diversos, habentesque jurisdictionem stabilem et ordinariam) esse de jure divino, alio modo probant ipsi nostram thesim. Nam nequit admitti jurisdictionem Parochorum esse de jure divino, quin a fortiori (ex argumentorum quae afferuntur) admittatur jurisdictionem Episcoporum esse de jure divino: et revera id isti admittebant. Ergo ex ista sententia, jure divino existunt duo illi gradus hierarchiae jurisdictionis, Episcopi et Parochi, ita ut gradus episcopalis sit ex natura sua, justa omnes, superior parochiali: ergo jure divino Episcopi sunt presbyteris (etiam parochiam habentibus) superiores jurisdictione.

Scholion ad solv. difficultates.

1°) Difficultatem praecipuam Presbyterianorum, quae ex primaeva confusione nominum « Episcopi » et « Presbyteri » petitur, jam solvimus, observando a) confusionem nominum non esse idem ac confusionem rerum, sup. p. 133; — b) imo illam confusionem nominum non fuisse tantam, quantam fingunt, sup. th. VI.

2°) Si spectatur potestas non jurisdictionis sed ordinis, et quidem in potestate ordinis solum id quod est natura sua nobilissimum scil. potestas consecrandi Eucharistiam, sub eo respectu speciali episcopus et presbyter possunt aequari in eodem "sacerdotio", et poni simul in gradu supremo et honore omnium maximo: et sic aliqua verba Patrum explicantur (cf. sup. p. 170). — Inde etiam explicantur appellationes « fratrum, collegarum » etc. (cf. sup. p. 433): eo magis quod saepe agitur de iis presbyteris, qui unum collegium faciebant cum Episcopo, scilicet ad presbyterium et senatum ejus pertinebant, admissi ab eo in collegialem participationem quamdam jurisdictionis in totam dioecesim.

3°) « Successores Apostolorum » dicuntur aliquando presbyteri, Dist.: per « presbyteros » intelligendo Episcopos, veteri usu loquendi (cf. th. VI, 1ª p.), Conc.: simplices presbyteri, subdist.:

sensu latiori, et quoad solam potestatem ordinis succedentes, conc; etiam quoad potestatem jurisdictionis sicut Episcopi (th. XX 1a p.) Nego. -Cf etiam quæ diximus de voce « Sacerdos » (p. 182 et seqq.), ut æquivocationes vitentur.

4°) Quoad S. Hieronymum qui maxime nobis objicitur, distingue a) opinionem ejus historicam quod initio Ecclesiæ fuerit omnimoda confusio nominum "Episcopi" et "Presbyteri" : hæc est quæstio mere historica et secundaria, in qua concedimus S. D. nobis adversari, et sententiam ei oppositam amplectimur, sed ut probabiliorem tantum (cf. th. VI, 3a p.); — b) quæstionem theologicam de discrimine Episcopi et presbyteri quoad potestatem ordinis: discrimen illud clare admittit S. Hieronymus et in hoc nobiscum est, (sup. p. 142); — c) quæstionem aliam theologicam de discrimine quoad potestatem jurisdictionis. Hic etsi concederemus errasse S. Hieronymum, quid inde ? — Non propterea dicendus esset incidisse in hæresim Aerii (ut dixit Medina, qui ab aliis theologis communiter reprobatur): nam Aerius tollebat omne discrimen etiam quoad potestatem ordinis. Et sane si in hæresim Aerii lapsus esset S. Hieronymus, non intelligitur quomodo eum non impugnavissent coævi ejus S. Epiphanius et S. Augustinus, qui Aerium refutaverunt (sup. pp. 133, 137, 141): præsertim cum Epiphanius esset diligentissimus omnium errantium inquisitor et insectator, et Augustinus acriter contra Hieronymum pluribus annis disputaverit. Deinde dici posset, Hieronymum se retractasse : cf. textus ejus allatos supra p. . Et sic Bellarminus (l. 1 de Cleric. c. 15) concedit S. Hieronymum sensisse, Episcopos jure duntaxat ecclesiastico presbyteros antecellere potestate jurisdictionis « quamvis S. D. non fuerit constans in hac sua sententia. » Cæterum memento hanc sententiam nunquam fuisse ab Ecclesia damnatam, nec dici posse hæresim (sup. p. 633).

Verum ostendi potest in hac 3a quæstione S. Hieronymum a sanâ doctrinâ nunquam dissensisse, saltem id non probari ex locis allatis : præsertim nobis hoc est facile ostendere, qui jus divinum Episcoporum non ultra modum exaggeramus —

Clarior locus in quo apparet illa Hieronymi doctrina, est Commentarius in Tit. cap. 1 : « Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis : Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ » – (scil. ante schisma Corinthiacum, seu dissensiones illas quas reprehendit Paulus ad Cor.), – « communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam autem unusquisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur ». Infra addit « paulatim, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita Episcopi noverint, se magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate, presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret. »

Ibi S. D. non negat omne jus divinum in jurisdictione Episcoporum, siquidem ipse ait « magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate : » ergo partim ex jure divino, partim ex consuetudine Ecclesiæ. Jus divinum in eo habetur quod Episcopi, ex Dei præcepto habeant in genere exigentiam quamdam ad regendum, quam simplices presbyteri non habent : sed jus divinum non exigit, ut semper et solus Episcopus gubernet. Potest certe jurisdictio episcopalis, in specialibus adjunctis, a Summo Pontifice demandari simplici presbytero, vel pluribus ; potest collegium presbyterorum, seu presbyterium adjunctum Episcopo, magnam participationem recipere in jurisdictione episcopali, et sane in primis Ecclesiæ temporibus majorem participationem habuit quam nunc, et hæ variationes sunt « consuetudinis » Si ergo, « dissensionum » metu, gubernium particularis Ecclesiæ ita modificatum est ut "omnis sollicitudo ad unum esset delata », id non est præcise ex jure divino. Merito igitur

Hieronymus, in potestate episcopali qualis erat in concreto, suo tempore, mixtionem juris divini et consuetudinis videbat. Sed cur ibi agnoscit magis elementi humani quam divini ? Hoc bene potest sic explicari cum Greg. de Valentia, de Controversiis fidei, lib. de Epsc. et presbyt. disp. c. 3 : « Cum jurisdictio haec Episcoporum ab institutione sive dispositione divina sit tantummodo secundum potentiam quandam, secundum actum autem ab ipsa Ecclesia, quae illam immediate tribuit » (cf. th. XXII) ; « et in omni genere amplius aliquid sit actus quam potentia ; ideo Hieronymus dicit, magis ex Ecclesiae decreto et consuetudine, quam ex vi sive veritate ipsius divinae dispositionis, jurisdictionem illam Episcopis ubique competere . . . ., quia ab illo (ecclesiastico decreto) est secundum actum, ab hac (divina dispositione) tantum secundum potentiam ; et quidem ita, ut non obstante ea dispositione dominica secundum potentiam, potuerit Ecclesia multis in locis jurisdictionem illam presbyteris in communi attribuere, sicut etiam aliquando fecit. » — Videtur enim Hieronymus etiam hoc velle, quod ante schisma Corinthiacum multae ecclesiae regerentur collegio presbyterorum sive Episcopo : multae, non omnes, nam Hieronymus ipse in libro de scriptoribus ecclesiast. refert, ecclesiam Hierosolymitanam mox post Ascensionem Salvatoris gubernatam fuisse ab episcopo Jacobo. — Haec autem est quaestio historica et secundaria, et opinio Hieronymi transmitti potest : nihil fuisset mirum in eo quod multae Ecclesiae per annos paucos primum illud gubernium collegiale habuissent, quod etiam hodie habetur Sede vacante ; praesertim cum in collegiis processent Apostoli adhuc viventes, ad quos huc illuc discurrentes recurri poterat in difficultatibus. Et quamvis haberent Apostoli praeceptum divinum, ut generatim gubernium Episcoporum post se relinquerent, non ideo statim debebant illud exsequi ; sicut videmus eos paulisper expectavisse, donec primos creavarent diaconos, et quadam adjunctorum necessitate ad hanc creationem devenisse (cf. th. VIII). Nam aliud est defectus juris divini, aliud

est defectus facti in aliquo gradu hierarchiæ, præsertim primis illis temporibus, in quibus factum inchoabatur tantum, et erat aliquando ex necessitate incompletum, advertente S. Epiphanio supra p. 179 (qui tamen potius defectum presbyterorum quam Episcopi supponit initio, in qua historica quæstione cum Hieronymo non concordat).

Ita Greg. de Valentia l. cit: « Dico... sententiam Hieronymi esse, quod in aliquibus quidem Ecclesiis olim ipsimet simplices Presbyteri habuerunt in communi potestatem episcopalem regendi; ac proinde ea quidem ratione eosdem fuisse Presbyteros et Episcopos, videlicet, quoad regendi præeminentiam sive potestatem. Postea vero propter schismata decretum ubique locorum fuisse, ut unus de presbyteris eligeretur, qui auctoritatem illam regendi, hoc est potestatem jurisdictionis episcopalis haberet, ac simul etiam ordinaretur Episcopus, esseteque ordinis quoque potestate superior: hoc enim simul Hieronymus subintellexit: quandoquidem, ut diximus, de potestate ordinis numquam ille dubitavit quin semper Episcopus fuerit et debuerit esse presbyteris superior... Atque hoc totum ita disseruit Hieronymus, ut Episcopi non magnopere propter præeminentiam jurisdictionis superbirent, et simul intelligeretur quanta esset dignitas presbyterorum. Denique quod ad extremum Hieronymus dicit, debere Episcopos in communi Ecclesiam gubernare, non significat, debere illos ex communi auctoritate presbyterorum regere (tunc enim contradiceret Ecclesiæ decreto contrario, quod ipsemet commendat), sed debere uti illorum consilio, prout res ipsæ postulaverint, alioqui temere gubernarent. » — cf. Bianchium, Potestà e politia della Chiesa, t. 3, l. 1, c. 2, § 7, seqq.; — Mamachium, Origines christianæ l. 4, c. 4, § 2.

Nec sine causa videtur Hieronymus presbyterorum dignitatem defendisse contra quosdam Episcopos et diaconos sui temporis, ut advertit Phillips (du droit eccl. dans ses principes généraux t. 1, § 35), post Berardium et alios: « De son temps, les diacres, qui avaient dans leurs

attributions la manutention et la répartition des deniers de l'Eglise - (unde apud fideles magna eis auctoritas esse debebat, praesertim cum Episcopus diaconis tunc uteretur ad multa etiam alia regenda, v.g. ad invigilandum publico ordini in conventu fidelium) - les diacres affectaient, à l'égard des prêtres, des prétentions qui n'allaient à rien moins qu'à les affranchir de toute dépendance vis-à-vis d'eux. (Eum etiam prasim non erant ordinarii « Parochi », ut infra dicemus, sed Presbyteri magis erant ad nutum Episcopi, qui eis ut meris delegatis utebatur). D'un autre côté bon nombre d'évêques enlevaient aux prêtres presque toute action, et par contre-coup tout moyen d'existence. Les évêques faisaient donc en quelque sorte cause commune avec les diacres contre les prêtres, et de cette ligue résultait pour ceux-ci une position compromettante pour leur dignité, ravalée encore par des choix indignes et avilissants. A la vue d'un tel état de choses, ... Jérôme se sent atteint au vif dans sa dignité sacerdotale ... s'il affecte de rabaisser celle des diacres au-dessous de son véritable niveau (cf. sup. p. 202), c'est là une exagération qu'il faut mettre uniquement sur le compte de son caractère impétueux .... Il est arrivé là à St. Jérôme, comme dans plus d'une autre circonstance de se laisser emporter par l'ardeur de son tempérament, et de tomber dans des exagérations de langage qu'il n'aurait eu garde de commettre, s'il eût été de sang-froid. Si l'on voulait prendre à la lettre ce qu'il a dit, aux dépens de l'état conjugal, en faveur de la virginité, on devrait en conclure que le mariage était à ses yeux une institution digne de réprobation : une telle opinion était bien éloignée de la pensée de l'illustre docteur. »

Vehemens ille impetus Hieronymi apparet maxime in epistola ad Evangelium (al. Evagrium), in qua eosdem theorias inveniuntur, quas explicavimus, sed sermone obscuriori, abrupta quadam brevitate, et aliis etiam rebus immixtae : unde haec epistola potius explicari debet per loca parallela S. Doctoris quae sunt clariora et magis evoluta, ut

est Comment. in Titum. — Quod in illa epist. ait de consuetudine presbyterorum Alexandriæ in electione sui Episcopi « a tempore Marci Evangelistæ », - a) contra Presbyterianos ostendit, à tempore Apostolorum extitisse Episcopos distinctos a presbyteris et jurisdictione superiores ; - b) minime negat sed subaudit consecrationem illius Patriarchæ, et quidem ab aliis quam a simplicibus presbyteris, qui bene possunt facere « electionem » non autem consecrationem episcopalem (cf. Drouven de re sacram. l. 8, p. 223) ; nisi cum Petavio vel Christiano Lupo supponamus potius, Alexandriæ plures simul fuisse episcopali charactere insignitos, « presbyterium » civitatis illius componentes, et dicti « presbyteri », qui sine nova consecratione et per solam electionem unum ex ipsis designarent ad jurisdictionem patriarchalem, mortuo Patriarcha : quam hypothesim pro aliquo casu speciali admitti posse concessimus supra p. 182. — Et Hergenröther, hist. de l'Egl. n. 185, ait : « Relativement à l'Eglise d'Alexandrie, dont les douze prêtres auraient eu la consécration épiscopale, ce point est admis de plusieurs savants : cf. Lequien, Oriens. christ. II, p. 345, n. 28.

Consuetudinem antiquam Alexandrinam refert etiam Chronicum arabicum Eutychii patriarchæ Alexandrini in fine sæculi IX, sed ita etiam ut nihil inde contra nos erui possit, nisi in infideli versione Seldeni, qui Eutychium ita interpretatus est quasi simplices presbyteri Episcopum ipsi ordinarent. « C'est un paradoxe (ait Renaudot, de la perpétuité de la foi, t. 5, l. 5, c. 10) que Selden entreprit de soutenir pendant les troubles de l'Angleterre, en faveur du parti presbytérien, dont il était un des principaux acteurs. Il n'avait aucune preuve que celle qu'il prétendit tirer d'un passage d'Eutychius, patriarche d'Alexandrie, qui n'était pas alors imprimé, et qu'il n'entendait pas, rapportant à l'ordination ce qui avait rapport à l'élection du patriarche. C'est ce qu'Abraham Echellensis (savant maronite) a prouvé très-clairement dans le livre qui a pour titre Eutychius vindicatus, auquel les protestants n'ont jamais fait de réponse solide. » — cf. Morinum, de sacr. Ordin. p. 3,

exerc. 7, c. 7; Petavium, de eccl. hier. l. 1 in fine; Thomassinum, vetus et nova disc., p. 1, l. 1, c. 13; Wirc. de Ord. n. 105.

5°) Chrysost et Hieron. dicunt nihil facere Episcopum, quod non faciat Presbyter, excepta sola ordinatione (sup. p. 141, 112): ergo discrimen totum se tenet ex parte potestatis ordinis, non jurisdictionis. — Respondet Valentia l. cit.: «De ea re proprie loquuntur, ... quæ non potest ullo modo cum simplicibus presbyteris communicari ... Nam potestas jurisdictionis potest vel in totum vel in partem demandari presbyteris, ut illic ait Chrysostomus.» Ideo etiam de sacramento Confirmationis hic non loquuntur, quia extraordinarie potest a simplice presbytero exerceri: quamvis ordinarie ad solos Episcopos pertineat et sic aliquo vero sensu sit eorum proprium, ut agnoscit ipse Hieronymus in dial. c. Luciferianos. Sed ex parte potestatis ordinandi habet Episcopus aliquid absolute proprium et omnino incommunicabile presbyteris, et sic recta est sententia Chrysostomi et Hieronymi.

6°) Ambrosii loca in Ephes et in 1 mioth. qui contra nos afferuntur non sunt Ambrosii sed auctoris ignoti et fortasse hæretici qui Ambrosiaster nunc dici solet, seu pseudo-Ambrosius (cf. Wirc. de Ord. n. 38). Idem dicamus de auctore Quæstionum in V. et N. Testamentum, qui non est Augustinus, sed auctor ignotus, et sæpe in errorem abreptus.

Thesis XXIV

Parochi non sunt institutionis divinæ, sed ecclesiasticæ tantum.

S. O. Presbyterianismus, quem in thesi V et XXIII refutavimus, omne tollit discrimen inter Episcopos et Presbyteros. Parochismus, quem nunc (ex parte) sumus impugnaturi, est falsum systema à presbyterianismo diversus tum a) eo quod superioritatem Episcopi non negat, sed tantum minuit, sacerdotium secundi ordinis nimis extollendo; tum

b) eo quod non omnes presbyteros, sed eos tantum qui, per ordum stabilis officii, curam animarum exercent, i.e. Parochos, indebite extollit.

Origo Parochismi. Soeculo XIII, cum Romani Pontifices atque Episcopi Franciscanos Dominicanosque recens fundatos passim adhiberent ad praedicandum audiendasque confessiones, ex odio illorum Regularium orta est nova doctrina, praesertim Parisiis inter seculares universitatis Doctores. Docebant a) Parochos solos, ad exclusionem Papae et Episcoporum, immediatam in fideles habere jurisdictionem, ita ut nemo ministerium Regularium Parochis invitis imponere posset, aut substituere. Incredibiles istorum errores et ratiocinationes habes apud S. Thomam (contra impugnantes religionem, c. 4): qui tribus opusculis eos ex professo confutavit. Jam contra eosdem probavimus, Rom. Pontificem immediatam jurisdictionem habere in omnes fideles parochis subditos (th. XIX), pluresque objectiones eorum solvimus. — Et Episcopo de Vatic., p. 599. — Sed praeterea b), quo efficacius defenderent confictam illam Parochorum independentiam, docebant Parochorum munus esse de jure divino; Christum eos instituisse in persona 70 discipulorum.

Inter Parochismi errores, ille de origine divina Parochorum fuit celeberrimus, et saepius postea renovatus, praesertim in Gallia. Primus Gerson id fusius disputavit (opera Gersonii, t. 2, p. 436 edit. Ellies Dupin): « Domini curati in Ecclesia minores prelati sunt hierarchici, hoc est principales aut dominantes per primam institutionem Jesu Christi. Hoc fundatur in Evangelio (Luc. X)... Evangelium est bulla curatorum. Sequitur quod de ordinatione essentiali et stabili S. Ecclesiae aeque bene est status curatorum .... sicut status ipsius Papae, quamvis non sit adeo perfectus. Sequitur Papam hunc statum destruere aut annihilare non posse, cum status ille non ex sua proveniat positiva ordinatione, sed sine medio ex Dei auctoritate ... Sequitur curatos Ecclesiae sponsos esse sicuti Praelatos, quamvis sint imperfectiores ... Sequitur Papam, aut alium quemvis, jus hoc

(concionandi) curatis auferre et impedire non debere. Et ideo nullus in ecclesia eorum concionari debet absque eorum facultate.» De Gersone ait eruditus Nardi, parochus ipse sed non parochista (dei Parochi, t. 1, p. 356): «a Parochis ... Gerson ... votum in conciliis asseruit, et attributiones immediate a Christo acceptas, cum ipsa etiam potestate purgandi, illuminandi et perficiendi. Inscius antiquitatis Gerson, atque in ea eruditionis provincia prorsus hospes, ut ex ipsius operibus plenissime patet. At Sorbonæ cancellarium agebat, cæteris sorbonicis facile doctior; hinc Sorbonam pro arbitrio vertebat.» Inter Sorbonicos illius systematis propugnatores eminuerunt, sæculo XVI Almainus cujus scripta a Sede Apostolica condemnata sunt, item Joannes Major; sæculo XVII Richerius, et ipse damnatus: qui (ut vidimus supra p. 241) claves a Christo immediate datas fuisse dicebat non tantum Collegio Apostolico, cui succedunt Episcopi, sed etiam 70 discipulis, quibus succedunt Parochi: unde collectio Episcoporum simul et Parochorum est illa «Ecclesia» regens et docens, seu «ordo hierarchicus» subjectum proprium jurisdictionis Ecclesiasticæ: Episcopus vero, sicut ipse Papa, non nisi caput ministeriale, a collectione accipiens jurisdictionis exercitium sibi commissum, ita tamen, ut sine consensu collectionis Parochorum nullam legem statuere possit (sicut nec Papa sine Episcoporum consensu). — Sorbona divinam institutionem Parochorum pluries definivit; eamque secutus est Bossuet in «Defensione».

Jansenismus novum et magnum subsidium Parochismo attulit: jam ejus fundator Saint-Cyran asseruerat, in libro sub nomine «Petri Aurelii» edito, parochos in suis parochiis esse minores Episcopos, etc.; deinde inter Jansenistas præcipuos non pauci fuerunt Parochi, et ad Romani Pontificis Episcoporumque damnationes prohibitionesque eludendas multum juvabat eos theoria Parochismi. — Sufficiat in sæculo XVIII memorasse Jansenistarum synodos Ultrajectensem et Pistoriensem, in quibus Parochi cum

Episcopis tanquam judices fidei sederunt, et hac formula usi sunt : « Ego N. judicans subscripsi ; » — et inter libros eorum, opus « de Antiqua parœciarum origine » anno 1782 a sacerdote jansenista Guadagnini, parochismi in Italia promotore, qui inter alia asserit « in Divinis Litteris parochorum institutionem toti adscribi Trinitati » ; — opus « Le pouvoir légitime des pasteurs du 1er et du 2d ordre » a jansenista Travers uno ex appellantibus a Bulla Unigenitus, qui docuit « Parochum esse vicarium Christi in parochia sua, sicut Episcopus in diœcesi et Papa in tota Ecclesia » etc ; — libros quos ediderunt J.-B. Thiers, Juénin, Van-Espen, etc.

Plura de illa Parochismi historia invenies apud Bouix, de Parocho, p. 1. sect. 2. c. 1 et 2 ; qui advertit, libros istis erroribus infectos adeo pullulasse, ut hodiedum bibliothecas opplcant, etiam Seminariorum ; unde mirum esset aliquid veneni ad nostra usque tempora non dimanasse. Notat etiam, Parochismo sæpe favisse ipsos apertos Ecclesiæ hostes atque incredulos. De quo ait Naroli (Præfat. ad opus cit.) : « Quando increduli reliquum sacerdotium deprimunt et parochos extollunt, id non potest nobis non esse causa timoris. At cur extollunt parochos ?... Contumeliis oppresso Summo Pontifice, transmutatis in larvas inanes Episcopis, contemptu et calumniis respersoque reliquo tum sæculari quam regulari Clero, interea vero admonitis populis ut in Parochis agnoscant omnia ad Religionis exercitium necessaria, facile innuitur cæteros de medio tolli posse : et ecce ad januam protestantismus : reliquam permutationem tempus perficiet. »

In hac thesi, ex variis parochismi erroribus hunc solum directe impugnamus, quod jurisdictio Parochorum sit de jure divino. Quo sublato, cæteri errores facile tolluntur : nam semel probato, eam esse tantum de jure ecclesiastico, jam deberet ex legibus Ecclesiæ probari ista immediata in fideles jurisdictio

Parochorum ad exclusionem Papæ et Episcopi, ista independentia, ista « jura Curatorum » conficta: sed hujusmodi probatio est prorsus impossibilis: et etiamsi Ecclesia tales unquam leges fecisset, semper potuit suas leges abrogare et immutare: neque aliam habere possunt Parochi jurisdictionem, nisi quam eis concedit Ecclesiæ disciplina generalis pro tempore vigens.

Sententiam istam, Parochorum institutionem esse divinam non ecclesiasticam, Ecclesia nondum damnavit: sed a Theologis communissime jam rejicitur. — Zaccaria (Appendice al Confronto istorico, p. 192) ait: « Nimis scandalosum est facere Parochos divini juris, seu divinæ institutionis. » — Devoti (Instit. can. l. 1. tit. 3. p. 10) dicit « opinionem falsam. » — Bouix de Parocho p. 1. s. 1. in fine: « Etsi olim nonnulli doctores innocue et bona fide institutorum divinitus parochorum systema admiserere, postea quam tamen eo errore adeo abusi sunt moderni hæretici, nullo non conatu a viris catholicis est rejiciendum et profligandum. » Sane nullo solido fundamento nititur ista sententia; imo positivo argumento valide impugnari potest.

Probatur

Illud munus non est de jure divino, quod non extitit in Ecclesia nisi post aliquot sæcula.

Atqui tale est munus Parochorum —

Ergo.

Major patet: quæ sunt de jure divino non possunt ita deficere; assistente Christo, ne essentialis Constitutio Ecclesiæ ab ipso posita immutetur. Unde, juxta omnes, si quid in Ecclesia incepit diu post Apostolos, juris divini ultimos promulgatores, illud criterium est indubium esse institutionis humanæ.

Probo Minor. « Parochus » intelligitur simplex presbyter in determinata dioecesis episcopalis parte curam animarum habens administratione sacramentorum et praedicatione, et quidem non transitorie sed per modum stabilis officii, non vice et nomine alterius sed proprio nomine ita ut jurisdictio ejus dici possit ordinaria nec sit meras vicarius Episcopi : hanc nostram definitionem ipsi admittunt adversarii. — Atqui primis Ecclesiae seculis tale munus non habebatur ; « sed Episcopus (ait Ferraris voce Parochia n. 7) curam animarum totius dioecesis, per sacerdotes pro libitu missos et ad nutum amovibiles administrabat. » ; multa etiam per se ipse faciebat, quae Parochi hodie. Quod sic probatur :

1°) — In antiquis Traditionis documentis, simplices presbyteri semper exhibentur non tanquam stabiliter dispersi ad varias dioecesis portiones administrandas, sed tanquam ordinarie congregati in urbe episcopali cum Episcopo, cujus consilium seu « presbyterium » efformant Cf. S. Ignatium supra p. 626, Origenem, supra p. 23. — Imo communiter nihil administrant, nihil per se regunt sed sunt tantum magistri plebis et consiliarii Episcopi, ut apparet ex antiquo opere Constitutionum Apostolicarum (Migne, inter opera suppositicia S. Clementis Romani), de quo hoc notat P. de Smedt (in diss. cit. supra p. 21) : « Quant aux prêtres, la seule fonction ordinaire et spéciale que nous leur voyons attribuée (dans les Constit. Apost.) est celle de l'enseignement. Ainsi, lib. II. ch. 26, et ch. 28 : « Qu'il soit aussi (comme aux diacres) assigné une double part aux prêtres, comme constamment appliqués à l'enseignement de la doctrine, et en l'honneur des apôtres du Seigneur dont ils tiennent la place comme conseillers de l'évêque et la couronne de l'Église ; ils forment le conseil et le sénat de l'Église » ... On ne voit pas que, de fait, les simples prêtres eussent jamais à offrir eux-mêmes le sacrifice eucharistique ; ils n'y apparaissent que comme assistants, formant à l'évêque

une couronne d'honneur (Const. Ap. l. II. c. 57); ailleurs ils sont présentés comme ses conseillers, comme ses assesseurs avec les diacres dans les jugements solennels (II, 47.). Mais ils sont mis sur la même ligne avec les diacres dans la distribution des offrandes des fidèles (II. 28); ils sont complètement passés sous silence aux endroits où il est parlé de l'autorité à exercer quant à la discipline ecclesiastique, l'évêque et les diacres sont seuls nommés à ces endroits (II, 10, 17.)." —

Neque enim in urbe episcopali plures parochiæ, sicut nostris diebus, fuisse apparent, sed die dominica unus exhibetur Celebrans, nempe Episcopus ad quem in sua ecclesia cathedrali sacrificantem, omnes qui possunt, etiam ex rure, conveniunt: ut S. Justinus (l. cit. supra p. 21) narrat: « Omnium qui in urbibus, vel in agris degunt in eundem locum conventus fit: ei, qui fratribus præest, panis offertur ... et diaconi ... ad absentes perferunt ... eucharistiam. » — Ministerium illud diaconorum supplebat privationibus et incommodis quæ ex tali disciplina oriebantur. « Insuper (ait Marius Lupus in opere « de Parœciis ante annum millesimum », diss. 2. cap. 5.) doctissimi viri qui de liturgicis egerunt rebus, tradunt presbyteros urbicos non solum apud Episcopum convenisse omnes liturgicis diebus, cum diaconibus et cæteris clericis populoque, sed una cum eodem Episcopo missam celebrasse et eucharistiam confecisse, eo propemodum pacto quo nunc usurpatur in presbyterorum ordinationibus, et generatim apud Græcos adhuc usu receptum est, ut tradit Benedictus XIV in tractatu de sacrificio Missæ. » — Hic explicatur canon 18 Nicæni I, de abusu quarumdam civitatum, ubi, illius rei occasione, ex devenerant Diaconi, ut ipsis Presbyteris Eucharistiam porrigerent: Cf. supra p. 202.

Vetus illa disciplina de sacrificio Missæ in una tantum Ecclesia cathedrali minus tibi mira

videbitur (ait Thomassin, Vetus et nova Eccl. disc., p. 1, l. 2. c. 22), "si perpendas a) pauciores tunc adhuc infideles in christiana fidei castra confugisse, nec eam, quæ nunc est, fidelium multitudinem fuisse; b) adventante jam vitæ fine, aut certe majori jam ætate, Christianos plerosque sacro fonte tingi solitos fuisse: quocirca Fidelium propriæ Missæ interesse non poterant; c) pœnitentes à Fidelibus avulsos, ne ipsos quidem Missæ Fidelium adesse potuisse." Adde 2) Sedes episcopales in primis sæculis fuisse multo magis multiplicatas, ac proinde diœceses minoris amplitudinis, quam hodie sunt apud nos; cf. supra p. 156 160 — Et Dom Chanard "les Eglises du monde romain." — Hinc etiam apparet, cur necessaria non essent parochiæ rurales: ubi non erat pagi Episcopus, sufficiebat presbyter aliquando missus ab Episcopo.

2°) — Confirmantur hæc argumento negativo, seu ex silentio veterum. « Nulla apud Ignatium mentio (ait Thomassin ib. c. 21), aut presbyterorum in agris, aut ecclesiæ alterius in urbe præter episcopalem. Idem observari licet in Cypriani litteris, in quibus cum multæ sint ad presbyteros diaconosque Carthaginis, nulla tamen est ad presbyteros agrorum, vel quos eorum meminerit. Sunt et aliæ multæ ad presbyteros alios diaconosque, sed earum semper urbium, quæ Episcopum haberent, ... Nihil habent Canones Apostolici, unde conjicias, parochias ullas fuisse, vel in agris, vel etiam in urbibus præterquam in ecclesia cathedrali, ubi Episcopus resideret; ab illo presbyteri et diaconi nusquam separantur." Quod argumentum negativum, si spectatur non unus auctor, ut Ignatius, sed omnes simul trium primorum sæculorum scriptores, magnam vim habet.

3°) Imò signum Schismatis erat, tum in

presbyteros si haberet altare diversum ab altari Episcopi, tum in multitudine, si conventum faceret diversum ab eo cui praesidebat Episcopus. — Ita S. Ignatius ad Smyrnaeos n. 8 (cf. supra p. 99): « Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad Ecclesiam spectant. Illa rata habeatur Eucharistia, quae sub Episcopo peragitur, vel cui Episcopus commiserit. Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit; sicut ubi fuerit Christus, ibi est Catholica Ecclesia. Non fas est sine Episcopo baptizare », etc. Et ad Philadelph. c. 4: « Operam datis, ut una eucharistia utamini » (nempe consecrata ab Episcopo) « Una enim est caro D. N. Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius: unum altare, sicut unus Episcopus cum presbyterio et diaconis. » — Quare Apostolorum Canon 32 (Hefele, hist. des Conc., t. 1. Append. p. 826): « Si quis presbyter, contemnens episcopum suum, seorsum collegerit et altare aliud erexerit ... deponatur quasi principatus amator existens; est enim tyrannus; et caeteri clerici, quicumque tali consentiunt, deponantur, laici vero segregentur. » Inde sic arguit Thomassinus l. cit.: « Si in urbe vel ruri plures fuissent ecclesiae parochiae quae, ad quas coiret populus et in quibus Presbyter sacra celebraret, illis certe verbis (erigere altare aliud, etc.) ad significandum schisma usi non essent Majores nostri. » Nam ex ipsa consuetudine sensum plane innocuum habuissent. Quare illa phrasis metaphorica ad schisma exprimendum « erigere altare contra altare » inde praecise orta est, quod ex antiqua disciplina unum altare esse deberet, nempe Episcopi legitimi; et reipsa erectione novi altaris materialis incipiebant schismata, ut de schismate Donatist. lib. 1. refert S. Optatus: « Conferta erat ecclesia,

plena erat cathedra episcopalis, erat altare suo loco, in quo pacifici episcopi eo tempore obtulerunt Cyprianus, Lucianus, et cæteri: sic factum est foris, et altare contra altare erectum est, et ordinatio illicita celebrata est, et Majorianus episcopus ordinatus.» De materiali altari procul dubio hic agitur.

Etiam in locis ubi plures sacræ ædes erant et magna multitudo fidelium, v. g. in amplissima urbe Alexandria, ex eodem spiritu concordiæ et ad schismata vitanda S. Athanasius (apolog. 2. ad imperatorem) unum ab Episcopo sacrificium offerri mavult: «Quid ergo rectius putas, particulatim et divisè populum synaxes facere, an potiùs ut in locum omnium bene capacem conveniat, et unam eamdemque sine dissonantiâ vocem reddat? Certè id rectius est, cùm id concordiam unanimis multitudinis ostendat et Deum ad exaudiendum promptiorem habeat. Nam si, pro ipsius Salvatoris pacto, in consensu duorum quodcumque petierint fiet: quid igitur futurum, ubi ex tot tantisque populis in unum congregatis una vox respondeatur clamantium, Amen?» — Cum tamen nimia accresceret multitudo, deventum est tandem ad celebrandas alias Missas præter illam unicam quæ priùs ab Episcopo celebrabatur: sed in eâdem Basilica: ut constat ex epist. 81. S. Leonis M. ad Dioscorum episcopum Alexandrinum: «Illud volumus custodiri ut cum solemnior festivitas conventum populi numerosiores indixerit, et ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantùm admissis ad hanc devotionem qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint non recepti: cùm plenum pietatis

atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem ut quædam pars populi suâ devotione privetur, si unius tantum Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui primâ diei parte convenerint.» Nota «morem» antiquum unius Missæ: et quidem in uno loco (secùs ea illo more servato non esset «necessaria» consequentia, quòd, crescente populo fideli, pars ejus privaretur missâ, potuissent enim multiplicari missæ, in singulis locis singulæ et diversis horis, ita ut omnes missam habere possent).

Objicies: Quorsùm igitur ædes sacræ quæ jam antiquitùs extiterunt ab ecclesia cathedrali distinctæ? — Respondet Marius Lupus, ib. diss. 2. c 5: «Cùm prisci fideles non solum dominicis diebus apud Episcopum, ut liturgiæ interessent, ... convenirent, sed singulis diebus statis horis mane et vespere orationi vacarent... idcirco quasdam alias minores ædes in urbibus struxere, ut una simul plures in iis-dem ad orandum, psallendum, hymnosque Deo decantandos statis horis singulis diebus commode convenire possent. Præterea cum præcipuo cultu prosequerentur loca in quibus martyres aut passi fuerant, aut eorum corpora ac reliquiæ erant reconditæ, ibique orare potissimùm studerent, ibidem basilicæ ædificatæ fuere orationi ea primo eorumdem instituto, psalmodiæ, et martyrum cultui destinatæ, non verò publicis habendis liturgicis diebus conventibus; ideoque oratoria, martyria et memoriæ apud antiquos plerumque nuncupantur. In oratoriis autem hujusmodi quidnam perageretur, aperte declarat Aug. epist. 121: «In oratorio præter orandi et

psallendi cultum penitùs nihil agatur." Ita etiam epist. 109: "In oratorio nemo aliquid agat, nisi id, ad quod est factum aut unde nomen accepit."

4°) Sicut unum erat altare, scil. Episcopi, ita, ut notat Thomassin ibid. c. 21, "in maximis quibusque urbibus, ... erat fons unus baptismalis, quem usum retinet adhuc Italia .... Primis illis initiis solus vulgò baptizabat Episcopus, solus altaribus pœnitentes reconciliabat." Ergò præcipua sacramenta, quæ hodie Parochi ordinariè administrant, ab Episcopo ipso administrabantur, nec nisi ad eum per accidens supplendum adhibebantur Presbyteri.

De Baptismo v.g. Paulinus in vita Ambrosii Episc. Mediolanensis scribit: "In rebus Divinis implendis fortissimus in tantùm, ut quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque postea Episcopi, tempore quo decessit, vix implerent." Laborissum ergò baptizandi munus soli vulgo implebant Episcopi. "Negue vero pauci, (addit Thomassin, c. 23. n. 3) eos in solo baptizandi ritu et in cœremonia sola occupari solitos esse. Enimverò cùm Baptismum peterent adulti plerique, sapientes hujus sæculi, Gentiles aut Hæretici, eo vivo opus erat, qui hujusmodi homines erudiret, qui persuaderet, qui convinceret: qui orationibus, jejuniis, macerationibusque purgaret, probaretque dignos: at his omnibus sola ferè par esse poterat Episcopi dignitas et doctrina." — Cf. Catecheses S. Cyrilli Episcopi Hierosolymitani. — Quod autem Episcopus solus baptizaret, non solum Ambrosii ætate, verùm ipso sæculo sexto custoditum est (ait Lupus ibid. diss. 2 c. 3.), ut elucet ex epistola clericorum Mediolanensis provinciæ (Labbe, Concil. t. V p. 1397), quâ vehementer postulant ut Datius, Mediolanensis Episcopus, qui Constantinopoli à 15 aut 16 annis ab Imperatore detinebatur, ad suam redire Sedem permitteretur, "quia cum ferè omnes Episcopi, quos ordinare solet (Datius), sicut bene

scitis, mortui sint, immensa populi multitudo sine baptismo moritur." Quod exeunte ipso sexto saeculo Gregorius magnus epist. 93 l. 1 confirmat, dum orat Italiae Exarchum, ut Thortensem Episcopum dimittat, quippe eo absente "infantes absque baptismate moriuntur."

De Poenitentia, habes v.g. canonem 32 Concilii Illiberitani (initio saeculi IV^{i}): "Apud presbyterium si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere poenitentiam non debere, sed potius apud Episcopum; cogente tamen infirmitate necesse est presbyterem (sic) communionem praestare debere, et diaconem si ei jusserit sacerdos." Adnotat Hefele (hist. des Conci. t. 1 p. 147): "Ce canon est tout à fait conforme à l'ancienne pratique, suivant laquelle l'évêque seul et non le prêtre, pouvait réintégrer un pénitent dans l'Eglise. Ce n'était que dans le cas d'une extrême nécessité, que le prêtre ou sous les ordres du prêtre, un diacre pouvait donner au pénitent la communion, c.a.d. lui administrer le pain eucharistique en signe de réintégration." — Eadem in Oriente disciplina: v.g. ut advertit Thomas. sin ibid. c. 21, a docet Dionysius Alexandrinus (apud Eusebium hist. eccl. l. 6 c. 44) eum morem eamque vigusse Ecclesiarum legem, ut Poenitentium reconciliatio Episcopo reservaretur, nec nisi illo absente Presbyteris permitteretur, aut cum in extremo vitae discrimine jam prope animam agerent poenitentes." Cf alia de his documenta apud eumdem Thomassin c. 23.

5°) In primava disciplina, Presbyteri, sicut et Diaconi, exhibentur ut mera instrumenta, meri vicarii Episcopi, qui solus est pastor, solus ordinariam et propriam habet curam gregis. Sta v.g. can. 40 (al. 38) Apostolorum (Hefele t. 1. p. 630): "Presbyteri et Diaconi praeter Episcopum nihil agere pertentent, nam Domini populus ipsi commissus est,

et pro animabus ipsorum hic redditurus est rationem.“
Et can. 41 (al. 40): „Præcipimus ut in potestate suâ Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per presbyteros et diaconos,“ etc.

Quæres: quo tempore inductæ sint Parochiæ? Respondet Devoti l. cit.: „Non ubique omnes eodem tempore initium habuerunt. Cum enim ea res tota ab Episcoporum arbitrio penderet, alii citius, seriùs alii parochos constituerunt.“ Et Bingham anglicanus, Origin. Ecclesiast. l. 9 c. 8 § 3 et 4: „Quemadmodum autem civitates, ad easque spectantes Diœceses, amplitudine sua et ambitu magnopere differebant, ita et earum alias ad ecclesias parochiales ædificandas multo maturiùs quam alias obligatas fuisse, par est credamus.... Hoc modo ecclesiæ parochiales originem suam tùm in civitatibus, tùm in pagis nactæ sunt, non quidem omnes uno eodemque tempore nec ex generali quodam decreto, sed prout res cujuslibet diœcesis id ferrent, cujus episcopo semper id dijudicandum relinquebatur, quot administrorum operâ sibi in obeundis diversis officiis ... opus esset. In Galliâ Conc. Vasense II^m, sæculo V ineunte, de parochiis extra civitates loquitur, can. 2 (Labbe, Conc. t. IV p. 1640): „Placuit ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem.“ Sed in Angliâ nostrâ non tam maturam earum mentionem habemus; monumenta quæ de antiquis ecclesiis Britannicis memoriâ nostrâ supersunt, de parochiis nihil tradunt.“ — Admittitur ab eruditis, parochias urbes prius incepisse, quam urbicas. — Alexandriæ sæculo IV binas parochias, plures admittunt ex hoc loco S. Epiphanii hæres. 69 c. 1: „Quotquot Alexandriæ catholicæ communionis ecclesiæ sunt, uni archiepiscopo subjectæ, suus cuique præpositus est presbyter, qui ecclesiastica munera iis administret qui

qui circa ecclesias illas habitant.“ Sed ex eo quod Epiphanius hoc ipsum tanquam peculiarem morem alexandrinæ notare videtur, meritò concluditur ita non fuisse in aliis urbibus; imo sunt qui nec proprie dictos parochos in hoc textu agnoscant (v.g. Nardi, dei Parochi, t. II p. 464 segg.). — Romæ, Papa Evaristus (sæculo II°) teste Libro Pontificali in ejus vitâ „titulos in urbe Româ divisit presbyteris“; Marcellus I (initio sæc. IV) teste eodem libro „titulos in urbe Romæ constituit quasi diœceses, propter baptismum et pœnitentiam multorum qui convertebantur ex paganis et propter sepulturam martyrum.“ Sed nonnulli viri docti cum Valesio (Not. in Sozom. lib. 1. c. 13) putant presbyteros titulorum priùs non habuisse quemquam suum determinatum titulum, sed fuisse in commune delegatos ad ministrandum per vices in diversis titulis die dominicâ. Cæterum illi „tituli“ nihil sunt aliud quam tituli Cardinalitii (supra p. 518): atqui Cardinales Romanos nunquam fuisse parochos, fusè inter alios demonstrat Nardi (t. 2. p. 151 segg.). — In aliis urbibus nulla parochia ex historicis documentis apparet ante annum 1000, juxta Marium Lupum et alios. Tempore ipso Conc. Tridentini, adhuc non erant ubique, ut constat ex sess. 24 c. 13 de Reform., ubi sancitur „ut Episcopi in iis civitatibus et locis, ubi nullæ sunt parochiales ecclesiæ, quamprimum fieri curent.“ Imò refert Lupus diss. 2 c. 1, adhuc sæculo XVII nonnullas fuisse in Italia etiam magnas et antiquas civitates, quæ parochiis prorsùs carerent.

Corollarium. Hæc thesis confirmat argumentum rationis allatum pro thesi præced. — „Comment supposer (ait P. de Smedt l. cit.) qu'après avoir été tout dans le gouvernement eccles. au 1er siècle, les prêtres aient été réduits immédiatement après à n'y être plus rien?“

Scholion I ad solvendas difficultates.

1º) Objicit Lud. Habert, de ord. p. 2. c. 6: "Trid. sess. 23 c. 6 definivit, in Ecclesia esse hierarchiam divina ordinatione institutam, eamque constare Episcopis, Presbyteris et ministris. Atqui Presbyteri a loco non possent intelligi, nisi Parochi; siquidem alii vel jurisdictionem habent, vel non; si 1um, ejusmodi jurisdictio est delegata, ac proinde non eis competit jure divino, sed Episcoporum beneplacito, nec sufficit ad constituendam hierarchiam; si 2m, subditos non habent ac proinde a fortiori non sunt de hierarchia.

Responderi posset a) Trident., ut patet ex historia Concilii, de industria devitasse verba "jure divino" quæ vehementer postulabant episcopi non pauci, præsertim Hispani; et posuisse verba "divina ordinatione", tanquam locutionem magis vagam, quæ comprehendere possit tum ea quæ Deus ipse per se, tum ea quæ Deus per Ecclesiam instituit. — Sed b), etiam concesso quod hæc sint plane synonyma, "jure divino" et "divina ordinatione", respondemus, in hoc canone non agi nisi de hierarchia ordinis: quod patet, tum 1) quia ponuntur etiam "ministri", qui bene quidem habent essentialiter et jure divino gradum potestatis ordinis (cf. th. VIII), nullum vero jure divino exigunt gradum potestatis jurisdictionis, præsertim ordinariæ; tum 2) quia tacetur S. Pontifex, qui tamen habet, ut probavimus, jure divino, gradum hierarchiæ jurisdictionis, essentialiter diversum, et sane si hic de jurisdictione ageretur, potius deberet nominari quam "ministri". Quo posito, nego Min. objectionis: agitur enim in hoc canone non de solis Parochis ratione eorum jurisdictionis ordinariæ, sed de omnibus pariter Presbyteris, ratione gradus eorum specifici in hierarchia ordinis (sive adjungatur eis jurisdictio, sive non).

2º) Obj. idem: Apostolus, I Tim. V, meminit Presbyterorum qui sub episcopo præerant: "Qui bene præsunt Presbyteri", inquit v. 17; et v. 19: "Adversus Presby-

terum accusationem noli recipere, nisi sub 2 aut 3 testibus". Et S. Ignatius sæpe commendat obedientiam erga presbyteros. — Atqui tales presbyteri, jurisdictionem habentes, nequeunt intelligi nisi parochi. — Ergo.

Resp. Nego Min. Nam a) in Paulo, "presbyteri" illi optime intelligi possunt de Episcopis subditis Timotheo, nam Timotheus in Asia minori præerat, et Apostolus eum edocet, quos "Episcopos" eligere debeat (I Tim. cap. III): et in loco parallelo ad Titum, "episcopi", cujus dotes Tito enumerantur ut Episcopos ipse bene constituat in civitatibus insulæ Cretæ vocantur etiam "presbyteri", cf. supra p. 166: et testimonia Traditionis de illa superioritate Timothei et Titi super ecclesias vicinas, supra p. 178. — Cæterum b) etsi hic ageretur de simplicibus presbyteris, non sufficit in eis ostendere aliquam jurisdictionem, ut probentur fuisse parochi: nam et presbyteri, et diaconi etiam, solebant aliquam jurisdictionem tunc exercere, sed ut meri delegati Episcopi: ideo Ignatius (supra p. 626), Polycarpus (supra p. 60), etc. volunt fideles esse subditos presbyteris et diaconis.

Eadem sunt generalia principia solutionis quoad alios textus qui afferuntur: deberet ab adversario ostendi a) non agi de aliquo Episcopo, sed simplice presbytero: nec potest argui simpliciter ex voce "presbyter", quæ initio fuit omnino æquivoca (cf. thesim VI), neque ex voce "sacerdos", quia multo magis et diutius in Ecclesia remansit æquivoca (cf. p. 182, Scholion). — b) Et postquam probatum est, in aliquo textu agi de simplici presbytero, restat probandum: jurisdictionem, quæ ei in textu attribuitur, esse in determinatam portionem diœcesis seu in plebem certam, et per modum stabilis officii, et proprio nomine non vicarialiter exercendam, secus non est "parochus": quod non probant adversarii cf. Bouix de parocho, p. 1. sect. 1. c. 2.

2°) "Ex eo quod olim mos non fuerit presbyteros ordinare nisi ad certum titulum et certum

officium (advertit Bouix ibid., — cf. supra p. 108, 109), perperam concluderetur, parochum fuisse eum qui legitur aliqua cura munia obiisse. Nam presbyteri cathedrales, seu canonici, etsi ad titulum cathedralis Ecclesiæ ordinati, Episcopo in civitate et per totam diœcesim auxiliabantur in exercendâ animarum curâ; nec tamen ipsi parochi erant, cum commissa cuique ipsorum per modum stabilis officii non foret in certam aliquam plebem cura. Et pariter ordinati ad custodienda martyrum oratoria, in civitatibus erecta, seu ecclesias a cathedrali distinctas, atque ad fundandas ubi preces, potuerunt identidem ab Episcopo in auxilium pastoralis curæ modo huc modo illuc advocari."

4°) Nec thesim adversariorum juvat, parochos exhibere ut successores Chorepiscoporum: tum a) quia Chorepiscopi, ut distincti ab Episcopis, non apparent nisi sæculo IV; — tum b) quia multo probabilius Chorepiscopi non erant simplices presbyteri sed veri Episcopi. Cf. Append. de Chorepiscopis, supra p. 152 sqq.

5°) Vox "parochia" seu "paræcia" si in veteri aliquo monumento occurrit, non statim sumenda est in sensu recentiori ("paroisse"): nam priùs usurpata est ad significandam totam diœcesim. Ita in canone Apost. 14 (al. 13): "Episcopo non licere alienam parochiam, propriâ relictâ, pervadere." etc — S. Cyrillus Hieros. (Catech. 14) "parochiam" vocat diœcesim Hierosolymitanam. S. Hieronymus (ep. 37 ad Ripar.) similiter appellat diœcesim Barcinonensem. — Eusebius "parochiarum" voce utitur (hist. eccl. l. 3. c. 2. et 14; l. 7. c. 29) ad Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, Hieros. ecclesias seu diœceses designandas. — Multa alia exempla habes apud Bingham l. 9. c. 2; et Bouix de Parocho c. 1, ex quo apparet, hunc usum duravisse usque ad sæculum XIII; in Conc. Lateranensi IV anno 1215, Can. 3, occurrit adhuc "propria parochia" in sensu propriæ diœcesis.

6°) Tandem deveniamus ad Achillem

adversariorum: "Qui succedunt ministris a Christo ipso constitutis, hi sunt institutionis divinæ. Atqui Parochi succedunt 72 discipulis a Christo institutis. (hyp. X). Ergo."

Resp. a) Dist. Maj.: Qui à Christo ipso instituti sunt successores, saltem implicite, quatenus Christus instituit munus aliquod tanquam in Ecclesia perpetuum, ii sunt institutionis divinæ, Conc: secus Nego. Et contradist. Min.: Parochi plane improprie "succedunt", i.e. aliquo modo allegorice comparari possunt 72 discipulis, comparatione multum claudicante (qua fieri potest, etiamsi Parochi sint institutionis ecclesiasticæ), Conc: Parochi fuerunt a Christo instituti successores, saltem implicite quatenus Christus munus 72 discipulorum instituit ut perpetuum, Nego. Nam in libris N.T. de missione 72 discipulorum nullum est verbum, quod indicet perpetuitatem: e contra de Primatu Petri, et de missione Apostolorum (cf. thes. XIII et XX). Imo ex Luca (qui solus hanc missionem narrat, cap. X), constat 72 discipulorum missionem fuisse temporariam, non perpetuam. "Non enim dicuntur missi ad aliud, quam ut annuntiarent in civitatibus et aliis locis Judææ, quo Christus venturus erat, proximum ejus accessum; atque ut ibi dicerent, appropinquare regnum Dei. Prædicatio autem Christi per varias Judææ civitates temporaria fuit; item appropinquare regnum Dei non potuit dici, nisi per aliquod tempus... Unde ea missio magis accedebat ad naturam illius, quam exploverunt Prophetæ et præsertim Joannes Baptista; referebatur nempe adhuc ad Christum venturum." Bouix de Parocho ib. c. 6.

Resp. b): Nego Min. Nam, ut Parochi in tua jurisdictione Parochiali vere successores essent 72 discipulorum qua missorum a Christo, debuissent 72 discipuli in tua missione a Christo accipere aliquam jurisdictionem. — Atqui ex Evangelio patet eos accepisse mudum magisterium, nullam propriæ jurisdictionem

ecclesiasticam (vel in foro externo vel in foro interno) ut advertit Petavius de eccl. hier. l. 3. c. 16 n. 2: "Prior ista missio nullam aliam, quam prædicandæ pœnitentiæ ac tam doctrinæ quam miraculis præparandi ad Christi fidem populi facultatem illis indidit; non regendi gubernandique jus ullum, aut potestatem ... jurisdictionis, quam post resurrectionem suam reipsa, et, ut loquuntur actu tradidit." Et revera mirum esset eos inferiores clericos habuisse tunc jurisdictionem, quando Petrus et Apostoli nondum habebant; eo magis, quod mittebantur ad non baptizatos, qui minime sunt subditi jurisdictioni, non vero ad baptizatos curandos, sicut parochi. — Denique parochi, licet per accidens possint, quando nominantur, nondum suscepisse ordinem presbyteratus, tamen per se presbyteri esse debent: jam vero nec 72 discipuli, quando missi sunt, erant presbyteri, cum sacerdotium a Christo non credatur fuisse collatum ante coenam ultimam, in quâ etiam cænâ non adfuere illi discipuli; nec postea constat iis omnibus fuisse collatum sacerdotium, imo S. Epiphanius, hæres. 20 n. 4. tradit ex eis fuisse postea ab Apostolis delectos septem priores diaconos, quorum saltem aliqui, ut Stephanus, ad presbyteratum nunquam pervenerunt. — Denique in 72 discipulis omnino deerant aliæ notæ, quibus constat essentia officii parochialis: deputatio ad determinatam partem gregis episcopalis; potestas et obligatio huic plebi impertiendi instructionem et sacramenta sive per se, sive saltem per alios; officium permanens. Suarez Patres illi pauci posteriores ætatis (Anecleti enim falsa Decretales sunt omittendæ), sicut Beda (in Luc. X), quos afferunt adversarii, non parochorum, sed presbyterorum in genere, dicunt eos "gessisse figuram", seu fuisse quamdam adumbrationem: quod et Scholastici passim recti sunt. Et inter presbyteros si distinctius determinari deberent ii, qui 72 discipulis potius sunt similes, hi non essent parochi, sed missionarii excurrentes, et præsertim

religiosi, paupertatem (cf. Luc. X) profitentes. Caeterum hujusmodi comparationes ut instituantur, sufficit vel levissimum punctum similitudinis: sic olim et Chorepiscopi fuerunt aliquando comparati 72 discipulis, cf. p. 159. Plura apud Bouix l. cit.

Scholion II.

Alii errores Parochistarum, a Pio VI damnati in Bulla Auctorem fidei: « 9°. Doctrina, qua statuit, reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis diœcesanis ab Episcopo et parochis æqualiter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus episcoporum: falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Ariana à Calvino innovata." Cf. et prop. 11ma.

« 10°. Item doctrina, quâ parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur, judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto: falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea. »

Possunt quidem etiam in Conciliis œcumenicis judicare (quod aliquando factum est), sed potestate delegata a S. Pontifice, non propria: cf. supra p. 113, 114.

Inter Parochismi errores fuit etiam ille, ut tanquam abusus vituperaretur ordinatio presbyterorum qui non destinentur ad hoc ut sint parochi vel speciali officio et ministerio addicti ad instar parochorum. Contra istum errorem vindicat et laudat eadem Bulla, sub n. 53, " decreta et instituta .... Quibus, pro Ecclesiarum necessitate et commoditate, probatæ sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum

patrimonii, salvâ obedientiâ, quâ sic ordinati Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis quibus pro loco et tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitivâ Ecclesiâ fieri consuevit." Nempe in primitivâ Ecclesiâ, ut diximus, presbyteri non habebant stabile officium, sed ab Episcopo adhibebantur ut meri delegati, ad nutum amovibiles. ("Titulus ordinationis" est cautio sustentationis congrua, pro susceptione ordinum præscripta: ne ii, "qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare aut turpium quæstum exercere cogantur," Trid. sess. 21 c. 2. de reform.)

Scholion III. De jurisdictione parochorum ex jure ecclesiastico. — Parochistæ probare voluerunt, habuisse olim parochos aliquam jurisdictionem in foro externo et contentioso, v. g. potestatem excommunicandi: quod semper rejecit sententia communior (Bouix de parocho p. 1. s. 2. c. 5.) Sed quidquid sit de quâdam ætate in medio ævo, saltem in disciplinâ hodiernâ Ecclesia non agnoscit parochos ullâ externâ et coactivâ jurisdictione pollere. — Nisare etiam non sunt proprie "pastores," cum hæc vox in usu sacro significet præsertim potestatem regendi jurisdictione proprie dictâ, legislativâ et coactivâ (cf. supra p. 57); et sane de solis Episcopis declarat Trid. s. 23. cap. 4, eos "positos esse, sicut Apostolus ait, regere Ecclesiam Dei", seu eam pascere (nam in textu Apostoli hic habetur ποιμαίνειν, Act. XX. 28); et tota antiquitas nomen "pastoris" Episcopo reservavit: cf. Mardi (de parochi, t. 1. c. 1.); Bouix ib. c. 6.

Objicies: Jus habet parochus, non tantum pœnitentiam et alia sacramenta ministrandi, sed et invigilandi, paterne commonendi, et multa quæ parochiam respiciunt regendi et administrandi: ergo ipsius jurisdictio non est dumtaxat jurisdictio fori pœnitentialis. — Resp. Ea quæ enumerantur parochi jura, et quæ

revera ipsi tanquam officii consectaria competunt, nullam constituunt .. jurisdictionem fori externi (propriè) sed quamdam duntaxat administrationem." Bouix ib. S. 3. C. 5. Nonne plures actus similes exercet Ecclesia erga catechumenos, potestate quadam disciplinari quæ tamen non satis perfecta est ut dicatur "jurisdictio", unde propriè ab omnibus admittitur in catechumenos ecclesiasticam jurisdictionem non dari? (Cf. supra p. 126, 193)

In foro autem interno parochi certe habent jurisdictionem, et quidem ordinariam, seu ipsi officio alligatam (cf. supra p. 522 et p. 594). "Si constituatur parochus nondum sacerdos, non poterit quidem valide in foro pœnitentiali absolvere (ex defectu potestatis ordinis, cf. supra p. 105); sed ... eo ipso momento quo talis parochus ordinatus est presbyter, parochianos suos absolvere potest, quia nulla nova facultas ipsi conferatur." Bouix ibid.

Jurisdictio igitur parochialis alligata est ipsi officio, et hoc officium de se est stabile ac perpetuum. "Regulariter parochi (dicit Richner, compend. juris eccl. § 122) in perpetuum et cum titulo beneficii constituuntur, et propterea removeri non possunt nisi judicialiter et ex causis in jure determinatis. In Galliâ tamen, post Revolutionem, consuetudo viget, ut parochorum succursalium (desservants) triginta (ut fertur) millia existant sine canonicâ institutione et sine jure perpetuitatis, ita ut ab Episcopis revocari et transferri possint. Hac tamen auctoritate Episcopi haud frequenter, et nonnisi prudenter ac paterne uti debent, quoties nimirum ejusmodi revocatio necessaria aut utilis esse apparet spirituali bono rectoris aut parochiæ, sive illius a quo removetur, sive illius ad quam transfertur. Eam consuetudinem S. Sedes tolerat, et quodammodo passive in ea se habet (S. Congr. C., 5 dec. 1863; 3 juil. 1868)."

Pertinentne parochi ad "hierarchiam jurisdictionis"? — Si intelligitur hierarchia quæ sit de jure divino, negatur; si tantum intelligitur, eos habere

ex ecclesiastica institutione specialem et stabilem gradum jurisdictionis ecclesiasticæ, conceditur, advertendo tamen "jurisdictionem" et "hierarchiam jurisdictionis" non ita proprie dici ubi deest forum externum, cui primario et per se nomen "jurisdictionis" convenit (cf. supra p. 52).

Corollarium. Ergo hierarchia jurisdictionis non habet de jure divino nisi duos gradus, scil. 1°) Summum Pontificem, 2°) Episcopos. Nam eliminavimus 3um gradum ex presbyteris quæsitum. Cæteri autem gradus, sive supra Episcopos, ut Patriarchæ, Primates, Metropolitani seu Archiepiscopi, sive infra Episcopos, ut Episcoporum vicarii, archidiaconi, religiosorum ordinum Præpositi illi qui habent jurisdictionem quasi-episcopalem, etc. habentur communiter ut juris ecclesiastici; nec solidum argumentum pro divina origine illorum graduum afferri potest, immo in plerisque eorum origo tardior ac proinde ecclesiastica manifeste ostenditur. Et licet quædam, ut Patriarchatus, probabilius sint institutionis Apostolicæ, non tamen ideo divinæ institutionis esse demonstrantur (cf. supra p. 32, 33).

Thesis XXV

Multitudinismus, democraticum faciens Ecclesiæ regimen, rejiciendus est: — 2) imo nec mera potestas eligendi ministros Ecclesiæ pertinet jure divino ad populum.

St. Q. "Multitudinismus" asserit totam fidelium multitudinem esse subjectum potestatis jurisdictionis ecclesiasticæ, ex prima Ecclesiæ institutione. In medio ævo Waldenses et alii, postea sectæ Protestantium plures errorem istum propugnaverunt, formamque regiminis democraticam assumpserunt. Quia vero nequit populus immediate per se exercere omne regimen, deputari ab eo dixerunt quosdam ministros, qui non sint nisi ejus

delegati ; hinc affirmaverunt absolutam necessitatem popularis suffragii in electione ministrorum. Ita etiam nostris diebus multi protestantes, et alii schismatici qui se « veteres Catholicos » dicunt.

1ª pars thesis breviter probabitur ut corollarium ex omnibus jam demonstratis de jurisdictione ecclesiastica. Est de fide definita. Damnata est ut hæretica a Pio VI in Bulla « Auctorem fidei », prop. 2ª Pistoriensium « quæ statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum : sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas : hæretica ». — Et jam ex Evid. s. 23 cap. 4 et can. 7, populi consensus nec sufficit, nec requiritur ad potestatem sacram communicandam : ergo potestas illa non inest populo, neque ab eo derivatur in Ecclesiæ pastores.

Probatur.

1°) Ex thesibus de Primatu. Christus, qui ipse non acceperat a populo suam potestatem, supremam jurisdictionem dedit Petro (thes. IX, 1ª p., th. XII) ; et quidem Petro immediate et directe, non vero Collegio Apostolico tunc præsenti (th. IX 2ª p.), ergo multo minus multitudini tunc absenti, quam multitudinem a Petro quasi delegato repræsentatam fuisse, nullum est signum : et tamen signum evidentissimum repræsentationis hujusmodi requireretur, ut discederemus a sensu obvio verborum Christi, nempe quod soli Petro datur suprema jurisdictio. Adde, similitudines fundamenti et ædificii, pastoris et ovium, adhibitas a Christo, plane repugnare multitudinismo, nam fundamentum non desumit suam vim ab ædificio, nec pastor desumit suam potestatem ab oribus ; nec rupes quæ sustinet ædificium, est ædificium ipsum ; nec pastor, qui regit oves, constat ipsis oribus. — Jam vero talis institutio, et ex Script. et ex Traditione, non fuit posita a Christo temporaria sed ut perpetua, nempe in Romano Pontifice Petri successore habens suam perpetuitatem (th. XIII, XIV, XVI). — Ergo in perpetuum excluditur ab Ecclesia multitudinismus ; nam quod jure divino institutum est, est immutabile.

Alia confirmatio : Si in origine alicujus societatis

fit, ut societas ipsa, in ordine institutionis et existentiæ, posterior sit auctoritate, et quidem auctoritate alligata determinatis personis, necesse est, ut in tali societate subjectum originale et immediatum auctoritatis sint illæ personæ determinatæ, non vero tota societas: societas enim, quæ nondum existit, nequit prius auctoritatem habere. Atqui ita res se habuit in divina institutione Ecclesiæ: præstituitur auctoritas in determinatis personis, tanquam basis super quam postea ædificabitur societas: « Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; » fundamentum ponitur prius, deinde accedunt lapides, seu membra Societatis, et illa accessione fit « ædificatio » Ecclesiæ. Cf. Petavium de eccl. hier. l.3, c.14, n.6; Palmieri de Rom. Pont., Proleg. § XII. — Et difficult. quas solvimus supra, p. 252, seqq.

2°) Simile argumentum fieri potest ex secundo gradu jurisdictionis instituto a Christo, similiter ut perpetuo, nempe in Apostolis et Episcopis eorum successoribus (th. XX, 1ª p.)

3°) Ratione, seu argumento præscriptionis. Paulo post Apostolos, ubique in Ecclesia non democratiam, sed monarchiam (vel, quod sufficit in thesi præsenti, aristocratiam, scilicet gubernium Episcoporum) reperimus: innumera documenta allata sunt in hoc tractatu. — Atqui, si ita est, semper ab initio ita esse debuit, nec potest rationabiliter admitti mutatio seu usurpatio tam facile ubique facta sine magnis controversiis, quarum vestigia non sunt. — Ergo. Cf. simile argumentum de potestate ordinis, supra p. 26; — item de superioritate episcoporum in presbyteros, supra p. 631.

Nota. Etsi probaretur, potestatem eligendi Episcopos (et ipsum Romanum Pontificem) ad multitudinem pertinere jure proprio atque etiam fundato in ipsius Christi institutione: ad summum sequeretur, præsentem disciplinam esse reformandam: sed minime sequeretur, admittendum esse multitudinismum. — Nam multitudinismus importat, 1°) populum esse qui confert jurisdictionem ecclesiasticam, tanquam fons totius auctoritatis. Atqui jus electionis a) per se præscindit ab eo quod conferatur potestas ab eodem qui eligit, vel quod e contra tantum designetur persona, v. g. Cardinales

habent jus eligendi Papam, nec tamen ei jurisdictionem conferunt (sup. th. XVIII); ergo ex solo jure electionis in multitudine, etiam proprio et innato, inferri nequit, multitudinem esse subjectum et fontem omnis potestatis ecclesiasticae (sicut nec Cardinales sunt subjectum et fons potestatis Pontificiae). — Imo b) quia multitudinismus aliunde a nobis jam rejectus est, concludere debemus, non aliud jus concipi posse in multitudine christiana, quam designandi personas, ad summum. — Praeterea 2°) multitudinismus seu democratia importat alia praeter popularе jus eligendi, quae ab hoc jure non derivant sed omnino possunt separari, ut notat Bellarm. de Rom. Pont. l1, c.6: « Quando etiam populus vere crearet Episcopos, non continuo esset Ecclesiasticum regimen praecipue democraticum. Nam ut sit aliquod regimen democraticum, requiritur quidem ut populus constituat magistratus sed multa alia requiruntur; neque id solum per se sufficit. Primi enim reges electi sunt a populo... Imperatores Romani eligebantur olim à militibus, et nunc à certis Principibus eliguntur: et nihilominus Imperium ad monarchiam pertinet, non ad democratiam. Ut enim democratia esset, oporteret ut facta electione Principis, adhuc major esset in populo quam in Principe auctoritas, et à sententia Principis ad judicium populi provocaretur. Id quod non fit in Ecclesia, quemadmodum nec in regno, aut imperio Romanorum. »

2a Pars.

S.Q. Haec pars plenius refellit difficultatem historicam praecipuam allatam ab adversariis 1ae partis. — Insuper est contra alios adversarios, qui licet gubernium democraticum in Ecclesia non postulent, tamen vellent Ecclesiam redire ad modum antiquum electionum quae juxta ipsos fiebant à populo, et insinuant talem modum esse necessarium, vel etiam esse de jure divino (aut naturali aut positivo). Ita nostris diebus non pauci; vg. in Italia, non solum a) callidi Ecclesiae adversarii, sub praetextu renovandae antiquae disciplinae

cupientes Ecclesiam perturbare et Statui subjicere, Giuberti (de la réforme cathol. de l'Eglise, ch. 11ª), Mamiani (théorie de la religion et de l'état, ch. 13), Minghetti (l'état et l'église), etc; – sed etiam b) sacerdotes aliqui a theoriis illorum Rationalistarum non satis diffidentes iisque nimium concedentes, ut canonicus Audisio professor in Universitate romana (de la Société civile et religieuse, in Indice librorum prohibit.), et pius ille sed pessimis erroribus scatens Rosmini, de quo ait Liberatore (Droit public de l'Eglise n: 198): « Non seulement Rosmini a engagé le pouvoir politique à porter une loi (quo jure?) pour remettre aux mains du peuple l'élection de ses pasteurs, mais il a déclaré que cette mesure est de droit divin ». Dans son plan de " Constitution selon la justice sociale " (opusc. condamné par la S. Congr. de l'Index), l'art. 3 porte en termes exprès: « Les élections des évêques se feront par le clergé et le peuple, conformément à la discipline antique, en en réservant la confirmation au souverain Pontife ». L'auteur ajoute en guise de commentaire que " cette forme d'élection appuyée sur d'innombrables canons des Conciles, appartient au droit divin. »

Probatur.

I. Si talis potestas populo competeret jure divino, debuisset a primis temporibus et semper ad praxim deduci. Atqui non ita fuit, si consulamus tum 1°) Scripturam V. Testamenti, tum 2°) monumenta Traditionis:

–1°) Omissa electione Matthiæ, Act. I (ubi nec totus populus aderat, sed tantum " fratres 120 " cum certe fideles jam essent plus quam 500, ex I Cor. XV. 6; – ubi agebatur de supplendo Apostolo, non de aliquo gradu hierarchiæ in Ecclesia perduraturo; ubi medium extraordinarium etiam adhibitum est, scilicet " sortes ", Deo ipso " eligente " I. 24, ita ut factum hoc extraordinarium trahi non possit in eligendi regulam, ut notat Hieron. in c. 1 Jonæ; cf. Mirc. de Ord. n. 31), – Scriptura unicum habet exemplum designationis ministrorum sacrorum à populo, nempe Act. VI: voluerunt Apostoli ut diaconi septem a multitudine veluti præsentarentur, quibus tamen institutio ab ipsis Apostolis

erat conferenda (v. 3, κατασταθῶμεν, « constituemus super hoc opus ») sicut et ordinatio (v. 6, ἐπέθηκαν τὰς χεῖρας « et orantes imposuerunt eis manus »). Et adverte, designationem hic populo tribui ex ipsius Petri propositione et concessione, et in specialibus adjunctis (v. 1) ut melius sedaretur "murmur Græcorum adversus Hebræos" et omnis injustitiæ tolleretur suspicio (cf. supra p. 148) : ergo casus ille particularis potius ut quædam exceptio et prudens œconomia censeri debet. Cæterum hic non agitur de electione episcoporum aut presbyterorum, sed de gradu inferiori diaconorum. Cætera exempla ostendunt designationem personæ fieri ab ipsis Apostolis eorumque successoribus episcopis, non a populo. Sic Tit. I. 5 : Ideo "reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros" (cf. supra p. 166) : ubi vox "constituas" καταστήσῃς per se nullum populi suffragium involvit, et absolutam independentemque inaugurandi potestatem denotat : sicut ipsum Titum Paulus ipse constituerat Cretæ, sine ullo populi interventu. — Sic etiam Act. XIV. 23 : « Et cum constituissent illis (Paulus et Barnabas) per singulas ecclesias presbyteros », etc. Etsi pro "constituissent" textus græcus hic habeat χειροτονήσαντες, quod verbum potest "suffragia" significare, nihilominus hic agi nequit de suffragiis populi sed de electione facta a Paulo et Barnaba, quippe qui soli dicuntur χειροτονήσαντες. Cæterum hæc vox, etsi prius significaverit electionem popularem, quæ fiebat attollendo manus, tamen postea de omni electione etiam ab uno facta, de omni decreto usitata est : sic Act. X 41, testes resurrectionis Christi dicuntur a Deo præordinati προκεχειροτονημένοις (cf. alia exempla etiam profana apud Bellarmin. de Clericis l. 1. c. 7 ; et Cerciá de Eccl. A. 1, sect. 2 lect. 11). Denique hæc vox potest significare "impositionem manuum", quâ fit ordinatio seu consecratio : nam χειροτονεῖν cum ex etymologia significat "extendere manus", a scriptoribus ecclesiasticis applicatum est ad illum ritum sacrum, quo manus protenduntur super ordinandi caput ; qui ritus etiam dicitur ἐπιθέσις τῶν χειρῶν (I Tim. IV, 14 ; II Tim. I. 6 ; et verbum respondens, I Tim. V, 22 ; Act. VI, 6, XIII, 3), vel χειροθεσία ; sed

plerumque vocatur in monumentis ecclesiasticis et liturgiis Χειροτονία. Cf. de his vocibus Hinc. de Ord. n. 5 et 6.

2°) Traditio suppleus paucitati documentorum quae in N. Test. habemus de electionibus episcoporum tempore apostolico, ostendit, in primordiis Ecclesiae plurimas electiones sine ullo populi interventu factas. Nam:

α) Apostoli, et speciatim Petrus, Petrique pariter successores, saepe creaverunt Episcopos in aliquo loco nondum converso ad fidem, immo miserunt ad remotos et infideles populos. Atqui in illo frequenti casu, nullas certe partes populus habuit, aut habere potuit: nec populus eorum locorum quibus episcopi destinabantur, utpote nondum formatus, immo aliquando in loco remotissimo: nec populus ejus loci in quo ordinabantur et ex quo mittebantur, tum quia gratis id asseritur, tum quia saepe ordinabantur in loco adhuc ethnico, primitiae neophytorum, tum quia nullo jure populus unus eligere potest Episcopum populi alterius, praesertim cum ideo electionem Episcopi jure divino velint adversarii pertinere ad populum, ne populus pastorem accipiat quem nec novit nec vult. Ergo. — Probo Maj. ex Clemente Rom. I Cor. c. 41 (supra p. 19): « Episcopos et diaconos eorum qui credituri erant constituerunt (Apostoli per regiones et urbes) ». — Et ex Innocentio I, epist. ad Decentianum « Cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, Siciliam, insulasque interiacentes nullum hominum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus Apostolus aut ejus successores constituerunt Sacerdotes. » Constituebantur ergo ad instituendas ecclesias in locis remotis. (Hinc. de Ord. n. 34). — S. Augustinus monachus sic a S. Gregorio Magno designatus est Episcopus, sine Anglorum vel suffragio vel postulatione ulla, ut patet ex Beda l. 1 hist. Anglorum c. 23 et seqq.

β) Apostoli exhibentur ut ipsi simpliciter constituentes Episcopos, in antiquis documentis: qui modus loquendi satis per se excludit electionem a populo. Sta S. Irenaeus (supra p. 556) testatur Polycarpum Smyrnis "ab Apostolis constitutum

episcopum, quem et nos vidimus», ait. — Tertullianus de Præscript. c. 32, eumdem Polycarpum dicit "a Joanne collocatum". Clemens Alexandrinus, apud Eusebium hist. eccl. III, 23, dicit: «Joannes ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut Ecclesias formaret... homines sibi a divino Spiritu indicatos in clerum quendam seu sortem Domini seponeret.» Ex ejusdem Clementis librum "Quare dives salvetur" c. 42 (Migne IX. 647). — Alexandrinæ Ecclesiæ primum episcopum a S. Petro datum esse Marcum Evangelistam, habetur ex Eusebio h. eccl. II. 16.

c) Ex antiquissimo testimonio Clementis Romani jure proprio et divinitus accepto Apostoli constituerunt ministros, I Cor. c. 43: «Illi (Apostoli), quibus a Deo hoc opus fuit concreditum in Christo, constituerunt prædictos (rectores Ecclesiarum).» — Nec tantum de primis Episcopis, sed etiam de horum successoribus constituendis, Apostoli habuerunt curam et tradiderunt regulam, juxta eumdem Clem. c. 44 (cf. supra p. 19): «Et Apostoli cognoverunt per D. C., quod futura esset contentio de nomine episcopatus: ob eam ergo causam ... constituerunt prædictos (ipsi), et deinceps futuræ successionis regulam tradiderunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent.» Ubi sic arguit Card. Hergenröther (de catholicæ ecclesiæ primordiis recentiorum protestantium systemata, dissert., n. 22): «Consilium Apostolorum erat evitare lites de episcopatu, quas extituras præscivere; ut his tolleretur occasio, ipsi episcopos instituerunt. Atqui ea lites nullo facto vitarentur, si deinceps universa plebi permisissent, quibus vellet liturgiam concredere... Profecto miserrima conditioni Apostoli reliquissent Ecclesias a se fundatas, si nullum præstitissent medium, quo unitati satisfieret, si post ipsorum mortem singularum communitatum jura disponenda primitus fuissent.... Contradicit plane Clementi, qui Apostolos nullo modo schismatibus futuris providisse affirmet, ac chaoticis tenebris Ecclesiæ constitutionem obvolutam Apostolorum tempore existimet,» — ut existimant illi recentiores Protestantes quos ipse confutat.

d) Etiam ubi ex aliquo documento apparet Episcopum fuisse per suffragia creatum, non statim concludendo electio a populo, cum potuerit esse electio a solo clero, imò a nobiliore parte cleri tantùm: v.g. Alexandria, post S. Marcum, teste S. Hieronymo, ep. ad Evangelum (Migne. XXII. 1193), episcopus creabatur per electionem, sed solorum presbyterorum.

Ex his omnibus inferre licet cum Bellarmino, de clericis l. I c. 7, « eam rationem eligendi ad suffragia populi paulatim in Ecclesiam irrepsisse;... initio enim, hoc est Apostolicis temporibus, insciente populo pastores eligebantur. »

II. Etiam quando habita est interventio populi, generatim populus non propriè eligebat, sed electioni assentiebat, suo testimonio de vita et moribus personæ electæ, ut asserit Pius IX in Encycl. "Quartus supra vigesimum" ad Armenos, 1873 (in diario "Acta S. Sedis" vol 7. p. 239): « Accurate distinguendum est (ne quid à catholica fide alienum asseratur) jus eligendi Episcopos a facultate testimonii ferendi quoad eligendorum vitam et mores... Nulla enim neque divino neque ecclesiastico jure facta unquam fuit populo Episcopos vel aliosve sacrorum administros eligendi potestas. Ad testimonium plebis quod spectat de vita et moribus eorum qui ad Episcopatum provehendi sunt, mos iste aliquandiu in Ecclesiâ viguit. » Hæc valde necessaria distinctio comprobatur ex antiquis documentis, v. g.:

1°) Ex S. Cypriano, qui v.g. electionem Sabini in Hispaniis habitam commemorans, quam legitimam vocat, duo in ea distinguit, suffragium & judicium, illud plebi, hoc episcopis tribuens. Unde liquet non ita stricte suffragii nomen Cyprianum accepisse, ut nos solemus, neque vim decretoriam, quæ electis jus conferat eidem adjudicasse. Populus scilicet per modum testis, non judicis, intervenibat: Episcoporum autem (provinciæ) erat, electionem concludere et definire. En verba S. D.,

epist. 68 edit. Pomelii (Migne III, 1025): « Quod et apud vos factum videmus in Sabini collega nostri ordinatione, ut de universa fraternitatis suffragio et de episcoporum... judicio episcopatus ei deferretur, et manus ei in locum Basilidis imponerentur. » Et ib. ait « de divina auctoritate descendere, ut sacerdos (Episcopus) plebe presente sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. » Dot solum ad summum ex auctoritate divina descendere ait Cyprianus, ut quilibet ex populo, si qua forte noverit ordinandi Episcopi crimina occulta quæ illum eo munere indignum redderent, detegere ponit & debeat, et quoad hoc « plebs.. maxime habeat potestatem eligendi dignos" prædicando illorum merita « vel indignos recusandi" detegendo eorum crimina. Et quod solum jus ita testificandi tribuat populo, patet ex Eleazari exemplo quod statim affert ex libro Num.: at Eleazarum, Aaronis filium, certe non electione totius synagogæ seu populi, sed tantum in præsentia totius synagogæ constitutus est à Moyse, Deo imperante. cf. Witc. De ord. n. 43.

2° Ex Origene, qui eodem modo explicat interventum populi, hom. 6 (al. 4) in Leviticum « Licet Dominus de constituendo pontifice præcepisset, et Dominus elegisset, tamen convocatur & synagoga. Requiritur enim in ordinando sacerdote et præsentia populi, ut sciant omnes et certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium. Et hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio oriatur, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem quod & apostolus præcepit in ordinatione sacerdotis (I Tim. III. 7) « Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt ".

3° Ex historico pagano Lampridio in vita Alexandri Severi imperatoris, qui christianos mitius tractavit, eosque in hoc imitatus est: « Ubi aliquos voluisset (alexander) vel rectores provinciis dare vel propo-

sitos facere vel procuratores .... nomina eorum proponebat, hortans populum ut si quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, pœnam subiret capitis. Dicebatque grave esse, cum id christiani et judæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus et fortunæ hominum committerentur et capita. »

4°) Et S. Leone M ep. 167 (supra p. 86), ubi clericis tribuit "electionem", populo desideria et testimonia (« a plebibus expetiti »), Metropolitano judicium de tota electione, provincialibus tandem Episcopi « consecrationem ». — De necessaria "sententia Metropolitani" v. et. Nic. I. can. 6 (sup. p. 85)

Adverte tamen, per modum loquendi paulo latiorem, adscribi tunc potuisse electionem clero et populo; et sic explicari documenta quædam quæ nobis minime quoad rem ipsam contradicunt. Nam quando actio una, tendens scil. ad terminum unum (ut est Episcopus constituendus), fit a pluribus quamvis diverse influentibus in effectum totalem, potest eadem actio adscribi omnibus cum distributione accommoda, ut aiunt, nempe descensum ad particulares causas intelligendo accommodatum ad uniuscujusque ordinem gradumque participationis.

III. Nec negamus, in specialibus locis et adjunctis ad ipsam electionem populum cum clero vere admissum fuisse: sed hoc, si non ex usurpatione illegitima, saltem non fuit nisi ex disciplina aliqua particulari et locali, proinde non ex jure divino, sed ex concessione quadam ecclesiastica quæ nec sit generale jus ecclesiasticum. — Deinde concessio illa, si qua fuit, retractata est quando pericula abusus affuerunt, vel prohibita ne se extenderet: et ex illa ejus retractione vel prohibitione apparet iterum jus eligendi ad populum minime pertinere jure divino. Nam Conc. Laodicenum can. 13: « Non

est permittendum turbis electionem eorum facere qui sunt ad sacerdotium promovendi.» Et Nic. II oecum. cap. 3 statuit « omnem electionem, quae fit a magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere. Oportet enim eum qui est promovendus ab Episcopis eligi.» Denique Constantinop. IV, oecum. VIII, can. 28: « Sancta et universalis Synodus definit, neminem laicorum principum vel potentum semet inferre electioni vel promotioni Patriarchae vel Metropolitani, aut cujuslibet Episcopi: praesertim cum nullam in talibus potestatem quemlibet potentum vel caeterorum laicorum habere conveniat, sed potius attendere sibi ac silere usquequo regulariter a collegio Ecclesiae suscipiat finem electio futuri Pontificis.»

IV. Imo ipsa populi praesentia et testificatio, licet aliquandiu fuerit de jure ecclesiastico, de disciplina generali, certe non est de jure divino, neque ita necessaria ut non possit mediis aequivalentibus suppleri. — Nam supra vidimus Apostolos saepe hoc omisisse, et inscio populo elegisse populo Episcopos. Et S. Cyprianus, cujus verba maxime nobis objiciuntur, ipse epist. 33. ad clerum et plebem scribit de ordinatione Aurelii a se facta sine tali testimonio: « In ordinandis clericis, fratres carissimi, solemus vos antea consulere et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Sed expectanda non sunt testimonia humana cum praecedunt divina suffragia.» — Quando igitur idem Cyprianus in cit. epist. 68, « e traditione divina et apostolica traditione » disciplinam repetit quae suo tempore « fere per universas provincias » vigebat circa ordinationem Episcopi (scil. quod « Episcopi ejusdem provinciae conveniant » ad electionem, et « Episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit »), — non proprie jus divinum significat, seu praeceptum divinum: immutabile pro praesentia illa ac testimonio plebis, sed hoc tantum intendit, exemplum datum esse a Deo ipso (in V. T. in elect. Eleazari) et ab Apostolis: in electi-

one Mathiae aliquomodo, et in electione diaconorum) (Wirc. de Ord. n. 46).

Publicum illud plebis testimonium tardius fuisse invectum propter speciales necessitates in Ecclesiae consuetudinem asserit etiam Pius VI in Litt. Apost. contra civilem cleri constitutionem in Gallia, 10 Mart. 1791: « Postquam per vim Arianorum, quibus imperator favebat Constantius, exturbari a suis sedibus caeperunt catholici praesules in easque sedes immitti illorum assecla, ut S. Athanasius (hist. Arian. ad Monachos n. 4) deplorat, ipsa temporum coegit necessitas ut in Episcoporum electionibus populus adesset, unde incenderetur ad tuendum in sua sede Episcopum, quem coram se electum esse novisset. » Haec referens Pius IX in citata Enc. ad Armen. addit: « Et quidem mos iste aliquandiu in Ecclesia viguit; verum cum continua excitarentur discordiae, tumultus, caeterique abusus, oportuit populum ab electionibus removere, ejusque testimonium et desiderium circa personam eligendam praeterire. Uti enim S. Hieronymus advertit (lib I c. Jov. n. 34) « nonnunquam errat plebis vulgique judicium, et in sacerdotibus comprobandis unusquisque suis moribus favet, ut non tam bonum quam sui similem quaerat praepositum. »

Quanti autem abusus ex interventu laicorum orti sint, videre est v.g. ex S. Augustino epist. 110 et 225 (al 213 et 126) ubi turbulentissimam refert seditionem popularem in Piniani electione. Item ex commotione orta in electione S. Damasae Papae in qua 137 homines fuerunt in templo necati, ut constat tum ex historia Rufini (l. 11 c. 11) et chronico Hieronymi, tum ex historico pagano Ammiano Marcellino (c. 27). Queritur etiam de populi interventu S. Chrysost. l. 3. de Sacerdotio.

Quamobrem et potuit et debuit Ecclesia Romana publicum illud testimonium plebis supprimere (in ordinationis tamen ritu aliquomodo

conservatum, quando Episcopo interroganti "Scis illos dignos esse?" respondens Archidiaconus, totius populi nomine testimonium reddit.) Sed alia ratione illius Ecclesia compensavit et sane debet semper ante promotionem fieri seria de ordinandis inquisitio. - Potius Protestantium multa secta sui in hac re principii contradixerunt in praxi: cf. Wirc. d. Ord. n. 44.

V. Si jure divino competeret populo potestas electioni vel saltem potestas præsentandi aut approbandi electionem aut quocumque modo testimonium ferendi publici et communibus suffragiis, nulla et irrita essent omnes electiones aliter factæ, nam juri divino prævalere nequit opposita consuetudo vel lex ecclesiastica. - Atqui Trid. s. 23 can. 8 (Sup. p. 568) definit «legitimos et veros Episcopos esse «qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur» scil. absque interventu populi, secundum modum tempori Trid. vigentium. - Ergo Tridentino contradicunt Rosminius et alii, dum dicunt interventum populi ad eligendum esse de jure divino.

De tota hac quæstione cf. inter alios Bianchi (Potestà della Chiesa, t. 2. l. 1. c. 6); Thomassin (Vetus et Nova Eccl. Disc., l. 2. p. 2. c. 1, seqq.; Zarquini (Juris eccl. publ. l. 2. n. 18, et apud Mazzella de Eccl. n. 526); - Bellarm. - Wirc; Liberatore, l. c.

Corollarium. Ergo prorsus erat D. D. Bougaud (Le Christianisme et les temps présents t. IV. 3. 6. ch. 1) ubi dicit: «A toutes les époques l'Eglise a largement usé du suffrage universel.» Non solum falsum est quod omni tempore, sed etiam quod aliquo tempore suffragio proprie universali usa sit Ecclesia. Nec magis sustineri potest quod ibid. addit: «Le suffrage universel sort des entrailles de l'Evangile, mais comme un fruit exquis dont l'usage doit être l'honneur et le privilège réservé de l'humanité régénérée"

Scholion I. Alica pro multitudinismo objectiones refelluntur.

Obj. I°) Matth. XVIII. 15: « Dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » Ecclesiæ hic tribuitur ultimum judicium, proinde Suprema jurisdictio. Atqui "Ecclesia" est fidelium omnium cœtus, seu tota multitudo. Ergo.

Resp. Dist. Min.: sæpe, "Ecclesia" sumitur pro tota multitudine, Cone.; semper, vel in hoc particulari loco, Nego. — "Ecclesia" enim hic: a) potest sumi de quibusdam tantum, scilicet Pastoribus, imo de uno Supremo Pastore. Nam usus loquendi sinit ut nomen "Ecclesiæ" de "Ecclesiæ Pastoribus" sumatur: ut videre est hodie non solum apud Catholicos, sed etiam apud Protestantes: sicut etiam nomen totius nationis "Gallia, Anglia, Germania" etc. sumitur sæpe pro solo gubernio, etiam monarchico. Nec novus est hujusmodi usus, nec mirandus in ipsius X^i sermone. Nam in ipso V.T. per "populum" et "omnem cœtum Israel" sæpe intelliguntur Seniores populi cf. Exod. IV. 29-31, Iosue XX. 9, I. Parafip. XIII, 1.2. Et vicissim in N.T., nomen "Christi" invenitur datum non tantum ipsi X° capiti corporis Ecclesiæ (Eph. IV. 15; V. 23), sed aliquando toti corpori seu Ecclesiæ, I. Cor. XII. 12. — Igitur propter intimam connexionem corporis & capitis, tum "Christus" potest dici de Ecclesia, tum vicissim "Ecclesia" de Christo et consequenter de iis qui pro X° legatione fungiuntur: quatenus id [illegible] "Ecclesia" seu tota collectio, quod agit [illegible] invisibile, sive visibile.

[illegible] tantum hic potest sed debet "Ecclesia" [illegible] si contextus esset indifferens ad [illegible] significationem, hoc tantum sequeretur, [illegible] à formâ regiminis ecclesiastici, [illegible] hanc formam opportunum non esse ad formam [illegible] Ecclesiæ determinandam: hanc vero formam ex

aliis locis in tota praesente disputatione allatis cognoscimus, quod sufficit: cum ergo hic agatur de supremo judicio "Ecclesiae" et aliunde probaverimus supremum judicium non residere in multitudine, necessario sequitur hic "Ecclesiam" intelligi non posse de multitudine qua formaliter judicante et supremam auctoritatem possidente;

2) Sed et ipse praesens contextus indicat "Ecclesiam" hic non esse intelligendam de multitudine. Nam inter sententiam objectam "Dic Ecclesiae: si Ecclesiam non audierit, etc." et phrasim immediate sequentem «Amen, amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram» etc, inter haec duo, inquam, datur nexus scil. causalis: cur «Ecclesiae» sententiam audire debent fideles? quia illa Ecclesia habet a Xo potestatem ligandi et solvendi. Nexus ille est obvius; eum si negas, minime explicare potes cur in media instructione de charitate fraterna Christus jaciat illud "amen ... etc, quaecumque alligaveritis. etc." — Cuius ergo hic alloquitur Xus: «Quaecumque alligaveritis» etc, iidem sunt vel erunt illa "Ecclesia" ad cujus judicium erit recurrendum et obediendum. Jam vero quos alloquitur Xus in hoc capite, sunt "discipuli" scil. duodecim, qui initio hujus capitis, postquam Petrum extulerat Xus magna distinctione honoris in solutione tributi, habuerunt inter se solitam contentionem de prioritate et Jesum de hoc interrogaverunt. Ergo "Ecclesia" hic intelligenda est de Apostolis eorumque successoribus Episcopis, sive conciliariter aliquid judicent, sive et in solo judicante suo capite supremo (de quo jam supra in cap. XVI similia verba singulariter dicta sunt) ipsi judicare censentur. Confirmat hunc sensum

3) parallelismus: nam sicut Xus nunc dicit: «Si Ecclesiam non audierit; sit sicut ethnicus», etc., — ita sicut (Luc X. 16.): «Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit me spernit» cf. ad apost. Matth. X. 40, Io. XIII. 20. Unde Stapleton, antidota evangelica, in h. l.: «Quid sit dicere Ecclesiae, vel non audire Ecclesiam hoc loco, satis perspicue

Christus docuit, quando non populo ... sed solis Apostolis eorumque successoribus dixit: Qui vos audit, me audit etc. Dicit ergo Ecclesiæ, qui dicit Præposito Ecclesiæ; et audit Ecclesiam qui audit Præpositum Ecclesiæ." — Confirmat et 4) interpretatio, quam de hoc mandato Christi a "Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus" etc; dedit ipse Apostolus, qui hanc sententiam judiciariam et excommunicationem ferri non a toto cœtu populi, sed a solo Pastore supponit, v. g. I Timoth. I, 20: "Hymenæus et Alexander quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare." (cf. V, 19, 20) et Tit. III, 10: "Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem devita" etc. — Confirmat et 5) interpretatio Patrum v. g. Chrysostomi in h. l., et totius Ecclesiæ a primis temporibus, ex cujus historia novimus, non populum sed Pastores (ac præsertim supremum Pastorem) judicia exercuisse. Nusquam enim est auditum in Ecclesia, ut appellaretur ab Episcopis ad populum, neque ut populus absolverit quos Episcopi ligaverant, vel ligaverit quos Episcopi solverant. — Bellarm. de Rom. Pont. l. 1, c. 6; de Clericis l. 1. c. 7. —; Schrader, de Unitate Romana l. 1. n. 218, — Palmieri l. c.

Instant 1) Lutherani. — Christus, Matth. XVIII, 15-17, gradatim ascendit ab admonitione facta ab uno, ad testes duos vel tres, deinde ab illis testibus ad "Ecclesiam.". Ergo "Ecclesia" debet multitudinem significare, secus non esset gradatio ascendens, immo potius esset descensio si unus Romanus Pontifex hic intelligeretur unquam nomine "Ecclesiæ", ut volunt Catholici. — Resp. Nego cons. Falso supponunt, gradationem hic non aliam esse quam arithmeticam: "oratio Christi (ait Schrader l. c.) non progreditur arithmetice a numero minore ad numerum continenter majorem, sed a personis privatis ad personam publicam, et a correptione caritatis ad correptionem juridicam." (cf. hanc distinct. supra p. 325, seqq.) — Ergo etiam quando ultimo loco ponitur solus Romanus Pontifex (qui certe non

lenetur semper conciliariter judicare et excommunicare), « non propterea (ait Stapleton l.c.) Christi gradatio hoc in loco manca aut mutila, sed prorsus perfecta et plena est. Plus enim est uni dicere, seu apud unum querelam deponere, penes quem auctoritas est alligandi in terra quæ erunt ligata in cœlo, quam vel privatim, vel coram testibus corripere qui refractarium per excommunicationem aut aliam censuram puniendi potestatem non habent. »

Instant 2°: Quando Christus dixit: « Dic Ecclesiæ » etc, tunc nondum jurisdictionem contulerat Petro et Apostolis, fatentibus ipsis Catholicis. Ergo « Ecclesia » nequit intelligi de illis, sed de tota multitudine — Resp. a): Retorqueo arg.; quando hoc dixit Christus, certe multitudo nullam habebat jurisdictionem vel exercitium jurisdictionis, nam ad illum pusillum gregem regendum plane sufficiebat Christus ipse visibiliter degens cum eis, imo repugnabat judicium supremum esse in multitudine non in Christo: ergo "Ecclesia" hic nequit intelligi de multitudine. — b) Nego cons. et suppositum, scil. Christum præceptum hic dare pro præsenti; cum tempus hac re nondum indigeat. Unde (ut ait Stapleton l.c.) « Ecclesiæ nomine illi intelligi debent, quibus postea Christus omnem disciplinæ Ecclesiasticæ potestatem commisit. Neque enim Christus in his verbis, Dic Ecclesiæ, dat aliquam auctoritatem Ecclesiæ; sed præsupponens illam auctoritatem futuram, ostendit quanta et qualis esse debeat. Penes autem quos futura esset, non his verbis, Dic Ecclesiæ, sed sequentibus illis, Quæcumque alligaveritis etc. explicat Christus. »

Instant 3°: Calvinus et alii. Christus hic sumere debuit vocem « Ecclesiæ » in eo sensu in quo tunc intelligebatur de institutione quadam tunc existente, scil. pro coetu populi Judaici (qui "ecclesia"

dicitur a Septuaginta Interpretibus v.g. Deuteron. XXXI. 30, Jos. VIII. 35, etc.), vel potius pro synedrio seu tribunali Seniorum populi, quorum arbitrio tunc omnis disciplina subjacebat. — Resp. Nego assert. — Utique nomen Christus mutuatus est (ut fit) ex rebus jam existentibus, propter quamdam analogiam: sed quoad rem, tunc certo non curabat Christus de Synedrio vel Synagoga Judaica praesente et mox peritura, sed de futura societate et auctoritate ab ipso creanda, nam paulo ante, Matt. XVI. 18, dixerat: « Et super hanc petram aedificabo (ego, in futuro) Ecclesiam meam. » — Ergo ex ipsius Christi et Apostolorum et Patrum verbis videndum est quomodo Christus suam Ecclesiam aedificaverit, non ex vi nominis apud Judaeos est arguendum. Ergo nihil valet istud argumentum Calvinistarum, qui inde voluerunt derivare suum « Consistorium » seu Synedrium seniorum populi ad imitationem Judaeorum, quasi Christus ipse in hoc textu istud praeceperit. — Caeterum id non esset contra thesim praesentem: nam si Christus voluisset apud Christianos aliquod gubernium ad imitationem Synagogarum, eo ipso non dedisset gubernium populo, sed episcopis et presbyteris qui aliquam cum ducibus synagogarum habent analogiam: ergo nihil inde pro multitudinismo proprie dicto posset inferri.

Obj. 2ª) Apostolus (cf. supra p. 65) judicat et excommunicat incestuosum Corinthium non ipse solus, sed « congregatis » simul omnibus Corinthiis cum ipso in spiritu, I. Cor. V. 4. — Ergo — Resp. Dist. Ant.: congregatis ad judicandum, Nego; ad solemnitatem quamdam accidentalem judicio addendam, Conc. Nam et concio populi vocari solet, ut sententia solemnis proferatur. Cum vero ibid. v. 12 ... ait: « Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis », haec verba vel ad eos referuntur qui in Ecclesia Corinthi auctoritatem habebant judicandi, vel de judiciis saecularibus agunt, de quibus et cap. seq. agitur (P. Palmieri, Proleg. § 12. V.) — Sane, ut advertit Hergenröther, op. cit. l. 2. n. 24, « ipse Paulus judicium tulit

(I. Cor. V.3) et quidem cum virtute Christi et in ejus nomine (ib. 4); ipse eum absolvit ἐν προσώπῳ Χριστοῦ propter Corinthios (δι' ὑμᾶς, II. Cor. II.10), quod vero ecclesiæ cooperationem commemorat, id ratione satisfactionis fit, quæ ob publicum scandalum danda etiam ei fuit, uti et posteriora monumenta dicunt; rursum ob merita sanctorum pro pœnitente intercedentium et absolutis dabatur facilius ac citius (II. Cor. II. 6 seqq.); sed dabatur ab Apostolo directe et auctoritative. Cum his conferri debent, quæ de indulgentiis unanimiter catholici tradunt doctores." — Huc etiam pertinent quædam verba difficilia S. Augustini (l. 3 de Bapt. c. Donat. c. 18) et S. Fulgentii ejus discipuli (de Fide ad Petrum c. 3) à quibus hæc verba Scripturæ, « ligare et solvere » (a peccatis) accommodantur Ecclesiæ sumpta pro toto cœtu fidelium, non verò quatenus liget et solvat proprie et auctoritative (seu ex potestate clavium immediate in se residente tanquam in subjecto) — sed improprie et impetrative tantum, quatenus scilicet charitas et merita et orationes fidelium justorum prosunt fidelibus peccatoribus, iisque gratiam et justificationem impetrant: eo sensu improprio, « claves Ecclesiæ » pertinent tantum ad justos, dum sensu proprio pertinent etiam ad illos ex Pastoribus qui sunt in statu peccati. « Excogitavit autem hunc modum loquendi Aug. propter Donatistas, quibus mirabile videbatur, hæreticos posse per baptismum homines justificare et in Ecclesiam introducere, cum sint ipsi cooperti peccatis, et extra Ecclesiam. Ad hanc admirationem tollendam, dicit Aug. non tam, eum, qui baptizat, remittere peccata, quam gemitum columbæ » (scil. orationes Sanctorum, qui in vera Ecclesia sunt, seu caritas Ecclesiæ verè, quæ etiam extra Ecclesiam se extendit, et impetrat gratiam). Hæc Bellarminus, qui optime totam hanc difficultatem explicat, de Rom. Pont. l. 1 c. 12.

Obj. 3°. Videmus Apostolos gubernasse cum Senioribus populi; v. g. Act. XV. 2 (supra p. 63, 66)

res defertur ad Apostolos et Seniores. — Atqui seniores populi nihil aliud esse, quam laïci ætate maturi, representantes populum, poterant. Ergo. — Resp. Nego. Maj.: in objectis locis non legimus Seniores populi, quod potius laïcos significaret sed simpliciter Seniores, græce πρεσβύτερους: quæ vox et jam multo ante Christum dignitatem sæpe, non meram ætatem significabat (supra p. 168, 169): et in Novo Testamento certe specialem dignitatem significat, tum a) quia non ex ætate oriebatur ille titulus aut ex alia causa mere temporali et profana, sed per ritum sacrum impositionis manuum conferebatur (supra p. 16), tum b) quia hæc vox in Scriptura N.T. et apud antiquissimos Patres sumitur ut synonima episcopi (supra p. 166), tum c) quia ipsi Apostoli divino jure segregati a populo et supra populum constituti, ipsaque Petrus divino jure caput Ecclesiæ, aliquando se vocant — „presbyteros" seu „Seniores" (supra p. 165); tum d) quia Traditio antiqua „πρεσβύτερους" prorsus opponit laïcis seu populo, ut jam videre est in Tertulliano (supra p. 22), Origene (p. 23) etc. — Et quando vox „Seniores" in aliquo loco v.g. in Africa applicata est ad quosdam laïcos, custodes bonorum temporalium Ecclesiæ, clare tamen distinguebantur a Clero, nullamque, præsertim Supremam, jurisdictionem exercebant (supra p. 185, 186).

Igitur textus objecti, cum ibi episcopi vel ad summum simplices presbyteri significentur, potius pro nobis quam contra nos militant. Licet enim absolute potuissent Apostoli omnia per seipsos decernere, convenientissimum tamen fuit, aliqua decernere simul cum suis successoribus, ut hos ad regendas Ecclesias exercerent, utque ipsis mortuis aut absentibus, extarent qui Ecclesiæ administrationi forent idonei. Debuerunt etiam apud vulgus fidelium honorem illis ac reverentiam ita conciliare (Cercia De Eccl. t. 1 s. 2. lect. 13).

Instant. Ibid. in decreto Conc. Hierosolymitani, ubi vulgata habet v. 23.: "Apostoli et seniores fratres", in quibusdam codicibus textus græci et antiquis versionibus legitur: "apostoli et seniores et fratres", qui fratres, distincti ab ipsis senioribus

non possunt esse nisi laici, qui proinde et ipsi decretum ferunt — Resp. a). Ius habemus cum Tischendorfio praferendi lectionem "seniores fratres": nam (ut advertit Franzelin de Eccl. thes 14, IV) ita habent codices praestantissimae notae A, C, D, et alii; versiones latina vulgata, armena; Patres Irenaeus, Origenes, Athanasius, Pacianus, Vigilius. — b) Etsi ipsi simplices "fratres" revera nominarentur in illa salutatione praevia decreto qua mittitur ad "fratres ex gentibus", non sequeretur eos auctoritative se habuisse in mittendo decreto, sed tantum consensisse decreto emanante ab hierarchis. Nam cum a pluribus una actio fit, licet quidam tantum ex auctoritate imperent, alii consensum debitum praestent, potest eadem actio cum distributione quidam accommoda omnibus ascribi (Palm. P. c.) — Et in contextu, illud idem decretum dicitur postea semper emanasse „ab apostolis et senioribus", nullo verbo addito (Act. XV. 41., XVI. 4).

Obj. 4°, laicos in primeva Ecclesia docere potuisse — Resp. a) ex hoc non sequitur eos gubernavisse Ecclesiam, nam aliud est magisterium aliquod, aliud est jurisdictio (thes. IV), de qua nunc loquimur. — b) In sola potestate ordinis habetur aliqua absolutè exclusio laicorum, quoad quasdam functiones sacras, quae omnino requirunt personas consecratas (supra p. 6 segg.) Magisterium autem et ipsa jurisdictio, possunt absolute a laicis justâ quamdam mensuram exerceri, sed ex delegatione: quod pro jurisdictione quidem rarius fit (et est lex id prohibens, sed de jure ecclesiastico tantum, ita ut Summus Pontifex, qui super hanc legem est, certè possit delegare aliquem laicum v.g. ad judicandam causam ecclesiasticam, cf Bouix de Judiciis t. 1): pro magisterio autem saepius, cf. supra p. 114. Et in primis Ecclesiae temporibus, cum major necessitas et penuria esset docentium, potuit esse permissio seu delegatio generalis laicis facta ut religionem docerent. Ita Hergenröther, De catholica Ecclesiae primordiis recentiora protestantium systemata, n. 23 sq. Laici praedicabant ab Episcopo jussi vel permissi; et si, in prioribus documentis, interventus episcopalis auctoritatis nulla fit mentio, id non probat, eam non intercessisse

...; non sequitur id jure suo singulos habuisse; poterat enim generalis tunc esse permissio, qua idonei publice docere sinebantur, quae permissio tunc erat retractanda, quando minus vel nullatenus idonei id praesumebant vel potestate sibi facta abutebantur. Quod cum fidelium ardore languescente communiter fieret et facile ordo in conventibus turbaretur: rarior necessario evasit ejusmodi laicorum praedicatio. Cum in re nuda facta nihil probant, nisi nativum docendi jus cuivis comprobetur inditum, quod hucusque demonstrari non potuit." Illud nativum jus multitudinis conantur probare praesertim ex difficili illo capite I Cor. XIV, 23 seqq. (cf. supra p. 44). At frustra: nam probari deberet, jus ibi suppositum non oriri ex concessione seu delegatione Apostolorum: praeterea ibi agitur de solis donis extraordinariis scil. miraculosis, non confundendis cum ministerio docendi ordinario a Christo institutito. Quare Hergenröther l. cit.: « Non omnibus hoc permittit Apostolus (in conventu fidelium loqui), sed tantum charismate a Deo ad διδασκαλίαν sive προφητείαν instructis; deinde haec ad extraordinaria dona pertinent, non ad ordinarium Ecclesiae ordinem; denique hoc charismate maxime praediti ipsi illi (erant), qui simul et essent Pastores, sicuti Justinus (Apol. I, 67) doctrinae expositionem refert ad προεστῶτα. »

5). Haec nota cum D. Duchesne, les orig. chrét. ch. 6: « Au 2e siècle, rien n'est plus fréquent que les lettres d'église à église dans lesquelles les chefs ne sont pas nommés, non pas qu'on les exclue ou qu'on en fasse abstraction, mais parce qu'ils sont conçus comme formant un seul corps avec leur communauté. De là ces formules: « L'église de Dieu qui habite Rome à l'église de Dieu qui habite Corinthe » etc. » (Cf. v. g. epistolas S. Dionysii Corinthii, supra p. 178, 417). Habemus similes et hodie locutiones, ut notat idem auctor: « Malgré la différence de pouvoirs entre le curé et les vicaires, on les conçoit très-bien comme formant groupe et on parle du clergé de la paroisse. De même quand il est question de l'Eglise enseignante, nous entendons le Pape et les évêques à la fois, sans exclure la différence de situation entre le Pape et les évêques. »

Scholion II. Utrum Ecclesiæ regimen nihil aliud sit quam evolutio seu imitatio reginiinis synagogarum Judaïcarum.

Protestantes non pauci (post Grotium, Bæhmer, etc), etiam nostris diebus, formam primæram reginiinis Ecclesiastici finxerunt fuisse ipsam formam judaicarum synagogarum, quæ præsertim post captivitatem babylonicam et dispersionem in diversis locis exstiterunt, (data necessitate conveniendi ad orationem legisque explicationem, alibi quam in templo Hierosolymitano), quæ suam originem institutioni humanæ debebant, et quamvis invicem confederatæ, seipsas singulæ independenter regebant.

Data non concessa tali hypothesi imitationis synagogarum, adhuc falsæ remanerent aliquæ consequentiæ ad quas derivandas introducta est ista hypothesis. Nam 1:) aliqui, contra nostram thesim II, ex ista hypothesi concludere voluerunt, Ecclesiam initio non habuisse propriæ dictam jurisdictionem: quia synagogæ illæ non habebant. – Sed hoc falsum est: nam in Palæstina, Syria, Asia minore, aliisque provinciis ubi primas Ecclesias Apostoli fundaverunt, synagogæ, quamvis pœnam capitalem decernere non possent, tamen judicare poterant de omnibus causis ad suam Legem spectantibus, et pœnas etiam corporales infligere, ut carcerem, flagellationem. Nam ipse Christus Matth. X, 17 prædicit suis discipulis: „In synagogis suis flagellabunt vos;" cf. Act. Apost. v.g. XXII, 19; XXVI 11. Hoc jus et Romani agnoscebant, v.g. Cæsareæ, coram Felice romano præside querunturJudæi, suo ipsorum judicio ereptum esse Paulum, Act. XXIV, 6: „Quem et apprehensum voluimus secundum legem nostram judicare." Et in Achaia, Gallio proconsul materias religiosas ipsi synagogæ judicandas relinquit, Act. XVIII. 15: „Si vero quæstiones sunt de... lege vestra, vos ipsi videritis; judex ego horum nolo esse." Erat etiam excommunicatio quædam è synagoga, Joan. IX, 22; XII. 42.

2:) Nec valeret ex eadem hypothesi hæc alia conclusio: „Synagogæ illæ erant humanæ institutionis: ergo a pari

regimen Ecclesiæ." Nam si gradus episcoporum, presbyterorum et ministrorum aliquomodo ad imitationem synagogarum (in quibus erat semper sub uno præside, collegium seniorum, et, inter alia officia, aliqui eleemosynarum distributores), si, inquam, ad imitationem synagogarum sed ab ipso Christo hæc fuerunt instituta, habetur in his divina institutio dicet gubernium synagogarum ipsum fuerit humanæ institutionis. Restaret igitur adversariis demonstrandum, sine ullo præcepto positivo divino Apostolos tale gubernium instituisse, ut meram humanam adinventionem vel imitationem; quod ab eis non demonstratur, et est contra Scripturam et Traditionem, quòd Apostoli normam à synagogis mutuati sint quasi destituti propriâ normâ a Christo traditâ: probavimus enim, formam regiminis ecclesiastici seu normam Ecclesiæ ædificandæ, a Christo processisse.

Cæterùm falsa est hypothesis imitationis synagogarum, saltem si intelligatur imitatio perfecta et plena, ut volunt illi protestantes. — Nam **a.)** si revera, ut aiunt ipsi, non habebatur supra omnes synagogas centralis auctoritas (quæ post excidium Hierosolymitanum facilius potest concedi), si unaquæque synagoga revera communi plurium auctoritate regebatur in his duobus punctis omnino differunt singulæ christianorum Ecclesiæ, ex probatis supra de Summo Pontifice et Episcopis. — Præterea **b.)** qui in synagogis vocabantur seniores seu presbyteri, magisterio quodam et jurisdictione instructi, potestatem non habebant offerendi sacrificium, proinde non erant "sacerdotes" seu ἱερεῖς (supra p. 182); saltem hoc generatim verum est de innumeris synagogis extra Jerusalem et ex duodecim tribubus, cum soli posteri Aaronis essent sacerdotes et in solo Templo Hierosolymitano ex lege esset sacrificandum, quo destructo, jam synagogæ exstiterunt sine ullo sacrificio legali: E contra in Ecclesia presbyteri sunt "sacerdotes" et offerre semper possunt sacrificium, ut probatur in tract. de Eucharistia. — **c.)** Patres etiam antiquissimi, qui Ecclesiæ origines melius noverant quam isti recentiores hypothesem historicarum fabricatores, hierarchiam nostram nunquam assimilabant

regimini hujusmodi synagogarum recentioris humanoque institutionis, saepè verò assimilant hierarchiæ V. Testamenti divinitùs instituta et in Pentatoucho descripta, quasi hæc fuerit umbra et figura hierarchiæ ecclesiasticæ: in eâ enim dabatur unus Summus Sacerdos, cui totus populus subditus erat, in quo conjungebatur potestas et ordinis et jurisdictionis (cf. supra, p. 800); deinde Sacerdotes, et tandem Levitæ seu ministri ipsum altari sacrificiisque inservientes; hæc hierarchia et ipsa aliquando designatur singulari nomine « Synagogæ », quod proinde nomen est æquivocum. Hanc comparationem inter hierarchiam utriusque Testamenti invenimus jam in Clemente Rom. (sup. p. 13), tum in Origene (p. 183), Ambrosio (p. 199), Hieronymo (p. 134), Constitut. Apostol. et aliis auctoribus citatis p. 18.

Nec valent rationes, quibus Dresarii a priori ostendere conantur, omninò juxta synagogarum indolem et regimen primas debuisse Ecclesias formari:

1°) « Apostoli (aiunt ipsi) cùm ad fidem christianam converterent synagogas, quas solas primùm evangelizaverunt, nulla erat ratio cur earum administrationem usu comprobatam immutarent. » — Resp. a) Utique Apostoli prædicationem inceperunt à synagogis: at synagogæ maximè omnium restiterunt novæ fidei. Quare mox Apostoli ad gentes prædicare debuerunt (Act. XIII, 46): aliqua quoad convertos ex gentibus non valet ista ratio conservandi quod stabilitum erat. — b) Ex synagogis ipsis etsi aliqui singulatim et paulatim converterentur, tamen non synagogæ integræ et collectivè spectatæ: quare nec quoad convertos ex judaismo valebat ista ratio. Sane ex Actibus ubique videmus ex synagogis insurgentem persecutionem contra Apostolos; synagogas verò ad fidem conversas collectivè et collegialiter nullibi videmus.

2°) « Romani magnas libertates synagogis judaicis concesserant (cf. v.g. l'abbé Fouard, S. Pierre, ch. 3e, « les Juifs de la dispersion »). — Ergo, ut iisdem libertatibus frueretur, debuerunt primi christiani ipsissimam formam synagogarum assumere. » — Resp. — a) Apostoli, cùm haberent a

Christo praestitutam formam Ecclesiarum, ut probavimus, praecepta Magistri essentialemque Ecclesiæ constitutionem non potuerunt violare majoris securitatis gratiâ: qui adversariis Judæis fortiter respondebant, Act. IV, 20: « Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui », et Act. V, 29: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus. » — b) Etsi voluissent se abscondere subformâ synagogarum, nihil ipsis profuisset: nam Judæi ubique eos Romanis ut novitatem quamdam a se diversam rejectamque strepitosè denuntiabant. Quod apparet jam in Actibus, ubi Judæi contra Paulum constanter excitant motus tumultusque Gentilium, v.g. XIII, 50 (Antiochiæ Pisidiæ), XIV, 2 (Iconii), XIV, 8 (Lystris), XVII, 5 (Thessalonicæ), XVII, 13 (Beroæ), etc.; item accusant eum Judæi coram præsidibus Romanis, v.g. Felice, Festo (A. XXII-XXIV). Item primi Patres testantur, Judæos ubique calumniari christianos, et contra eos odia adversorum movere: v.g. Justinus M., dialog. cum Tryphone, n. 120 (Migne VI, 784): « Jesus, cujus nomen profanatis, et ut in toto orbe profanetis laboratis. » et Ibid. testatur, ad id missos fuisse a Judæis viros delectos omnem in mundum. Tertullianus, ad Nationes, I, 14: « Quod enim aliud genus (nisi genus Judæorum) seminarium est infamiæ nostræ? » Et Origenes C. Celsum, l. 6.

C. Bianchi, della poligia della Chiesa, vol. III, l. 1, c. 2, §. 23.

Appendix

De cœlibatu ecclesiastico.

I. Rationes maxime congruentiæ, quæ, antecedenter ad eam legem positivam præcipientem clericis cœlibatum, eum justificant, hæ præcipuæ possunt afferri:

1°) Statui sublimiori et sanctiori sanctius et sublimius vitæ genus profecto convenit. — Atqui

a) status sacrorum ministrorum, presertim sacerdotum est status sublimior statu laicali; — et b) cœlibatus, virtutis amore susceptus, est vitæ genus sanctius et sublimius matrimonio: id probari solet in tract. de Matrim., et est dogma catholicum definitum a Trid. s. 24. can. 10. Ergo.

2°) Clericus, qui magis ad superiores gradus ascendit, eo expressior esse debet imago Christi, et talis apparere debet populo, quasi medius collocatus inter Deum et homines. — Atqui Christus perfectissimum virginitatis exemplum dedit. — Ergo.

3°) Sacra mysteria digna sunt, ut quam maximâ puritate attrectentur. Hinc sacerdotes Judaici (imo etiam ethnici), quamvis eorum sacerdotium per generationem carnalem esset propagandum, tamen tempore sacrificiorum obligabantur ad continentiam (Exod. XIX, 15; Levit. XV, XXI, 9. XXII, 4). Quanto magis Sacerdotes et Levitæ N. Legis, quorum a) sacerdotium non propagatur per generationem carnalem, nec alligatum est uni familiæ sicut sacerdotium Judaicum alligatum erat familiæ Aaronis, et quorum b) sacrificium et sacramenta (ut patet ex tract. de Eucharistiâ, et de Sacram. in genere) sunt multò excellentiora! Ita jam arguebat Innocentius I, epist. 2. ad Victricium, c. 9 (Vide n. 188).

4°) Clericus, presertim sacerdos, Deo specialiter consecratus est, et specialiter vacare debet orationi. — Atqui matrimonium «dividit» hominis affectus (I. Cor. VII, 33, 34), orationique minùs idoneum reddit (ib. et v. 5). — Ergo.

5°) Status clericalis, etsi non semper actu jurisdictionem nec curam animarum habeat annexam, tamen de se importat aptitudinem ad eam, presertim si ascenditur ad præstantiores ordines (maximè verò ad episcopalem, qui per se et ordinariè committitur cum munere pastorali). — Sed cura animarum (et multò magis ubi accedit jurisdictio etiam in foro externo) hominem requirit alienis curis minimè distractum, qui possit esse omnium consiliarius, judex, pater, qui præsit, doceat, vitia corrigat, sacramenta administret, egenis opituletur, ægrotos visitet, etc. et hoc etiam

in remotis et pauperibus locis, quæ vix præbeant victui necessaria; etiam apud barbaras gentes christianæ fidei convertendas. - Jam verò conjugatus ab his omnibus multum distrahitur et impeditur: conjugis et totius familiæ sustentationi; filiorum et filiarum educationi ac futuræ sorti providere debet, etc.; et quidem eo gradu impensarum et curarum, qui decentiæ sui gradûs respondeat.

6°) Ecclesia suam debet independentiam servare, ita ut suas dignitates dignioribus præstet, sua bona in usus pios adhibeat, etc. Atqui illa independentia cum non rarò labefactetur abusu nepotismi, quanto magis, si loco nepotum haberentur filii clericorum! Hi paulatim quasi hæreditatem possiderent ecclesiastica munera, sive ad hæc idonei essent sive non. Principes, optimates, facile invaderent pontificatum. Hinc tot abusus et scandala, quibus jam gliscentibus resistens fortiter S. Gregorius VII, dicebat (l. 3. epist.): «Non liberari potest Ecclesia a servitute laicorum, nisi liberentur clerici ab uxoribus.»

Hæ et similes rationes (Cf. Zaccaria, historia polemica cælibatûs; - Phillips, Droit eccl. t. 1 § 63; - Perrone, de Ord. n. 169, seqq.; - Monsabré, 81e Conf. in fine) sufficientissimum fundamentum præbent, ut deinde accedens lex positiva cælibatum præcipiat. Nec dicatur his rationibus ostendi quidem, cælibatum clericorum esse bonum atque ideo consuli, non tamen præcipi posse. Nam quæ ad bonum publicum et Ecclesiæ salutem ita conducunt, auctoritate a Deo accepta omninò præcipi possunt, saltem si considerentur a) neminem cogi ad statum clericalem assumendum, sed sponte ac libere se offerre; et b) non solam infirmitatem humanam considerandam esse, sed gratiam Dei potentissimam,

quæ pro Deo se devoventibus nunquam deerit ut legem continentiæ possint observare si velint. (Cf. Trid. s. 24 can. 9)

II. Lex continentiæ, quam habent majores clerici, non est ex jure divino, sed ecclesiastico tantum: ita, cum S. Thoma 2.2. q.88 a. 11, Theologi satis communiter. — Nam a) tale præceptum divinum nequit assignari sive scriptum, sive traditum; imo b) Apostolus I Tim. III. 4, 5, supponit Episcopum posse vivere in statu conjugali, regentem suam domum suosque filios, modò bene hæc faciat; c) non posset Ecclesia permittere modum agendi Græcorum, si lex continentiæ esset de jure divino. — Wirc. n. 185.

III. Lex illa continentiæ antiquitus apparet extitisse, tum in Occidente, tum in Oriente:

In Occidente, Conc. Eliberitanum (anno 305) can. 33: « Placuit, in totum prohiberi Episcopis, presbyteris et diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis et non generare filios; quicumque verò fecerit, ab honore clericatus exterminetur. » — S. Hieronymus testatur (ep. 48 n. 21): « Episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici. » — S. Siricius Papa, in epist. ex Concilio Rom. (anno 380) ad Afros, et in ep. 1 ad Himmerium Carracon., n. 10 (anno 385) vehementer insistit legi servandæ, panasque minatur. — In Conc. Africano seu Carthag. II (anno 389 vel 390), ubi etiam subdiaconi penitùs continentes esse monentur, addunt Patres: « Ut, quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. » — Confirmatur monumentis Catacumbarum: « Jusqu'à présent, il n'y a pas que nous sachions une seule inscription sépulcrale

d'un prêtre, – pour les évêques de Rome, c.a.d. les Papes, cela va sans dire – qui contienne la moindre allusion au mariage, tandis qu'ailleurs les époux ont la coutume de se dédier expressément l'inscription sépulcrale commémorative.» (Les Catacombes, par Dom Maurus Wolter, 2e p., n. 7).

In Oriente: in «doctrina Addæi», opere syriaco sæculi saltem III, legimus de Addæo, eum «præcepisse (clericis suis) diligenter, ut pura et sancta essent eorum corpora, sicut deceret viros, qui coram altaribus Dei starent.» Et in laudem virginum et clericorum Edessenorum legimus ibid.: «Omnes servitio ecclesiastico addicti, viri et mulieres, erant casti, cauti, sancti et puri, siquidem habitabant seorsim et caste absque macula.» (Cureton, Anciens documents, p. 15 et 21. – Cf. Hurter de Ord., in fine). – S. Epiphanius, hæres. 59 n. 4: «Quin eum, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius uxoris sit vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit Ecclesia: sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit aut eâ sit orbatus, quod in illis locis præcipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis, presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt. Respondeo, non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere ac connivere solet.» Cf. Isid. Pelusiotam l. 3. epist. 75. – Sunt tamen qui cum Tournely (de Ord., q. ult., a. 1) sic distinguunt: Nusquam licitum fuit in Ecclesia Græca Episcopis et Presbyteris uxores ducere post ordinationem: abstinere autem ab uxoribus ante ordinationem ductis, fuit olim consuetudo ac laudabilis disciplina, non autem lex proprie dicta et simul universalis.

Concludamus cum P. Hurter l.c.: «Cùm a) tam universalis esset hæc consuetudo (in Occid. et Oriente), et quidem b) in re tam difficili, cùm c) nullus assignari possit Pontifex vel Synodus, quæ illam primum induxerit, nullusque d) qui contra eam tanquam contrariam libertati

clericis a Christo factæ reclamaverit: meritò ea ex apostolicâ traditione repetitur ») (Cf. axioma S. Augustini, supra p. 459). Quod etiam explicitè testati sunt v.g. Patres Carthaginienses supra citati.

IV. Quid factum sit post prima illa tempora. — « Quamvis lex continentiæ (inquit Aichner § 72) ex hominum ignavia (ut loquitur S. Epiphanius supra cit.) in quibusdam locis minùs religiosè observata fuerit, ipsaque Ecclesia propter sacerdotum penuriam ministris uxoratis usum conjugii quandoque permittere debuerit (ita v.g. Conc. Nicænum I Socrat. h. eccl. l. I c. 11: Cf. Hefele, hist. des Conc. t. I. p. 422); tamen eadem lex in Ecclesia Occidentali per continuas Pontificum et Conciliorum sanctiones (sæculo IV, V et VI) propiùs usque definita et strictiùs imposita est... In Orientali tamen Ecclesia alia paulatim ex mollitie Græcorum irrepsit disciplina, postea per canones Trullanos (692) stabilita, et ab Ecclesiâ Romanâ ad evitandum schisma apud Græcos tolerata. Illius siquidem vigore, monachi tantùm ad continentiam adstringuntur; in presbyteros verò et diaconos ordinari possunt etiam conjugati, et permanere etiam in usu matrimonii antea contracti: at post sacros ordines contractum matrimonium irritum foret; tales conjugati, consentiente uxore, etiam in episcopos consecrari possunt, sic tamen ut ab usu matrimonii abhinc penitùs abstineant. (Cf. Bened. XIV. Constit. 57 et 129 quoad Græcos unitos). »

« Cùm deinceps in Occidente.... clerogamia luctuosè invalesceret (sæculo XI), summi Pontifices Leo IX, Nicolaus II et Alexander II tantæ corruptelæ invictè sese opposuerunt, quorum legibus insistens Gregorius VII sub pœna excommunicationis prohibuit, ne laici sacerdotum conjugatorum Missæ interessent, neve iisdem sacramentaliter confiteretur. Ut verò ea, quæ Gregorius et post illum Urbanus II constituerant, majorem firmitatem nanciscerentur, in Conc. Lateran. I et II (1122 et 1139) clericorum conjugia, quæ hactenùs valida et nonnisi sub pœnâ privationis beneficiorum et dignitatum eccles. interdicta erant, nulla prorsùs et irrita declarata sunt. » — De tota illa historia Cf. Phillips § 64.

V. Objectiones habes apud Perrone, Wirc., de Augustinis, Hurter, l. citatis.

Disputatio iv

De ritu per quem introitur in aliquem hierarchiæ gradum, seu de sacramento Ordinis.

Thesis XXVI

Aliqua saltem Ordinatio, qua sacri inaugurantur ministri, est verum ac proprie dictum Novæ Legis sacramentum.

St. Q. Postquam diximus de utraque hierarchiâ, Ordinis et Jurisdictionis, saltem de earum gradibus qui certo sunt de jure divino, reliquum est ut ritus illi sacri considerentur, per quos immediate in multiplicem gradum hierarchiæ ordinis introitur, simulque aptitudo quædam acquiritur ad jurisdictionem (injunctione tamen Superioris accipiendam Cf. Supra p. 93. segg.). — Nomen « Ordinis » ab ipsis hierarchiæ gradibus translatum esse ad ritus illos sacros, explicavimus in Proœmio, p. 3 et 4. — Ritus illi dicuntur etiam « Consecratio » vel « Ordinatio » (licet hæc ultima

vox aliquando sumpta sit paulò latiùs, cf. supra p. 108, 109). — Ritus illi omnes evidenter habent rationem Sacramenti saltem latiùs dicti, sicut omnes caeremoniae sacrae, etiam ab Ecclesiâ institutae: an verò praeterea rationem habeant Sacramenti stricte dicti, nunc agitur.

Sacramenti Ordinis existentiam negavit Lutherus, quod non miraberis, si attendas ipsius odium erga clericalem ordinem, turpemque erga laicos assentationem (Cf. supra p. 9.) —. Calvinus verò, quamvis irridens unctiones et alias quasdam meras caeremonias ordinationis in Ecclesiâ, impositionem manuum ad ministros ordinandos admittere videtur ut divinitùs institutam et ut Sacramentum N. Legis (supra p. 10) —. Communiter hodiè Protestantes duo tantum Sacramenta, Baptismum et Coenam, numerant, sacrumque ritum Ordinis ut Sacramentum rejiciunt: quamquam multi ex eis impositionem manuum conservant ut caeremoniam quâ ministerii munus committi declaratur ei, qui ad illud exercendum electus fuerit.

Dicimus: aliqua saltem Ordinatio: ut interim praescindamus a quaestione magis determinata, utrum unus tantum hujusmodi ritus sacer habeat rationem veri ac proprii Sacramenti, an plures, introducentes in diversos hierarchiae gradus. Quae magis determinata quaestio habet minùs certam solutionem et plura supponit, cùm a) non tantum à multis Protestantibus negetur ipsa distinctio graduum Episcopi, Presbyteri, diaconi, (quos reputavimus Thesi V et VIII) sed etiam b) inter Catholicos, licet distinctionem ipsam gradum admittentes, aliquatenus fuerit controversum, utrum v.g. Consecratio Episcopalis, vel ordinatio diaconi, sit verum ac proprium Sacramentum, de quo infrà.

Thesis praesens est de fide. Definita in Trident. ut vidimus.

Probatur.

I. Scriptura. — « Sacramentum » (ut hic intelligimus in sensu strictissimo) est signum sensibile, cui gratia sanctificans tanquam effectus adnexa est, permanenter a Deo institutum.

Atqui ex Scripturâ 1° habemus signum aliquod sensibile, distinctum ab aliis sacramentis quae toti populo christiano destinantur, pertinens ad quosdam viros introducendos in Sacram aliquam potestatem, seu in « Ordinem » sacrum segregatum a populo (unde meritò dicetur Sacramentum « Ordinis ») : talis est, ut jam probavimus in Thesi I, ritus visibilis « impositio manuum », ἐπιθέσις τῶν χειρῶν (I et II ad Timoth.) cf supra p. 16. 17.

2° Illi signo seu ritui adnexa est aliqua gratia : nam dicitur de illo ritu I Timoth. IV. 14 : « Gratiam quae in te est, quae data est tibi ... cum impositione manuum presbyterii » ; et II. Timoth. I. 6 : « Gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum » Ut quamvis impositio manuum, materialiter spectata, potuerit in aliis quibusdam Sacramentis vel coeremoniis adhiberi, hic certè agitur de illâ impositione speciali determinata verbis specialibus in potestatem Sacram introducente, nam ex contextu utriusque loci, haec manuum impositio sicut et gratia ipsi connexa, spectant ad munus pastorale ritè obeundum ;

3° Haec « gratia », quamvis compleri possit et debeat per gratias actuales pro tempore et opportunitate datas ad ministerium ritè implendum, tamen non est gratia per se meré actualis et transiens, sed habitualis seu permanens. Loquitur enim ibid. Apostolus de « gratiâ quae in te est » quamquam olim « data est tibi » ; quae

multò posteaquam data est, negligi possit (« Noli negligere gratiam quæ in te est ») quæ sicut ignis charismatibus cooperatis excitari possit et debeat (« Resuscites gratiam Dei quæ est in te » in textu ἀναζωπυρεῖν). Atqui hæc omnia dicunt donum permanens, simul et intrinsecum.

2° Hæc « gratia », quamvis includat vel supponat charakterem et potestatem ordinis, imò et aptitudinem ad jurisdictionem et magisterium (unde eam Patres aliqui præcisivè sub hoc respectu interpretantur et describunt), tamen non est tantum potestas sacra pertinens ad aliorum Sanctificationem, et separabilis a propriâ Sanctitate. — Nam hæc gratia (II Tim. I. 7) statim explicatur per « Spiritum virtutis et dilectionis et sobrietatis »: ergò est aliquid essentialiter Sanctificans proprium Subjectum, et exhibetur ut gradus aliquis eximius virtutum et quidem infusarum (« dedit nobis Deus spiritum virtutis et dilectionis ») : atqui gratia Sanctificans vel identificatur cum dilectione infusâ, seu caritate, vel saltem inseparabilis est ab eâ; et comites necessariò habet omnes virtutes infusas (Cf. Tract. de gratiâ habituali.) Ergò hic designatur gratia Sanctificans, quæ etiam aptissimè significatur symbolo ignis, vi verbi ἀναζωπυρεῖν. — Neque obstat, in nostris textibus haberi χάρισμα, non χάρις: gratis enim supponeres, apud Paulum χάρισμα nunquam significare gratiam Sanctificantem, sed tantùm charismata illa a propriâ Sanctitate separabilia, quæ apud Theologos « gratiæ gratis datæ » dici solent, imò (ut explicant Wirceb. N° 51) potiùs contrarium apparet ex Rom. V. 15 et I Cor. XII. 31. —

Alias considerationes, ad probandum hic agi de gratiâ Sanctificante, addit P. de Augustinis

de Ord. thesi 5ª)

5º Collatio gratiæ sanctificantis exhibetur ut adnexa illi ritui: « Gratia quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii » Imò adnexa tanquam effectus illius ritus, nam dicitur ad eumdem Timotheum: « Gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum » atqui præpositio « per » nihil potest hic indicare nisi causam efficientem (efficientem instrumentalem intelligimus, sub Deo principali agente, et hoc est præcisè vis præpositionis « per », quandò causam efficientem significat, aut potius significat instrumentalem.) Regula in aliis Sacramentis v.g. in baptismo, aliud habetur ex Scripturâ argumentum ad probandam veram causalitatem seu efficaciam gratiæ (quâ causalitate Sacramenta N. Legis distinguuntur a Sacramentis V. Legis et a veteris cæremoniis et Sacramentalibus), nisi similes præpositiones v.g. Tit. III. 5: « Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis ». — Tota. Non dicimus, semper illâ præpositione causam efficientem instrumentalem significari; sed dicimus hic ex contextu et naturâ rei dijudicandum esse. Sic in uno ex locis citatis: « Gratiam... quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii », præpositio « per » videtur hîc significare « secundum » ex comparatione cum loco præcedente ejusdem epistolæ I Tim. I. 18: « Hoc præceptum (de munere episcopali rite exercendo) commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias » etc. Nempe Paulus revelationes habuerat de Timotheo ad hoc munus eligendo et ordinando. Quare « per » prophetiam, » ibi significat causam impellentem ac moventem ad ordinandum (cujusmodi causa varia potest esse et accidentaliter se habet ad ordinationem); in alio autem loco, II Tim. I. 6, « per impositionem manuum mearum » ex naturâ rei nequit significare nisi causam ins-

sumentalem gratiæ conferendæ. –

6° Ritus ille fuit a Deo institutus, et hoc est merum corollarium ex præcedentibus – Nam, ut notat P. Palmieri (de Rom. Pontif. §13), „divina institutio . . . potest evidenter, si certa est efficacia gratiæ, etenim ea solum ex divina institutione esse potest." Sané ritus ab hominibus adinventus non posset tantam efficaciam habere, cum productio gratiæ supernaturalis non sit in hominis potestate; nec Sectæ a nobis dissidæ, neque Ecclesia ipsa Catholica sibi agnoscit potestatem ritum aliquem novum instituendi, cui alligetur certa productio gratiæ. –

7° Et permanenter instituti. – Non hic non agitur de signo aliquo adhibito a Christo ipso hæc transeunter, ita ut ipse voluerit illud iterari ab hominibus cum eodem effectu; v.g. quando insufflando in Discipulos communicavit eis Spiritum S. (Jo XX. 22.): licet hæc insufflatio et quædam similia fuerint fortasse signa gratiæ practica, non tamen instituta sunt ut ritus religiosi ac sacri, qui eodem modo lege stabili in Ecclesia adhiberentur, valeruntque ad conferendam Sanctitatem (Wirceb. de Sacram. n° 9.) –. Sed in nostro casu agitur de signo etiam post Christum adhibito, Item ab Apostolis (per impositionem manuum mearum „) tum ab eorum discipulis et successoribus (I. Tim. V, 22. : „Manus citò nemini imposueris," etc. cf. supra p. 16): ejus que ritus permanentiam confirmat historia priorum temporum et totius Ecclesiæ, continuans et complens historiam inchoatam in libris V. Testamenti. – Ergò. –

II TRADITIONIS argumento generali. – Sacramentum „Ordinis" seu „Ordinationis" conservatum invenimus, in Solemni Septenario, cum

Sacramentis maximè propriis et sanctificantibus (ut sunt, ipsis fatentibus adversariis, Baptismus et Eucharistia), atque ita sepositum a multis ritibus et signis sacris inferioribus, gratiam per se non causantibus: idque invenimus non tantùm apud Latinos communiter, sed etiam apud Græcos qui sæculo IX° se a Latinis separaverunt, imò et apud alias minores sectas Orientales, quæ jam sæculo V° ab Ecclesiâ universali separationem inchoaverunt. — Atqui ille jam ad sæculum V^um ascendens consensus tot Ecclesiarum tam diversarum (sine vestigio controversiæ de hâc re inter Ecclesias) explicari nequit, si existentia Sacramenti Ordinis a Christo instituti esset merum figmentum posteriori tempore in aliquâ parte Ecclesiæ adinventum. Ergò. Cf. suprà p. 26. et p. 630; — Et magis evolutum argumentum apud Franzelin, de Sacram. in Genere. Th. 18.

III. TRADITIONIS argumento Speciali.

St Aug. citatus suprà p. 83 et 84, vocat « ordinationem » « Sacramentum » et quidem eodem sensu quo Baptismus est Sacramentum, Ordinemque pluries Baptismo connumerat et assimilat. — Atqui si quem ritum clarè apud ipsos adversarios constat esse « Sacramentum » sensu strictissimo, is est Baptismus — Ergo —

St Ambrosius de dignit. sacerdot. c. 5, describit ordinationem ut connexam cum certâ efficaciâ gratiæ: « Homo (episcopus ordinans) imponit manus, Deus largitur gratiam; Sacerdos imponit supplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dexterâ; Episcopus initiat Ordinem, et Deus tribuit dignitatem. »

St Greg. Nyssenus. homil. in Baptism. Christi: « Eadem verbi vis (i.e. formæ Sacramentalis, impositionem manuum determinantis et complentis)

etiam Sacerdotem augustum et honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri ac tempore superiori unus è multitudine ac plebe esset, repentè redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul (μυστηρίων βαρβαρόφτων μυσταγωγός), iaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel formâ mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat; invisibili quâdam vi ac gratiâ invisibilem animam in melius transformatam gerens, ἀοράτῳ τινὶ δυνάμει καὶ χάριτι τὴν ἀόρατον ψυχὴν μεταμορφωθεῖς πρὸς τὸ βέλτιον.

St Ephrem de Sacerdotio: « Per impositionem manuum donatus Spiritus, qui ignis instar venit super Apostolos, et in homine potestas ineffabilis habitat. »

St Chrysostom. hom. de Resurrect. mortuorum. n. 8 (Migne t. 4 432) dicit, quòd sine Spiritu Sancto nobis dato non habuissemus Baptismum et Eucharistiam, et addit « Neque Sacerdotes habuissemus, neque enim has ordinationes sine tali descensu (Spiritus Sancti) fieri est possibile » Ergò asserit ordinationem esse Sacramentum strictè dictum, tum quia eam communicat Baptismo et Eucharistiæ, tum quia eam necessariò connexam exhibet cum descensu Spiritus Sancti, seu productione gratiæ.

St Greg. Magnus. — expl. in I. Reg. lib. 4. c. 5 n. 203. « Sacrum ordinum Sacramenta ab Ecclesiæ doctoribus foris accipimus, sed Sacramentorum virtute ab omnipotente Deo roboramur interius. Virtus verò Sacramenti gratia est Spiritus septiformis. Quam certè gratiam qui accipiunt, quasi alio accepto corde, immutantur, quia quos gratiâ suâ S. Spiritus roborat, esse eos facit protinùs quod non erant. »

Multa alia ex Patribus et antiquis Liturgiis afferri possent: Cf. Bellarm. de Ord. c. 3, P. de Augustinis l. cit; P. Hurter thes. 255, etc.

IV. Definitionibus Ecclesiæ.

Trid. s. 23. c. 3: « Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et Sacramentorum: A. S. » — Et can. 4: « Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum S. ... A. S. » Cf. ibid. cap. 3 — Et sess. 7 de Sacram. in genere, can. 1, 2, 8.

Objectiones contra thesim satis clare solvunt Wirc. n. 47 seqq., præsertim si supponuntur ea quæ supra jam explicavimus.

Scholion. De effectibus Sacramenti Ordinis, et speciatim de Charactere — Ordo (sicut Baptismus, et Confirmatio), præter gratiam sanctificantem (quam producunt communiter septem Sacramenta), producit Characterem, scilicet aliam in anima realitatem invisibilem, quæ indelebilis permanet, etiam sublata per peccatum omni gratia sanctificante, et est quædam consecratio personæ, quamvis justitiam seu fidem, caritatem etc. necessaris in illa non supponat. De charactere tractari solet ubi de Sacramentis in genere: Cf. Cord. Franzelin præclarè de eo disputantem. — Sufficiat hic afferre definitionem Tridentini, s. 23 can. 4: « Si quis dixerit, per sacram Ordinationem ... non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse: A. S. » Et s. 7, de Sacram. in gen. can. 9: « Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: A. S. »

Characteri Ordinis identificatur vel potius inseparabiliter annectitur, tanquam effectus aliquis Sacramenti Ordinis, inamissibilis sicut ipse Character in quo fundatur, — annectitur (inquam) potestas ordinis, cujus naturam et differentiam a potestate jurisdictionis supra jam satis demonstravimus, thesi I et III.

Characterem cum potestate ordinis recipit omnis valide quamvis illicite ordinatus, etiam ille qui nullam gratiam sanctificantem in ordinatione recipit propter obicem quem affert gratia, etiam ille qui graviter peccat ipso facto accedendi ad ordinationem, v.g. quia ab Episcopo haeretico vel schismatico postulat ordinationem (sine excusatione bonae fidei), et sic « vulneratum per illam manûs impositionem habet caput » ut ait Innocentius I supra p. 101. — Non iterandam esse ordinationem (sicut et baptismum) in haereticis qui ritum essentialem sufficienter servaverunt, in tract. de Sacram. in genere solet demonstrari et ab objectionibus defendi; cf. supra p. 83. 84.

Si quaeritur, ex effectibus sacramenti Ordinis quisnam sit primarius seu primo intentus respondet Suarez de Sacram. disp. 11. s. 1: Character cum potestate ordinis. Nam per se et directe tendit ordinatio ad sacrarum rerum administros habendos: gratia vero consequenter confertur, ut melius hoc ministerium exerceatur. Et sic justificatur definitio sacramenti Ordinis, quam Scholastici passim tradebant post Magistrum Sent. (in 4. dist. 24): « Ordo est signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato » Cf. S. Thom. Suppl. q. 34. a. 2. Nempe signaculum (seu signum sacrum et sensibile) ordinationis Scholastici definiebant a solo suo effectu primario; effectum enim secundarium, cum primario connexum, in definitionibus fas est subticere et subintelligere. Saepe jam ipsi Patres in sacerdotio potius describserant ineffabilem potestatem ad actiones sacras, quam gratiam sanctificantem ordinatione productam seu potius

adauctam; quæ cæterum non est ita stabilis, non indelebilis sicut character et sacra potestas.

« Itaque ordinatio (ait P. Palmieri l. cit) eo spectat ut 1°) intrinsece hominem Deo consecret ea consecratione qua idoneus et potens perenniter existat actiones quasdam sacras et sacramentales peragendi; ut 2°) rite dispositum gratia sanctificante opportunisque actualibus auxiliis augeat consecratum. » — Ex utroque effectu sic definiri potest Sacramentum Ordinis, cum Wirc. n. 5: « Sacramentum N. Legis a Christo institutum, quo specialis datur potestas aliqua, et confertur gratia ad munia ecclesiastica rite decenterque obeunda. »

Thesis XXVII

Ratio Sacramenti proprie dicti inveniturnon tantum in ordinatione presbyterali, sed etiam in episcopali, — 2) et diaconali.

St. qu. Probavimus contra Protestantes existentiam Sacramenti Ordinis. Sed quoniam varius est gradus ministrorum sacrorum (Cf. disput. 2^am), et ad quemlibet ex illis gradibus ineundum specialis quædam ordinatio requiritur, ut constat saltem ex Traditione (Cf. ibid.): remanet controversia inter ipsos Catholicos, utrum illi omnes et singuli diversi gradus ordinationes habeant rationem Sacramenti proprie dicti, annon. Singuli ergo nunc percurrendi sunt sub hoc peculiari respectu.

Auctores in hac quæstione brevitatis causa passim utuntur his et similibus loquendi formulis: « Presbyteratus est Sacramentum, Episcopatus est Sacramentum », etc. Attamen minus placet iste loquendi modus: nam certe « presbyteratus, episcopatus » etc ex usu communissimo designant non ritum aliquem transeuntem, sed

statum ex illo ritu semel posito postea permanentem: atqui solus ritus transiens potest esse Sacramentum proprie dictum, nam per hunc ritum solum producitur gratia, per hunc solum imprimitur character: status ipse deinde perpetuus presbyteratus, diaconatus, etc non perpetuo producit gratiam sanctificantem, etc, ergo non est sacramentum proprie dictum, sed effectus sacramenti, ex eo relictus. (Cf. Wirc. de Ord. n. 3) Sicut enim status conjugalis (matrimonium in facto esse) non est sacramentum proprie dictum, sed effectus sacramenti, cum tota ratio sacramenti N. Legis sit in contractu (matrimonio in fieri) qui est actus transiens statum conjugalem inaugurans: ita in sacramento Ordinis. Et in solâ Eucharistiâ habetur sacramentum permanens. — Quare minus placet dicere: « Episcopatus est, vel non est, sacramentum », sed potius: « Ordinatio seu Consecratio episcopalis est, vel non est sacramentum. »

Ex thesi præcedente, debet saltem aliqua ordinatio esse proprie Sacramentum. Jam vero, si qua ordinatio est proprie Sacramentum, ea certè est ordinatio Presbyteri: tum 1°) ex consensu theologorum, et populi Christiani; nullus enim unquam Catholicorum id negavit; imo neque ullus ex eis hæreticis, qui aliquod Sacramentum Ordinis admiserint; — tum 2°) aliquomodo ex natura rei: nam per ordinationem presbyteralem confertur maxime ineffabilis potestas consecrandi Eucharistiam et pœnitentes subditos absolvendi a peccatis, et est relative minor illa potestas ordinis, quam insuper addit consecratio episcopalis, minima vero quam dat ordinatio diaconalis: ergo si Deus voluit ut homo per aliquod Sacramentum proprie dictum reciperet potestatem ordinis episcopalis, vel diaconalis, a fortiori presbyteralis; — tum 3°) ex Trid. sess. 23, ex quo, saltem implicite, hoc omnino habetur, præsertim can. 4°: « Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; A. S. » Ex quo canone dupliciter arguitur: a) Ante finem ordinationis presbyteri, juxta ritum Latinorum, Episcopus dicit: Accipe Spiritum Sanctum,

et hæc verba S. Synodus defendens contra protestantes, Definit, revera per sacram Ordinationem (igitur presbyteralem) dari Spiritum S., qui loquendi modus designat sacramentum proprie dictum: ergo. — b) Negat eum qui sacerdos semel fuit ("sacerdotium" præcedenter explicavit de potestate consecrandi et offerendi corpus Domini etc.) laicum fieri posse, propter indelebilem characterem (ut apparet ex conjunctione verborum): atqui impressio characteris est effectus sacramenti proprie dicti: ergo.

Et hæc sufficiant de ordinatione presbyterali. Major autem est difficultas de episcopali.

Hodie sententia affirmans consecrationem episcopalem esse verum ac proprie dictum sacramentum, "commercio inter theologos evasit", ait P. de Augustinis, de re Sacramentaria, thes. 3. de Ord.; — sententia opposita, "nedum probabilis nunc censetur, sed jam a nonnullis censurâ notatur", ait Perrone de Ord. n. 78; — "certum est omninò tum diaconatum tum presbyteratum, tum episcopatum rationem sacramenti habere" ait P. Lehmkuhl t. 2. n. 582. Et jam nostra sententia videbatur "certissima" Bellarmino (de Ord. l. 1. c. 8) qui citat pro se Petrum Soto, Cajetanum et aliquos ex veteribus Scholasticis v.g. Altisiodorensem, Scotum, Paludanum; et tandem "omnes pene Canonistas." — Et Vasquez de Ord. disp. 240. c. 4. dicit eam sententiam "sine gravi nota hoc tempore negari non posse".

Quomodo igitur sententia negans ordinationem episcopalem esse sacramentum aliquando dicitur "communis Scholasticorum"? Num consensus Theologorum per plura sæcula potuit conjungi cum errore? Num dicendum est cum Philips (Du Droit Eccles. t. 1 § XXXV) Scholasticos in hac re prorsus erravisse sicut in multis aliis?

Hic nota 1°) ante omnia, Scholasticos saltem non incidisse in errorem Presbyterianismi: v.g. S. Thomas, etiam ubi dicit Episcopatum aliquo sensu non esse ordinem, clare asserit superioritatem Episcopi supra presbyterum,

supp. q. 40, art. 4, nec tantum quoad jurisdictionem sed expresse ibid. art. 5 ad 3m ait" quod potestas episcopalis non est tantum jurisdictionis sed etiam ordinis." Idem fusius in opusculo „de perf. vitæ spiritualis", c. 24: "Quod verò quartò proponitur, quòd Episcopatus non est ordo; hoc manifeste continet falsitatem si absolute intelligitur," etc. Et potestatem ordinis specialem in Episcopo ibid. probat, inter alia "ex hoc quod si Episcopus depositus restituatur, non iterum consecratur; tanquam potestate ordinis remanente sicut et in aliis contingit ordinibus" — Nota 2°) Etsi Scholastici (nec recipiuntur citantur a Wirc n. 85) revera negavissent nostram thesim, tamen nequit dici consensus Theologorum: tum quia aliquos ex Veteribus pro nobis citant Bellarminus et Vasquez l. c.; tum maxime quia verus "consensus Theologorum" intelligendus est de consensu non tantum eorum qui scholasticam theologiam docebant, sed etiam eorum qui, in eos invigilante pariter Ecclesia, partem aliam sacræ doctrinæ eodem tempore tradebant, quales sunt Canonistæ: apud quos communissima jam olim fuit nostra sententia. — Adde 3°) Ex Theologis scholasticis nostris adversariis (apprecier), profecto non desunt qui consecrationem episcopalem minime rejiciant inter sacramentalia, sed revera rationem sacramenti proprie dicti ei agnoscant, quamvis eam simul cum presbyterali connumerare velint per modum unius sacramenti. Ita inter alios rem explicat Anglès, Flores theologicar. quæstionum in 4 lib. Sent.: "Ordinatio Episcopi non est perfecte sacramentum aut ordo distinctus a sacerdotio .... Secus essent jam non septem sed octo distincti Ordines ... Ordinatio Episcopi est idem Ordo et Sacramentum cum Sacerdotio; distatque solum tanquam magis perfectum a minus perfecto. Nam ut Eucharistia constat speciebus panis et vini, unum sacramentum perfectum efficientibus; ita et Episcopatus, qui est perfectum sacerdotium, duabus ordinationibus constat: 1° quâ sacerdos imperfectus efficitur, et 2ª qua perfectus constituitur: quia Episcopus habet potestatem conficiendi omnia sacramenta, quâ simplex sacerdos caret:

unde B. Aug. Episcopum consummatum sacerdotem appellat" Et inde cum S. Thoma et S. Bonaventura concludit: "Ordinatio Episcopi novum characterem non imprimit, sed sacerdotalem praexistentem ampliat: non enim est sacramentum à sacerdotio distinctum; et quando sacerdos Episcopus consecratur, ejus character seu potestas ad omnia septem sacramenta, et ad Sacramentum Confirmationis et Ordinis, quæ antea ministrare non poterat, extenditur. Durandus opinatur novum characterem imprimere." — Imo 4°) ad hanc questionem potius verbalem vel saltem valde secundariam, totam inter Catholicos controversiam reducit P. Lehmkuhl n. 582: "Id quod in utramque partem theologi disputant, hoc solum est, utrum Episcopatus characterem a sacerdotali plane distinctum conferat, atque sacramentum a presbyteratu plene distinctum constituat, an extensio quædam sacerdotalis characteris et sacramenti sit. Saltem potestatis extensionem et alterum sanctificantis gratiæ augmentum in episcopali ordinatione conferri, extra omne dubium et controversiam est". — Certe S. Thomas, præter potestatis extensionem, admittit et "collationem gratiæ", ut patet ex ejus comment. in I Tim. IV. lect. 3; — et in II Tim. I, lect. 3 ait: "Ordinatus erat episcopus (Timotheus): in quâ manûs impositione, data est ei gratia Spiritus Sancti." — Quod tamen aliqui Catholici Episcopalem ordinationem ad merum sacramentale reduxerint, non negamus: hi sunt proprie nostri nunc adversarii.

De diaconatu multo manifestior est consensus: nonnisi paucissimi ex catholicis olim dubitaverunt esse sacramentum proprie dictum quoniam dubitabant de ejus divina institutione: scilicet Durandus et Cajetanus cit. supra p. 192. — Nihilominus, ordinationem diaconalem esse sacramentum «communis et certa est theologorum sententia" ait Perrone n. 80, pariterque Lehmkuhl l. cit.

Probatur 1ª pars

1°) Ex Scriptura. — Illa impositio manuum de qua Apostolus loquitur I Tim IV. 14, et II Tim. I, 6, est sacra-

mentum proprie dictum, ut probavimus in thesi praecedente (supra p.) — Atqui illa impositio manuum est consecratio episcopalis — Ergo.

Probo Min. a) ex contextu: Nulla enim ratio esset ut Apostolus Timotheo ibi in mentem revocaret gratiam acceptam per illam impositionem manuum, nisi collata ei fuisset ad rite obeundum munus episcopale, cum de hoc munere rite perficiendo in toto contextu agatur: — Atqui impositio manuum conferens gratiam ad rite obeundum munus episcopale non est ordinatio alia quam episcopalis: Ergo. — Adverte ad valorem argumenti, nos ex Traditione antiqua universali supponere, semper extitisse aliquam specialem impositionem manuum qua crearentur Episcopi, praeter eam qua Presbyteri: controversia enim praesens non est de existentia illius secundae impositionis manuum, seu ordinationis episcopalis, sed de ejus indole proprie sacramentali. Hoc posito, si Paulus, hic loquens de Episcopatu, "impositionem manuum" intellexisset non episcopalem sed presbyteralem magis remotam, saltem debuisset hanc magis remotam aliquo addito designare ne esset aequivocatio: Ergo ex sensu obvio agitur de ordinatione episcopali. —

b) Adde interpretationem Patrum. Chrysostomum jam citavimus (p. 150), qui de episcopali ordinatione interpretatur I Tim. IV. 14. Cum secuti sunt Theodoretus, Anselmus et alii; ita ut sic testetur Estius in 4 dist. 24. § 28: "De Episcopali ordinatione utrumque locum exponunt omnes fere interpretes".

Concludamus cum Estio ibid.: "Cum igitur duo illa scripturae loca (I Tim IV. 14, II. Tim. I. 6) potissimum a Catholicis proferri soleant ad stabiliendum Sacramentum Ordinis, imo et a Trid Synodo s. 23. cap. 3. locus posterior ad idem probandum afferatur: manifeste consequi videtur, Episcopatum ordinem esse sacramentalem, ac proprie dictum."

2°). Patrum similiter textus qui a Catholicis afferri solent ad probandum in genere Sacramentum

Ordinis, et qui magis sunt ad hoc efficaces, ex suo contextu plures referuntur ad consecrationem episcopalem, ergo. — Ita S. Aug. supra p. 703 (cfr. Wirc. n. 87); S. Ambrosius (ibid.); S. Gregorius Magnus, p. 704. — Ubi adverte cum Bellarm. et Hallier, « apud Patres Sacerdotis nomine sæpè sæpiùs solos Episcopos, non inferiores presbyteros significari; unde Ambrosius librum de Dignitate sacerdotali, Chrysostomus de Sacerdotio aliquos libros inscripsit; quibus tamen libris uterque de solis Episcopis ex professo disserunt. » Cf. supra, p. 182, Schol.

Ut testimonium traditionis addi potest ex Theodoreto hist. eccl. l. 4. c. 20 (al. 23), sanctum quemdam monachum, nomine Moysen, nequaquam induci potuisse, ut à Lucio, ariano episcopo, in episcopum consecraretur, et dixisse: « Absit ut manu tua consecrer: nam, te invocante, Spiritûs gratia non venit. » Igitur gratiam conferri per ordinationem episcopalem credebat, si tamen obex non poneretur (ponitur autem ab eo qui sciens consecratur ab hæretico).

3°) Trid. sess. 23, can. 4, declarat (contra Protestantes qui ritus Ecclesiæ tunc vigentes irridebant) Episcopos ordinantes, « non frustra dicere: Accipe Spiritum Sanctum », sed revera per sacram ordinationem dari Spiritum S. — Atqui in ordinatione etiam episcopali, Episcopus consecrator juxta ritum Ecclesiæ latinæ (et nunc, et tempore Tridentini) dicit promovendo in Episcopum: « Accipe Spiritum S. » — Ergo. — (Cfr. Wirc. n. 87 ex alio loco Trid. arguentes).

4°) Ratione theologica. — Ordinatio diaconi (ut probabimus, et ut sponte admittunt illi Catholici quos adversarios nunc habemus) certò est sacramentum proprie dictum. — Ergò à fortiori ordinatio episcopi: cùm hic gradus non minùs sit divinæ institutionis, et multò excellentiorem potestatem ordinis conferat, ex probatis in thesi V, p. 139 segg. — — Confirmatur: nam ideò Christus alicui impositioni manuum gratiam annexuit, ut ordinatus Sacramenta sibi commissa dignè administraret, utque in ecclesiastico regimine occurrentes difficultates faciliùs superaret: quarè cùm soli

episcopo quædam sacramenta administranda conferendaque tradantur, opus est ut in sua ordinatione gratiam recipiat; cum etiam ecclesiasticum regimen præsertim resideat apud Episcopos (incluso Romano, qui nullam ipse aliam consecrationem suscipit, nisi episcopalem, cfr. suprà, p. 189), variasque in eo molestias ac difficultates quotidiè patiantur, ne defuisse dicatur Deus in necessariis, consentaneum videtur ut in ordinatione suâ eam recipiant gratiam, quæ difficultates istas vincat et labores subleret. — Hæc ratio saltem est congruentiæ maximæ. Et eò magis urget plerosque ex adversariis, quòd illi iidem simul admittant, ipsam ordinationem subdiaconi esse sacramentum propriè dictum, imò et acolythi, ostiarii, etc.

Ad objectiones solvendas: 1º) Theoria multorum Scholasticorum de extensione characteris presbyteralis per consecrationem episcopalem a) non est verè contra nos (si realis extensio intelligitur, ut videntur ipsi intelligere). Nam quidquid sit de ea re, valet semper nostra thesis: cùm nec character novus imprimi, nec characteris extensio nova fieri possit sine divinâ institutione, et sine ea efficacia, quæ est propria Sacramenti stricte dicti. — b) Cæterùm ista theoria nimis gratuita est, ac sine fundamento solido adstruitur, ut advertit Bellarminus l. c.: « Magis distant inter se potestas confirmandi (et ordinandi — quam habet solus Episcopus) et consecrandi Eucharistiam (quam ipse jam habet Presbyter), quàm potestas legendi Evangelium (Diaconus) et Epistolam (Subdiaconus) in sacrificio. Sed propter ista ponuntur ab adversariis duo distincti characteres in diacono et Subdiacono, nec dicunt unum extendi; cur igitur nolunt esse duos in Presbytero et Episcopo? » — Præterea, tota doctrina revelata de charactere, quæ continetur non in Scriptura sed in documentis Traditionis, non habet documenta antiqua in quibus clariùs evolvatur, quam quædam loca S. Aug. contra Donatistas, in quibus agitur de Episcopis, quorum non est iteranda ordinatio propter

« characterem » v. g. in « Sermone ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem », n. 2, ubi explicat, cur sine nova ordinatione recipiantur in Ecclesiam pseudo-episcopi Donatistæ, quando convertuntur: « Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati... In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed Imperatoris. ». Character ergo episcopalis in traditione exhibetur, ut quid distinctum et individuum, positum per ordinationem episcopalem, non minus quam presbyteralis: ergo.

c) Si tamen ista theoria reducitur ad asserendam quamdam unitatem moralem inter characterem Episcopi et characterem Presbyteri jam antea receptum, eam sic intellectam libenter agnoscimus; et sic fundatur in Patribus qui Episcopatum considerant ut plenitudinem sacerdotii; qui vocem « sacerdos » communem habent et applicant utrique ordini, eique soli, ut asserit S. Aug. de Civit. l. 20. c. 10: « De solis episcopis et presbyteris..., qui propriè jam vocantur in Ecclesiâ sacerdotes »; item Patres distinguunt « sacerdotes primi et secundi ordinis », « sacerdotium primum et secundum » (supra p. 138, 139, 184); et Episcopum vocant « summum Sacerdotem » (p. 136, 137). Et in ipsa Scriptura et antiquissima traditione uterque gradus sumitur sub eodem nomine « Presbyterorum » (Ath. c. VI, 1° et 2° p.); et per modum unius opponitur ministris inferioribus (p. 170).

2°) Pariter non est contra nostram thesim communis Scholasticorum modus numerandi septem ordines, tres majores et quatuor minores. Nam a) ex illis septem, ordo supremus non est presbyteratus, sed juxta Scholasticos (et ipsum Trid. sess. 23) « sacerdotium » unum genere (vel specie superiori), duplex specie infima (seu atomâ), comprehendens scilicet episcopatum et presbyteratum, quasi duas partes sacerdotii adæquati seu pleni, quod sacerdotium plenum apud solum Episcopum invenitur; et hic modus considerandi « sacerdotium » fundatur in Patribus, ut modo diximus. Quod autem duo vera sacramenta, episcopatus et presbyteratus possint considerari quasi unum, omnino agnoscere debent

adversarii, nam ipsi aliquid simile admittunt: admittunt enim presbyteratum, diaconatum et subdiaconatum esse vera Sacramenta, et tamen ea sumere debent quasi unum, ut sit unum sacramentum Ordinis, adeoque septem tantum Sacramenta N. L., sicut Catholica docet Ecclesia: septem scilicet in specie superiori, licet plus quam septem numerari possint in specie infimâ. — b) Præterea, hanc computationem septem Ordinum (qua jam habet pro se quandam analogiam cum 7 donis Spiritus S., sed hoc non sufficeret) inde legitimam esse nos ipsi agnoscimus, quod desumitur a speciali habitudine quam varii gradus sacri ministerii habent ad Eucharistiam, qua utpote Sacramentorum nobilissimum, et sacrificium, præcipuum est sacri ministerii objectum. Ordines enim minores ipsi magis vel minus remote se habent ad ministerium cultumque Eucharistiæ, et propiùs ac propiùs acceditur ad Eucharistiam dum ascenditur ad subdiaconatum et diaconatum; tandem potestas quæ in hoc genere suprema dici potest ratione suæ excellentiæ (supra p. 635), scilicet potestas consecrandi et sacrificandi, seu « sacerdotium », residet in Presbytero sicut et in Episcopo: quare sub hoc respectu habari possunt ut unus ordo (licet illa consecrandi potestas plenius in Episcopo residet hoc sensu, quod solus eam ita habet ut aliis eam communicare possit). — c) Sed quoniam aliæ sunt actiones sacri ministerii, alia Sacramenta præter Eucharistiam; quoniam « potestas ordinis » quæ etiam a S. Thoma vocatur « sacramentalis » (supra p. 94), non ad solam Eucharistiam se extendit, sed ad sacramenta omnia, ac proinde non respectu solius Eucharistiæ definienda est, sed definitione magis comprehensiva, ut cum Lainio (supra p. 6) aliisque definivimus; quoniam proinde novus gradus potestatis ordinis ibi habetur, ubi nova consecratio dat potestatem ad quasdam actiones sacri ministerii, seu ad quædam sacramenta conferenda; quoniam consecratio episcopalis dat potestatem conferendi sacramenta Confirmationis

et Ordinationis, ac proinde constituit novum gradum potestatis ordinis; quoniam novus gradus potestatis ordinis recte dici potest « novus ordo »; — sequitur, omninò dici posse, quod Episcopatus est distinctus ordo, praesertim cum nova consecratio, per quam intratur in Episcopatum, sit sacramentum propriè dictum, ut probavimus. Ergo quamvis fundata sit illa enumeratio septem ordinum, non est exclusive legitima; sed sub alio respectu omnino dari potest alia computatio Ordinum. Imo etiam respectu solius Eucharistiae Episcopatus, quatenus solus dat ministros Eucharistiae (et sic novo modo ad consecrandam Eucharistiam confert, scilicet mediatè et indirecta), posset spectari ut distinctus Ordo. — Et revera β) aliam computationem Ordinum in Traditione reperire est. V. g. S. Leo Magnus, ep. 84 ad Anastasium Thessalon. c. 4, subdiaconatum numerat non ut tertium sed ut quartum ordinem quia Episcopatum et Presbyteratum non habet pro uno ordine sed pro duobus: « Si in hoc ordine (subdiac.) qui quartus est a capite, dignum est custodiri; quanto magis in primo aut secundo vel tertio servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentiâ quisquam idoneus aestimetur, qui se a voluptate uxoria necdum frenasse dignoscitur. » Et S. Epiphanius (supra p. 141) dicit etiam explicite: « Episcoporum ordo », cum contradistinguens ab « altero ordine », qui est presbyterorum. Et S. Isidorus (supra p. 88) ut dicat « in presbyteratu », dicit: « ordine in secundo. » — Et Synodus Romana IV sub Symmacho, c. 6, presbyterum vocat « honorem secundi in Ecclesiâ ordinis ». — γ) Neque tempore ipso Scholasticorum fuit communis in Ecclesiâ computatio septem Ordinum; cùm Canonistae aliter computarent, teste v. g. Navarro in suo « Manuali Confessariorum », c. 22 de Sacram. Ord.: « ordines sunt novem secundum Canonistas, quibus constituuntur Tonsuratus, Ostiarius, Exorcista, Lector, Acolythus, Subdiac., Diac., Presb., et Episcopus. Quamvis secundum communem Theologorum solum sint septem, dicentium, 1am tonsuram et Episcopatum non esse ordines, sed officia .... Advertendum est, quod praedictum Concilium

(Trid.) non definivit ultra opinio, Theologorum vel Canonistarum, de Ordinum numero sit tenendo, quod speravamus quando haec scripsimus: licet Canonistis videatur aliquâ ex parte favere. Quare probabilis videtur utraque." — At (objecerunt alii) videtur Trid. suâ auctoritate sanxisse computationem Theologorum, siquidem in sess. 23. titulus cap. 2us est: "De septem Ordinibus." Respondet Philips l. cit.: "Le titre, étranger à la rédaction primitive, est tout simplement une formule posthume des éditions postérieures du Concile de Trente." Quare, ut notat etiam Aichner §58, titulus ille "expers est auctoritatis qua ipsimet Concilio Trid. competit." Deinde etsi computationem illam clare adoptasset Concilium, non sequeretur, aliam computationem excludi vel prohiberi: cum sub diversis respectibus coexistere possint diversae computationes legitimae. Hinc etiam apparet, quaestionem "de numero Ordinum," quam in hoc tractatu solent auctores ponere, posse dupliciter intelligi: esse quidem gravissimam, si agitur de rebus ipsis, v. gr. utrum ordines minores legitime existant, an sint rejiciendi ut rejecti sunt a protestantibus: esse vero quaestionem minoris momenti, si, res easdem admittendo, agitur tantum de modo eas computandi, qui modus cum iisdem rebus varius esse potest.

3.° Frustra tentant adversarii eruere aliquid contra nos ex illo facto, quod ordinatio Episcopi est invalida si non fuerit antea ordinatus Presbyter: dum ordinatio Presbyteri est valida etsi non fuerit antea ordinatus Diaconus. — Illa disparitas satis justificaretur ex voluntate positiva Dei; et sicut v. gr. ordinatio presbyteralis minime impeditur esse verum sacramentum ex eo quod invalida esset non praecedente baptismo, ita ordinatio episcopalis minime impeditur ex eo quod invalida esset non praecedente presbyteratu. — Caeterum illius disparitatis ratio intrinseca a) cum quibusdam recentioribus reddi potest, quod episcopus cum presbyteros generare possit, presbyter esse debet; vel b) cum

Scholasticis, v.g. Sardagna n. 426: „Diaconatus non est pars essentialis Presbyteratus, in quo eminenter tantum et virtualiter continetur; ideoque ad Presbyteratum non requiritur nisi per accidens et ex praescripto Ecclesiae, ut quis licite Presbyter ordinari possit: at vero Presbyteratus est pars essentialis Episcopatus, in quo formaliter continetur tanquam pars illius." Episcopatus enim adaequate spectatus, qui est plenitudo sacerdotii, essentialiter constat utroque charactere et utraque potestate, presbyterali et episcopali (sumendo hanc 2am vocem inadaequate). Instituit utique Deus ipse diaconatum, instituit et presbyteratum: sed non instituit ut hi duo gradus in eodem homine conjungerentur. E contra instituit, ut Episcopi, duos gradus sacerdotii in se conjungentes, haberent plenitudinem Sacerdotii: et voluit haec conjungi ita necessario in unam plenitudinem sacerdotii, ut deficiente primo gradu, alterum non posset haberi: sicut deficiente fundamento, fastigium domus nequit haberi, et tota essentia aedificii deficit. Deum ita instituisse, nos scimus saltem ex Ecclesiae perpetua praxi et declarationibus.
Cf. Wirc. n. 88, seqq.; — Bellarm. de Ord. l. 1, c. 5.

Probatur 2a pars.

Sacramentum proprie dictum est signum sensibile, cui gratia sanctificans tanquam effectus adnexa est, permanenter a Deo institutum.

Atqui haec omnia inveniuntur in ordinatione diaconi. — Ergo

Probo Min. 1°) Signum sensibile habetur jam in creatione illorum septem, qui saltem ex traditione cognoscuntur fuisse primi diaconi (cf. supra p. 195-198), Act. VI, 6: „Et orantes (Apostoli) imposuerunt eis manus." — Idem signum sensibile, ut constat ex libris liturgicis etc., postea semper in creatione diaconi adhibitum est, tum in Ecclesia Latina, tum in Ecclesia Graeca, et adhuc adhibetur.

2°) Gratia sanctificans est effectus illi signo sensibili adnexus; quod praecipua res est probanda, cum per hoc jam distinguatur ab omnibus meris sacramentalibus et caeremoniis.

Hoc autem probamus ex documentis Traditionis:

S. Chrysost. non solum dicit Deum invisibiliter operari eo momento, quo manus imponitur futuro diacono (supra p. 197); sed hanc operationem esse productionem gratiæ clarius dicit hom. 15 in Act. n. 1: « Vide (ait de Stephano magnam sanctitatem manifestante post ordinationem) quomodo inter septem illos unus præcellens esset. Etsi enim ordinatio communis esset, et hic majorem gratiam attraxit. » Majorem: quod supponit et omnes alios aliquam gratiam percepisse in ordinatione communi omnium.

Theodoretus, in I Tim. III, 10, expendens illud Apostoli: « Et hi quidem (diaconi) probentur primum, et sic ministrent nullum crimen habentes », inquit: « Prius autem convenit horum vitam examinari, deinde sic gratiam spiritualem consequi. »

Euchologium Græcorum (editum a Goario, p. 250) hæc habet in ordinatione diaconi: « Pontifex, impositam tenens dexteram, precatur hoc pacto: Domine Deus noster, qui in præscientia tua, super destinatos ab imperscrutabili tua virtute, ut ministri fiant et illibatis mysteriis tuis deserviant, Sancti tui Spiritus copiam effundis .... gratiam Stephano protomartyri tuo in opus ministerii hujus a te primum vocato concessam largire », etc. Et infra: « Ipse Domine, servum tuum hunc, quem diaconi ministerium subire voluisti, Sancti et vivifici tui Spiritus adventu, omni fide et caritate et virtute et sanctificatione adimple. »

Pontificale Romanum in ordinatione diaconi: « Pontifex, manum dexteram extendens, ponit super caput ... ... ordinando ..., dicens: Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus. In nomine Domini. » Et deinde: « Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum S., quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Abundet in eis totius formæ virtutis », etc.

Huic accedit maxime argumentum jam factum ex Trid., supra p. 708 et 713: Definit, "per sacram Ordinationem dari

Spiritum S., ac proinde non frustra episcopos dicere: "Accipe Spiritum S." Ergo in ordinatione diaconi hæc verba ab episcopo frustra non pronuntiantur, sed per illam sacram ordinationem datur Spiritus S., cum suis virtutibus, ut in liturgia indicatur, proinde cum gratia sanctificante.

3°/ Ritus ille est a Deo institutus: nam solus Deus potest alicui ritui gratiam annectere. Præterea divinam institutionem directe probant testes Patrum jam allati pp. 196, 199, 200. — Est permanenter institutus: quod probatur ipsa perenni ejus existentia ab initio, et totius Ecclesiæ praxi.

Confirmatur hæc thesis ex consensu Theologorum.

Objectiones: 1°/ Sacramenta sunt instituta à Christo. Atqui diaconi non sunt instituti a Xo, ut patet ex Cypriano et aliis. Ergo. — Resp.: Nego min., cujus probationes jam sunt confutatæ supra pp. 203-204.

2°/ Sacramentum Ordinis non datur nisi ad munus spirituale et sacrum impetrandum. Atqui munus diaconorum, ut erat initio erat mere profanum et temporale. Ergo. — Resp.: Nego min.; contrarium jam ostendimus, tum ex Act. Apost. VI (supra, pp. 193-195), tum ex Traditione (196-201); S. Hieronymum explicavimus (202, pp. 640).

3°/ Sacramentum Ordinis habet hunc effectum proprium, ut præter gratiam sanctificantem conferat aliquam potestatem Ordinis, seu potestatem ad quosdam actus eminentes et specialiter sacros, quos facere nequit qui talem consecrationem seu ordinationem non suscepit. Atqui nihil facit diaconus, quod alius inferior minister sine ordinatione diaconali facere nequeat. Ergo. — Resp.: Nego min.; quæ jam fuit refutata cum suis instantiis, supra pp. 204-207.

Cf. Wirc. n. 78 sqq.

De Ordine XCI-1

Thesis XXVIII

Subdiaconatus, et quatuor qui dicuntur "Ordines minores", sunt quidem veri ac legitime instituti Ordines; ——— attamen non conferuntur per ordinationem quæ sit proprie Sacramentum.

S. Thom. - 1ª pars præscindit a quæstione utrum 1) hæc fuerint a Xº instituta, an ab ecclesiastica potestate, seu utrum sint juris divini an ecclesiastici. Tantum vindicat legitimam existentiam illorum officiorum et nomen "Ordinum" quod eis in Ecclesia datur.

2) Post Catharos seu Albigenses, qui illegitimam illorum institutionem dixerunt, Ecclesiamque accusaverunt quod illâ institutione hierarchiam corruperit (Cf. eos refutatos a Moneta, dominicano cæco, l. 4, c. 6, n. 2), —

Calvinus, aliique ex Protestantibus, istos Ordines rejecerunt et irriserunt. « Mosheim (ait Bergier, Dict. de Théol., art. Ordre), qui semble n'avoir entrepris son histoire ecclésiastique que pour censurer la conduite de l'Eglise catholique, attribue à des motifs peu louables l'institution des Ordres mineurs... "Plusieurs « évêques, dit-il, surtout ceux qui occupaient les plus « grands sièges, et les plus riches, s'arrogèrent les « droits et les ornements des souverains, un trône, des « officiers, des habits pompeux, pour en imposer au peuple « Les prêtres imitèrent l'exemple des évêques, négligèrent « leurs devoirs pour se livrer à la mollesse; les Diacres, « attentifs à profiter de l'occasion, s'emparèrent des « droits et des fonctions du sacerdoce. Telle est, selon moi, « l'origine des Ordres mineurs, des Sous-diacres, des Acolythes, « etc.. L'Eglise aurait pu s'en passer, s'il y avait eu plus « de piété et de vraie religion parmi ses Pasteurs. Les

"que les évêques et les prêtres se furent dispensés des "fonctions qui leur paraissaient trop basses, les diacres "firent de même et voulurent avoir des inférieurs." - Ainsi la malignité des hérétiques trouve des sujets de scandale dans les choses les plus innocentes, et même les plus louables.")

Contra Novatorum impudentiam definit Trid. sess. 23, can. 2: "Si quis dixerit praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et majores et minores per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tenditur; A. S." - Ibid. cap. 2: "Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione, plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent," etc.

Probatur Ia pars

I. Illa officia fierunt legitime instituta, etsi concedatur ea fuisse ecclesiastica institutionis. Nam

1°) Ecclesia recepit a Christo quoad res sacras et spirituales supremam potestatem legislativam (Cf. Th. II, IX, etc); et illi supremae jurisdictioni subjicitur, quoad suum exercitium regulanda, ipsa potestas Ordinis, seu potestas res specialissime sacras administrandi sacrificiumque eucharisticum offerendi (supra p. 98-104). Ergo Ecclesia non defuit jus instituendi illa officia, quo melius sacrificium eucharisticum celebraretur et Sacramenta ministrarentur. - Quare Trid. sess. 21, cap. 2, declaret "hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret."

2°) Etsi Apostoli illa officia, vel aliquod

eorum non instituissent (de quo tamen satis non constat): non defuit motivum ut, post Apostolos, ea instituerentur. — Etenim a) multiplicato fidelium numero, ratio fuit, ut Episcopis, presbyteris, diaconis darentur adjutores a populo segregati nec tamen tantis obligationibus onerati tantaque previa probatione indigentes; qui prompte facilius inveniebantur et divisione officiorum melius singula officia adimplerent. Et sicut non potes a priori accusare superbiæ vel frigiditæ Apostolos ex eo quod (Act. VI) in creandis diaconis sibi quæsierunt humanæ infirmitatis adjumenta quibus antea carere poterant — ita neque Apostolorum successores. — b) Per istud officia sibi gradatim succedentia, juvenes clerici utilissime præparantur ad altiora. « Les évêques des premiers siècles comprirent d'abord la nécessité de former de jeunes clercs, de les accoutumer de bonne heure aux fonctions du service divin. » Bergier, loc. cit. — « Liturgia sacra multiplici ministrorum gradu et functionibus diversis splendescere debuit, ut cultus esset dignior. — Nonne ipsi Apostoli archetypum talis liturgiæ deberant, solemnitates coelestes describendo, quibus inserviunt hierarchiæ Angelorum, et multiplex ministrorum exercitus? Nonne Joannes, in Apoc., cap. IV, V, etc., ostendit nobis eum qui sedet in throno splendide vestitus, et seniores circumamictos vestimentis albis, et vocem angelorum multorum in circuitu throni, etc.? Cf. ad Hebr. XII, 22. Et hic cultus eo magis congruit, quod Eucharistia contineat Christum realiter præsentem et habet rationem veri sacrificii, ut in alio tractatu probatur contra eosdem adversarios. « Si au 3e Siècle (ait Bergier, loc. cit.) l'on avait eu, touchant l'Eucharistie, le même sentiment que les protestants, l'on n'aurait pas eu besoin de tout cet appareil. Lorsqu'il n'est question que de préparer du pain et du vin sur une table, de couper ce pain en morceaux, de réciter les paroles

de l'institution, et d'inviter les assistants à en prendre à quoi serviraient des Ministres à différents ordres ?.... On a conclu (à la présence réelle de J.C. sur nos autels), qu'il devait y recevoir nos adorations, et que l'on ne pouvait lui rendre un culte trop pompeux. Dès qu'il a plu aux Protestants de retrancher ce culte, il a fallu par intérêt de système l'attribuer à des motifs odieux. En reprochant aux catholiques d'imiter les fonctions du sacerdoce judaïque, ils ont jugé qu'il était mieux de mettre leurs assemblées au lieu de celles des Juifs modernes dans les synagogues. » — Cf. S^tus Thomas Suppl. q. 37 a. 1.

3°) Officia illa, ut apparet ex documentis traditionis, sunt veneranda antiquitatis ; imò jam existebant tempore persecutionum, quandò raro locus non erat fastui Episcoporum, et quando Ecclesia ab ipsis adversariis adauctior fuisse putatur, eratque suis originibus vicinior.

Nam a) inveniuntur suo ordine omnes enumerati in canonibus celeberrimi Concilii Carthaginiensis IV, anno 398, cui S. Aug. interfuit : ibi traditur digitalis ritus ordinationis Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi Acolythi, Exorcistæ, Lectoris et Ostiarii (Labbe t. 2 p. 1199) — (et apud S. D. Augustinus p. 26) — Eodem tempore in Oriente, memorantur a S. Epiphanio (Expos. fidei n° 21) « hypodiaconi, lectores, exorcistæ, ostiarii ».

Sed b) jam antea, paulò post finem persecutionum, Conc. Antiochenum (anno 332, vel circiter) existere in Oriente testatur « lectores, hypodiaconos et exorcistas » quos vult posse constitui a chorepiscopo, licet idem presbyterum et diaconum ordinare non debeat absque urbis episcopo (cf. textum supra p. 153).

Imò c) ipso tempore persecutionum, an. 252, Cornelius Papa in epist. ad Fabium Antiochenum (servata ab Eusebio, hist. eccl. l. 6 c. 43) omnes nostros ordines enumerat, dum testatur esse Romæ 1 presbyteros 46, 7 autem diaconos totidemque subdiaconos, acolythos 42, exorcistas et lectores cum ostiariis 52. » — Atque etiam antea Tertullianus, inter gradus qui "ordinatione" conferuntur, memorat "lectores" (supra p. 22).

Alia testimonia, præsertim S. Cypriani, habes apud P. de Augustinis, thesi 2 de Ord., et alios.

Quare non immerito dixit Tridentinum s. 23. cap. 2: « Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, et Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur. »

II – Illa officia meritò dici possunt "Ordines" Non solum 1°) latiori et generico sensu, quo "Ordo" appellatur sive status, sive officium eorum qui quomodocumque se devovent divinis obsequiis: quo latiori sensu "ordo" dici potest tonsura clericalis; "ordines" dici potuerunt fossores (qui defunctorum corpora humabant) et cantores seu psalmistæ (qui sine ullâ initiatione clericali, fungebantur officio cantandi in ecclesia, cf. Wirc. n. 56); et sic etiam dicitur "ordo" monachorum, imò monialium;

Sed etiam 2°) strictiori et specifico sensu quo "Ordo" appellatur illud officium, quod a) confertur certo ac solemni ritu seu quâdam consecratione personæ, ita ut b) ex illo ritu derivetur potestas ad exercendas actiones spectantes sacrificium et altaris ministerium; quæ est quædam potestas ordinis (supra p. 6). — Nam in Subdiaconatu et quatuor prædictis Ordinibus Min. nec deest a) solemnis ille ritus ad inaugurandos ministros, nec deest b) potestas exercendi quasdam actiones sacras; quæ actiones in præcipuis ex illis officiis, manifestè et directè spectant ad ministerium eucharisticum, in infimis vero indirectè: cf. S. Thomam explicantem quam relationem singuli illi ordines habeant ad Eucharistiam, in Suppl q. 37 a. 2 (seu in 4. dist. 24. q. 2 a 1. quest. 2). Et P. Monsabré, 79ème confér. in fine.

Objicies 1°). — Illæ actiones fieri possunt ab aliis, qui specialem illam consecrationem non acceperunt; v.g. laici sæpè et ostiariorum, et etiam acolythorum munere funguntur. — Ergò nulla hic existit vera po-

-testas ordinis ,, — Resp. — Sufficit ad potestatem ordinis, ut actiones, circà quas versatur illa potestas, saltem regulariter, non possint fieri a non-consecrato, seu ut consecratus sit earum minister ordinarius, cui illæ actiones jure aliquo reserventur (Cf. Lainium et Petavium supra p. 6, 7, et quæ diximus de Diaconis supra p. 204, seqq.). Jam verò ita est in casu: laici enim non nisi propter necessitatem aliquam, aliquandò etiam fortassè abusivè, extraordinariè exercent illas actiones: et solus ordinatus vi suæ ordinationis eas facit ex officio: Cf. S. Thomam, Suppl q. 37 a 4 ad 3um. — Et Trident, sess 23 de Reform. c 17, maximis votis habuit ut aboleretur consuetudo, quâ ad laicos transiit illorum officiorum ecclesiasticorum quotidianum exercitium.

Obj. 2°) : « Illa officia, cum suis ordinationibus, fuerunt instituta ab Ecclesiâ. Atqui potestas ordinis ea est, quæ jure divino alligatur alicui consecrationi à Deo institutæ. Ergò. » — Resp. Trans. Maj. vel Conc., Nego min. : datur enim aliqua potestas ordinis quæ ab Ecclesiâ alligata est alicui consecrationi (supra p 108, Scholion) : quæ sufficit, ut habeatur « Ordo, in sensu specifico et strictiori.

Obj. 3°) « Ordinationes illæ, per quas varia illa officia inaugurantur, non habent rationem Sacramenti propriè dicti. Ergo illa officia non sunt veri "Ordines" ,, — Resp. — Trans. Maj. vel Concedo; Nego Cons. — Gratis imò falsò supponitur hæc esse synonyma « Verum ordinem » et "verum Sacramentum" : ratio « Sacramenti ,, addit aliquod elementum, scilicet productionem gratiæ sanctificantis, quod non intrat essentialiter in conceptum veri « ordinis ecclesiastici » , ad quem sufficit tum initiatio per ritum sacrum (sive ille producat gratiam sive non) tum aliqua specialis potestas sacri ministerii indè emanans. — Et Trid. definivit esse "ordines minores" (cf. St. 9.), non verò definivit eorum initiationem habere rationem Sacramenti, quod post Trid perrexit controversiæ inter

Theologos, imò magis fuit quam anteà revocatum in dubium.

Obj. 4°] "Distribuuntur Ordines in majores ac sacros, et minores ac non sacros. Atqui ordines quatuor minores sunt non-sacri, non sunt propriè ac strictè "ordines". Ergo. — Resp.: Dist. min: si sunt non sacri absolutè, Conc. Comparativè tantùm, Nego. — Ordines minores et ipsi sunt sacri; sed majores dicuntur "sacri" per figuram antonomasiæ, tum quia propiùs ad Sacrosancta Mysteria accedunt, tum quia ipsis solis lex continentiæ annexa est, per quam ordinati, Deo et Ecclesiæ penitùs consecrati, matrimonium et statum laïcalem in perpetuum evitare tenentur.

Ex datis explicationibus apparet cur, si strictè sumimus vocem "ordinis", non debeat v.g. prima tonsura numerari inter "ordines" (sicut solebant olim contendere Canonistæ). Nam omnis "ordo" essentialiter includit functiones quasdam, quæ plus minùsve referuntur ad Eucharistiam: atqui tonsura clericalis nullas dat functiones; sed est ritus, ab Ecclesiâ institutus, quo quis a statu laïcorum distinguitur, ut ad ordines suscipiendos meliùs præparetur; habet esse igitur ad ordines, sicut novitiatus ad professionem. Et ab ordinibus etiam minoribus distinguitur a Trid. s.23 c.2; et ibid. c.6 de Reform: « Nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, antè 14^m annum beneficium potest obtinere. » (cf. Wirc. n.57)

2ª Pars

Sr.Q. - Scholastici plurimi admiserunt subdiaconatum et ordines minores esse sacramenta propriè dicta, à Christo instituta. Nihilominùs hæc "communis eorum sententia" dici nequit.

Nam a) ipse S. Thomas habet quædam nostræ sententiæ faventia, ubi nempe dicit, cum Hugone Victorino l.2 de Sacram.

p. 3. c. 13, cum "Magistro Sent., etc. hos ordines fuisse ab Ecclesia institutos. - Suare Benedictus XIV, de Syn. diœc. l. 7. c. 24. n. 11 dicit a dubiam saltem fuisse hac in re Angelici Præceptoris mentem." - P. de Augustinis (de Ord. th. 6), et alii qui oppositam nobis sententiam tenent, Magistrum et S. Thomam explicare conantur quasi hi dixerint, illos ordines à Christo quidem institutos, non autem fuisse collatos statim ab initio specialibus personis quæ illos tantum haberent; quia tunc, propter paucitatem fidelium et ministrorum, ministeria ordinum inferiorum à superioribus exercebantur. At istud effugium est impossibile saltem in quodam loco S. Thomæ (quem locum P. de Aug. non affert), scil. in opusc. contra impugnantes religionem c. 4. in refutat. objectionum, ubi ait S. D.: « Etsi duo ordines tantum essent instituti à Domino qui possent prædicare propria auctoritate, posset tamen Ecclesia 3m ordinem statuere prædicatorum qui propria auctoritate prædicarent et præcipue Papa, qui habet plenitudinem potestatis in Ecclesia: sicut etiam in primitiva Ecclesia fuerunt soli duo ordines sacri, scilicet presbyteri et diaconi; et tamen postea Ecclesia minores sibi ordines instituit, ut Mag. in Sententiis dicit. » Ubi certum est agi de ipsa institutione ab Ecclesia: tum ex vi verborum, tum ex diserta oppositione ad "institutionem à Domino", tum ex assimilatione ad casum alicujus ordinis prædicatorum quem Ecclesia instituere posset etiam multo post Apostolos, nam in contextu agitur de legitimitate institutionis fratrum prædicatorum, sæculo XIII. - Adde, hoc opusculum, utpote posterius, potius esse audiendum quam Comment. in Sentent, in quibus S. D. habet quæ nobis adversantur. Suare Dominicus Soto in 4. d. 24. q. 1. a. 4. non dubitat dicere: « Profectò non arbitror, quòd si S. Thomas

ad hunc locum in Summâ pervenisset, in hac perstitisset opinione, quam in 4. lib. Sent., vulgus secutus, tenuit.» Scil. S. Thomas, junior quando dictabat Comment. in Sent., obiter ac nondum plene discussa quaestione sed sequens quod «vulgus» communiùs tunc dicebat docuit Subdiaconatum et ord. minores esse proprie Sacramenta: postea verò, ea opusc. illo contra Guilelmum à S. Amore, contrarium tenuit; tempus autem ei defuit ut Summam continuaret usque ad tract. de Ord., ibique pariter sententiam retractaret; nam quod dicitur «Supplementum» Summae, post mortem ejus compactum est ex iis quae in Sent. junior dictaverat. Cf. Drouven, de re sacram.

b) Postea Durandus nostram tenuit sententiam; item Cajetanus (cf. supra p. 192); item (quoad 4 minores) Navarrus tempore Trid., qui ait (Manuale Confessar., c. 22 de Ord.): «Mea tamen, cui videtur assentiri Medina,... sententia est, quatuor Ordines, sive ordinationes, scil. tres majores, et Episcopatum, esse vere et proprie Sacramentum ...alios autem potius esse sacramentalia.» Inter CC. Tridentinos, praeter Dom. Totum jam cit., Payva negavit subdiac. et ord. minores esse Sacramentum, ut patet ex Act. Concilii.

c) Saeculo deinde XVII et sequenti, quando nempe plus eruditioni datum est et ingentes factae sunt investigationes de documentis Traditionis et hist. eccles., magis ac magis in dies crevit numerus fautorum nostrae sententiae. Jam dicebat Morinus, de sacris ord. Exercit. II. c. 1. n. 3: «Cum ego examino et perpendo antiquiorum Patrum de Subdiaconatu et minoribus Ord. testimonia, propositionem illam, qua asseritur et subdiac. et 4 min. Ord. non esse sacramenta, judico tam esse certam et evidentem, ut qui ea consideraverit, ire contra vix possit.» - Robiscum sunt Tournely, Habert, Witasse, Drou-

ven, Simonnet, Juenin, etc. – Sardagna, n. 145, ait: « Quaeres, an subdiaconatus verum sit ac proprie dictum Sacram. Ordinis? – Resp. longe probabilius negative. Ita ... nostris temporibus communior Theologorum. » Et a fortiori pro ord. minoribus.

Nostris diebus sic loquitur P. Lehmkuhl n. 581: « Ordines quatuor, qui dicuntur minores, ... sacramenti rationem non habent, cum sint ecclesiasticae institutionis. Quae sententia hodie communis est ... Cf. Voit vol. 2. n. 995. – ... Subdiaconatus etiam ea sacramenti ratione videtur excludi debere. » – Et Aichner, Compend. juris eccl. § 26: « Controversiam de subdiaconis Conc. Tridentinum indecisam reliquit: communiter ad hierarchiam ordinis quae ex jure humano est, revocantur: prout etiam quatuor ord. minores. »

Tridentinum enim, cum definiret quinam gradus hierarchiae ordinis essent instituti « divina ordinatione », enumeravit « Episcopos, Presbyteros et ministros » (supra, p. 132): sed consulto posuit « ministros », vocem scil. ambiguam, quae possit vel sumi ut synonyma diaconorum (διάκονος, lat. minister), vel extendi etiam ad ordines inferiores qui et ipsi ministrant. Voluit enim praesentem quaestionem attingere: noluit ex suo canone arqui posse, solos Episcopos, presbyteros et diaconos esse immediate a Deo, ac proinde alios ordines esse non posse sacramentales.

Inter consequentias practicas ex nostra sententia, haec habetur, quod si quis in statu peccati illos ordines recipit, de sacrilegio commisso non constat (sicut constaret, si verum et certum sacramentum vivorum reciperetur in statu peccati). Cf. Bened. XIV. de Syn. dioeces. l. 8. c. 9, n. 1 et 12.

Probatur

I. Quoad quatuor minores.

1°) Quidquid sit, utrum Ecclesia Græca priùs aliquandiu habuerit omnes illos ordines (quod asserunt v. g. Wirc. n. 54, sed controvertitur inter eruditos): — certum est, eam à multis sæculis non habere ex eis, nisi Lectores: etiam ante separationem à Latinis: nullum enim exstat vestigium aliorum minorum ordinum in antiquis Euchologiis seu libris liturgicis, qui separationi sunt longe anteriores; et cf. apud Drouven (De re Sacram. l. 8 p. 1. q. 2. c. 2) alia documenta attestantia defectum illorum ordinum apud Græcos, v. g. sæculo VI. Novellas imper. Justiniani, sæc. VIII S. Damascenum, etc.

Atqui, si ordinationes illæ (acolythi, exorcistæ, ostiarii), quas Græci omninò et constanter omittebant, vera fuissent sacramenta à Christo instituta, non potuissent ita deperdi per longum tempus in magna Ecclesiæ parte, vel saltem Ecclesia latina debuisset id reprehendere, et Græcis tanquam sacramentorum destructoribus suam denegare communionem; quod tamen non fecit. Nec Deus, qui Ecclesiæ supernaturaliter assistit, sinere potest ut ipsa sit tam infidelis in custodiendo Depositо. — Ergo.

2°) Ecclesia universaliter permittit (quamvis Eccl. desideraverit aliter fieri), ut magnâ ex parte jam à laicis impleantur ista officia.

Atqui (ob eandem rationem in 1° arg. allatam) id accidere non potuisset, si ex institutione divina, seu ex voluntate Christi ipsius, alligata essent illa officia specialibus suis consecrationibus: sicut nunquam factum est nec accidere potest, ut laici universaliter et constanter baptizent loco Sacerdotum, quamvis per accidens et ex necessitate possint baptizare. — Ergò.

3°) Urbanus II anno 1091 pronuntiavit in Conc. Beneventano, can. 1: « Nullus deinceps in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus re-

ligiosè vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus Diaconatum et presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse; super his solum praeceptum habemus Apostoli. Subdiaconos vero », etc.

4°). Non debet alicui ritui asseri ratio sacramenti propriè dicti, nisi haec ratio probetur ex Scriptura vel Traditione.

Atqui a) ex Scriptura nihil afferunt adversarii; — b) ex Patribus afferunt aliqua decreta contra simoniacos: sed ex eo quòd vendi non debent ordines minores, utpote quid sacrum, non sequitur esse sacramenta propriè. — Dicit quidem Conc. Chalcedon. can. 2: « Si quis Episcoporum, accepta pecunia, ordinationem fecerit, et sub pretio deduxerit impretiabilem gratiam, atque ordinaverit per pecunias Episcopum, sive Chorepiscopum, sive Presbyterum, sive Diaconum, aut quemcumque alium qui connumeratur inter clericos ... » — At vox « gratia » potest referri ad eos tantùm ordines, qui sunt indubie sacramenta et gratiam sanctificantem conferunt: vel adhiberi generice, nam « gratia » est vox per se generalissima, quae non tantùm de gratia sanctificante, sed de quocumque dono plus minus supernaturali (qualis est omnis ecclesiastica potestas) rectissime dicitur. — c) Ex Liturgiis in usu apud Orientales et Occident. nihil habent pro se, imò potiùs indicia contraria. Nam in his conferendis Latini non adhibent verba: Accipe Spiritum S., ex quibus verbis potest cum Trid. arqui ad rationem Sacramenti; nec Graeci pro subdiaconatu et lectoratu adhibent solemnem formam quae ferè eadem est pro Episcopatu, presbyteratu et Diaconatu. Pariter deest impositio manuum, quam in thesi seq. probabimus essentialem ritum sacram. Ordinis, solitum ritum in Ecclesia primitùs adhibitum. — d) Quae

ex recentioribus Conciliis afferunt infra solventur.

5°). Confirmatur thesis ex silentio omnium documentorum, non tantum de indole sacramentali, sed de ipsa qualicumque exsistentia illorum rituum et ordinum in duobus primis Ecclesiae saeculis: dum è contra ordines episcoporum, presbyterorum, diaconorum, memorantur in illius detatis monumentis, v.g. saepè in genuinis Ignatii epistolis. Hinc concluditur, illos ordines fuisse tardiùs institutos, ergo non jure divino (cf. supra p. 646).

Dicet, et subdiaconos et ordines minores (exceptis tamen acolythis) enumerari in epist. Ignatii ad Antiochenos c. 12, — in can. 42 Apostolorum, — in Constit. Apostolicis l. 3. c. 11, l. 6. c. 17. — At haec omnia sunt spuria, et quamvis aliqua gaudeant antiquitate, tamen duobus primis saeculis posteriora esse communiter hodie agnoscuntur.

Silentio Patrum respondet silentium monumentorum in Catacumbis. — « Dès le 1er siècle (ait Abbas Benedictinus Maurus Wolter, les Catacombes et la doctr. catholique, 2e p. c. 7), on voit rangés strictement d'après leur ordre, l'évêque, le prêtre et le diacre ... Après ces 3 degrés primitifs de la hiérarchie, les inscriptions des cimetières, à partir de la fin du 2e siècle, nomment les lecteurs, les exorcistes ... Très-rarement, et seulement à dater du 4e siècle, on rencontre les sous-diacres, les acolytes et les portiers. »

Quare nec verba Trident. s. 23 cap. 2 (ab ipso Ecclesiae initio nomina et ministeria illa inveniri) ita sunt intelligenda, quasi deberemus ea ipsam Apostolorum aetatem referre: sed quoniam hi ordines inveniuntur ipso tempore persecutionum saeculo III, saltem Romae et in Africa (cf. documenta supra p. 725), id sufficit ad explicandum Trid.: saepe enim tempora persecutionum dicuntur « initium Ecclesiae, seu « Ecclesia primitiva. »

II. Quoad Subdiaconatum.

Eadem argumenta (excepto 1° et 2°) applicari possunt ordini subdiaconorum.

Nec contra objicias 1°) Subdiaconatum computari inter ordines sacros seu majores. — Resp. enim: a) Apud Graecos semper reputatus est inter ordines minores. — b) Apud Latinos tardiùs fuit translatus inter majores. Nam Urbanus II inter «sacros ordines» numerat presbyteratum et diaconatum ad exclusionem subdiaconatûs (supra p. 732): licet fortasse in eodem decreto ipse primam occasionem mutationi dederit. Innocentius III, in Cap. «A multis», ait: «Cùm hodie subdiaconatus inter sacros ordines computetur ...» Petrus Cantor anno 1197, in libro «De verbo mirifico» c. 14: «De novo institutum est, subdiaconatum esse sacrum ordinem. — Ergo Trid. s. 23 cap. 2. dicens «subdiaconatum ad majores ordines à Patribus et sacris Conciliis referri» non est intelligendum de antiquis Patribus et Conciliis: nisi intelligatur «ordo major» ipso facto quòd ei continentiae lex alligetur, nam constat ex documenti saeculi jam 4i vel 5i, subdiaconos tunc obligatos fuisse ad continentiam, saltem in quibusdam regionibus; fuerunt circa hoc varietates et locorum et temporum. — c). Ordo aliquis dicitur antonomastice sacer, vel major, non praecisè quia est sacramentum propriè dictum; sed quia annexam habet legem continentiae (cf. supra p. 728), et quia propiùs mysteria altaris attingit: ut explicat S. Thomas, Suppl. q. 37. a. 3. — Ubi etiam adverte subdiaconatum, eo tempore quo nondùm inter sacros ordines computabatur à Latinis, minùs prope ad altare accessisse. Tunc enim subdiaconi nec calicem nec patenam neque oblationes in Altari ipsi ponebant, sed illa omnia diaconis tantùm

porrigebant, qui deinde ad altare ea ferebant: id constat ex ep. S. Isidori ad Leudfridum episc. Cordubensem; ex Alcuino de tonsura clerici n. 7; ex Amalario de eccl. off. l. 2. c. 11. — Pariter de eorum potestate legendi Epistolam in Missa solemni non est sermo in Sacramentario S. Gregorii, neque in antiquo Ordine Romano, neque apud ullum scriptorem ante saeculum V; et adhuc saeculo IX Amalarius (ib. l. 1. c. 11) hunc usum ut localem et novum exhibet.

Neque objicias 2°) collationem gratiae, seu Spiritus Sancti, attribui ordinationi subdiaconatûs, in Constit. Apostol. l. 8. c. 21 ; « De hypodiaconis ego Thomas constituo Episcopis, ut, cum hypodiaconum ordinas, Episcope, imponas ei manus et dicas: Domine Deus..., tribue ei Spiritum S. ut vasa ad ministrandum tibi facta digne attrectet », etc. — Resp. enim: a) In illo opere apocrypho, ubi loquentes inducuntur Apostoli, non referuntur liturgiae quae de facto perseveraverunt in aliqua Ecclesia etiam Orientali, sed preces fortasse confictae ab auctore ignoto operis; et liber 8us a Cleticis habetur etiam ut recentior quam libri priores. — b) Aliqua invocatio Spiritus Sancti fieri potest etiam in ritu qui non sit proprie Sacramentum (ut fit v. g., in benedictione Abbatis), et sane differt a formula non deprecatoria : « Accipe Spiritum S. » — c) Diaconissae, quae desierunt jam in Ecclesia existere, juxta omnes non erant de jure divino, nec proinde Sacramento proprie dicto ministrabantur : atqui pro diaconissis invocatio similis invenitur in eodem libro c. 20 : « De diaconissa ego Bartholomaeus constituo, ut manus ei, Episcope, imponas, praesentibus presbyteris et diaconis et diaconissis et dices: Deus aeterne..., da ei Spiritum S., et mundam efficе », etc. — Nota. Ipsi Patres nos monent, diaconissas non fuisse ordinem ...—; quod explicari potest,

quia illud solum est propriè Ordo, quod vel importat Sacramentum Ordinis, vel saltem est dispositio ad illud (cf. Sylvest. Maurum de Ord., q. 287): atqui ordinatio Diaconissae neque erat Sacramentum, nec disponebat ad altiorem et sacramentalem gradum, ad Sacerdotium (ut disponunt v. g. ordines Minores et subdiac.). Ergo non constituebat propriè Ordinem, nedum importaret Sacramentum. S. Epiphanius Haeres. 79. n. 3: « Non ad sacerdotii functionem aut ullam ejusmodi administrationem institutus est in Ecclesiâ Diaconissarum ordo, sed sed ut muliebris sexûs honestati consulatur ...; ut, cùm nudandum est mulieris corpus, (ad baptismum adultae per immersionem), « intercedat, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed à solâ Diaconissâ videatur, quae sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exuitur. » Cùm cessavit baptismus per immersionem, tunc simul incaperunt cessare Diaconissae.

Neque objicias 3°): Consensus Occidentalis et Orientalis Ecclesiae, in habendo illo ordine subdiaconatûs, probat ejus apostolicam originem (ex applicato principio S. Aug., cf. supra p. 459, 460): ergo jus divinum. — Resp. Etiam concesso antecedente, Nego Cons. Apostoli enim plura constituerunt suâ non divinâ auctoritate (supra p. 32, 33). S. g., Diaconissae similiter possent ad Apostolos referri, imò pluribus et validis argumentis (Cf. Wiz. n. 84), nec tamen erant de jure divino. Item Patriarchae (supra p. 581, 665), etc.

Objectiones generales contra 2am partem.

Obj. 1°. Non licet iterari illas ordinationes: ergo imprimunt characterem, quod supponit Sacramentum propriè dictum. — Resp. Conc. Antec., Nego Cons. — Quòd non debeant iterari, non

est ex jure divino et propter characterem, sed ex jure ecclesiastico et quia sunt consecrationes quaedam: sicut consecratio vasorum et templorum, quamdiu res consecrata manet integra, iterari non debet, nec tamen est sacramentum; sicut etiam prima tonsura non debet iterari. Bona quidem est haec illatio: Hic ritus imprimit characterem: ergo iterari non debet. Sed non e converso: Iterari non debet: ergo characterem imprimit. X

Obj. 2° (praecipuum adversariorum argumentum): Conc. Florentinum, in Decr. pro Armenis, ait: "6um sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem. Diaconatus verò, per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Eccl. pro vivis et mortuis, in nomine Patris et F. et Spis. S. Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur." Ergo sic: Sub appellatione "Sacramenti Ordinis", non solùm sacerdotium et diaconatum, sed etiam subdiaconatum et alios ordines complectitur: ergo. — Resp a): Conc. Florentino, seu potiùs Eugenio IV, sufficit si vel una ex ordinationibus, in quibus exemplificat sacramentum esse dicatur. Atqui in exemplis allatis, duas habes quae sunt Sacramentum: presbyteratum et diaconatum. Porro, data occasione et propter analogiam, aliorum ordinum (saltem confuse) materiam addit Pontifex, praesciendo ab hoc quòd sint vel non sint vera Sacramenta; et ad hanc additionem sufficit ut sint veri Ordines, etsi non sint vera Sacramenta: quia in exemplis non requiritur omnimoda

D. Ordine XC III 2

similitudo, sed tantum ut res inter se comparatae in iis conveniant, secundum quae comparantur. Ordines porro inferiores, etsi non sint Sacramenta, tamen habent suam materiam et formam, habent suam traditionem instrumentorum, etc. similia. — Resp. 6. Si Eugenius certum habuisset, omnes illos ordines, ad quos ipse alludit in citato textu, esse Sacramenta, certe in ipso illo Conc. Florentino, ubi agebatur de unione, Graecos graviter objurgasset, quod tres minores Ordines praetermitterent: atqui non fecit: ergo.

Obj. 3° Trid. s. 23, postquam cap. 2 enumeravit omnes illos « Ordines », sic loquitur cap. 3.: « Dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem S. Ecclesiae Sacramentis. » Cum autem absolute dicat, « Ordinem » esse Sacramentum, videtur sumere « Ordinem » in suppositione adaequata, seu universaliter pro omnibus speciebus ad quas contrahitur, i.e. pro septem Ordinibus antea enumeratis. Unde sic: Quidquid absolute dicitur de genere, convenit omnibus speciebus. Atqui absolute dicitur de Ordine ut sic, quod sit vere Sacramentum. Ergo. — Resp. In hac formula indefinita, « Ordinem esse sacramentum », vox « Ordo » non necessario sumenda est in suppositione adaequata seu universali; sed supra potest in suppositione inadaequata seu particulari: « Aliquis Ordo est sacramentum. » Dices: In tali formula, magis obvia est suppositio adaequata. Resp: praescindendo a contextu et adjunctis, Trans.: sed hic habemus quaedam indicia in favorem suppositionis inadaequatae, tum a) ex contextu: nam Trid. postquam dixit « Ordinem esse vere et proprie unum ex 7 Sacramentis », statim addit: « Inquit enim Apostolus: Admones te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem » etc. « Ordo » igitur, de quo

loquitur Trid., videtur restringi ad illos tantum Ordines superiores, qui habent impositionem manuum; videtur ergo suppositio vocis esse inadaequata. Deinde in can. 4. / « Sacram Ordinationem » sumit inadaequate pro eâ tantum, in qua Episcopus dicit: « Accipe Spiritum S. » Tum b) ex manifesta Concilii intentione seu scopo, scil. eâ tantum stabiliendi, quae proterve negabantur ab haereticis novis, quaestiones verò de Ordinibus inter Catholicos jamdiu controversas omittendi. Atqui haeretici haec duo negabant: Dari ullum « Sacramentum Ordinis » — et, Legitimam esse illam pluralitatem Ordinum sive majorum, sive minorum, quae in Ecclesia Catholica habetur. Haec duo vindicavit Concilium, controversias omittens; et haec duo tam plenè vindicantur in nostra sententia (cf. thes. XXVI, et 1am partem hujus), quam in sententia Catholicorum qui nunc nobis adversantur. — Ergo, perpensis omnibus indiciis mentis Tridentini, non solum a) nequit dici, Trid. definivisse sententiam nobis adversam (quod nec ipsi adversarii audent dicere), — sed neque b) Trid. in eam propendisse, aut serio argumento locum dedisse contra nos.

Corollarium de hierarchia ordinis.

« Hierarchia ordinis », seu scala graduum specifice diversorum potestatis ordinis (cf. supra p. 132), si intelligitur (sensu strictissimo et excellentiori) de solis gradibus à Deo ipso institutis (vel saltem, de solis certò à Deo ipso institutis), non constat nisi tribus gradibus, Episcopatu, Presbyteratu et Diaconatu. Quare hi soli ab auctoribus multis vocantur ordines hierarchici. « Ad discernendos ordines divinitùs institutos et sacramentales ab iis qui sunt ecclesiasticae auctoritatis (inquit Oichner § 58), alia partitio inolevit, quâ ordines in hierarchicos et non hierarchicos dispescuntur: seu illos, quibus ra-

tio Sacramenti (ac proinde institutio divina) certò competit qui sunt, Episcopatus, Presbyt. et Diacon., atque illos, quibus character sacramentalis verosimilibus adjudicari debet.» — Benedictus XIV, inter alios, utitur hac divisione, de Syn. dioeces. l.8. c.10.

Aliunde, quoniam «hierarchia» sumi potest sensu minus stricto, conjungendo in unam scalam et gradus à Deo et gradus ab Ecclesia institutos, hoc sensu «hierarchia ordinis» comprehendere potest omnes qui verè dicuntur «Ordines», scil. etiam subdiaconatum et ordines minores (cf. 1am p. thesis). — Nonne pariter «hierarchia jurisdictionis» saepe concipitur conjungendo jurisdictionis gradus et divinos et ecclesiasticos, ita ut comprehendat Rom. Pontificem, Patriarchas, Primates, etc.?

Thesis XXIX

Sacramenti Ordinis, et omnium generatim ordinationum in Ecclesia, minister est solus Episcopus: quoad praecipuas ordinationes solus simpliciter, quoad alias solus saltem minister ordinarius.

St. qic. Dicimus: «et omnium generatim ordinationum...», ut a) significemus, etiam ordinationes minores pertinere ad Episcopum, et simul b) praescindamus in hac thesi certissimâ à quaestione jam disputatâ, utrum hae minores ordinationes sint sacramentales.

Hanc thesim (saltem quoad praecipuas ordinationes) jam probavimus ex Traditione, a) negativè et b) positivè, p. 140-142. — Non potest

efficaciter probari ex Scriptura. – Cf. Wirc. n. 130. – Quoad minores verò ordinationes, constat ex libris liturgicis et praxi Ecclesiae, Episcopum esse ministrum ordinarium.

Definivit Trid. (supra p. 135) « potestatem confirmandi et ordinandi, .. quam habent (Episcopi), illis non esse cum presbyteris communem. » – Porrò ad verificandam illam definitionem, sufficeret admittere, Episcopum solum esse ministrum ordinarium, quamvis presbyter admitteretur esse posse Ordinis (sicut est Confirmationis) minister extraordinarius, et quidem quoad omnes etiam perfectiores species ordinationum. Unde hoc tantùm est definitum, Episcopum esse ministrum ordinarium ; ab ampliori affirmatione Concilium praescindit.

Attamen insuper a) est saltem theologicè certum, ordinationis supremae scil. episcopalis Episcopum esse ministrum non tantum ordinarium sed absolute unicum, ita ut presbyter ne extraordinarie quidem possit Episcopum consecrare. Nullum enim habetur exemplum talis extraordinarii casus ; et Patres aperte negant id fieri posse, v.g. Chrysost. supra p. 150 ; – imò b) quoad ordinationem presbyteralem, tenendum est, ex sententia hodie communi (quamvis non defuerint olim Tt. qui contrarium docuerint), Episcopum esse ministrum absolute unicum, ut probavimus supra p. 145 ; et refutavimus falsa exempla ab adversariis allata, p. 148, 151 ; praesertim exemplum Chorepiscoporum, p. 152, sqq. – Cf. p. 641, exemplum presbyterorum Alexandriae. – Et Wirc. n. 137, sqq. ; n. 105.

De diaconatu, utrùm possit à presbytero extraordinariè conferri, diximus (supra p. 146) esse magnam controversiam. – Etsi ordinatio diaconalis certò sit Sacramentum (cf. thes. XXVII 2a p.), absolutè potuit Deus velle ut eam presbyter, cum

speciali commissione ad validitatem requisita extraordinarie perficere posset, sicut potest confirmare: et de hac Dei voluntate satis constaret si haberetur circa hoc praxis Ecclesiae. At verò de hac ipsa praxi controvertitur, utrum unquam datum sit exemplum certum.

De subdiaconatu et minoribus ordinibus constat ex praxi Ecclesiae, presbyterum ea conferre posse extraordinarie: ergo Episcopus quoad illas ordinationes hoc tantum sibi proprium habet, quòd earum sit minister ordinarius. Cf. supra p. 147.

Igitur CC. qui admittunt a) diaconatum ne extraordinarie quidem posse a presbytero conferri, et simul b) sententiam hodie communissimam, subdiaconatum ordinesque minores non habere rationem Sacramenti (cf. thesim praecedentem) —, ii dicere possunt, Episcopum esse Sacramenti Ordinis ministrum non tantum ordinarium sed absolute unicum. Verum hoc dari nequit ut certum; ideoque Eugenius IV ad Armenos contentus fuit hoc solum punctum dare ut certum: « Ordinarius minister hujus Sacramenti est Episcopus. » Ad hoc etiam punctum, ut diximus, suam definitionem limitavit Trid., verbis aequivalentibus.

Objectiones solvimus p. 147, segg.; — cf. Wirc. n. 134, segg.

Quaestiones de subjecto ordinationis, quis sit qui consensus requisitus, quomodo examinanda ejus idoneitas, quibus irregularitatibus affici possit, etc., — ad Theologiam Moralem pertinent, et solent in eâ sufficienter tractari; quare eas omittimus.

Thesis XXX

Impositio manuum, eaque sola, cum verbis ad eam pertinentibus, est materia et forma essentialis Sacramenti Ordinis.

Sx.Q. Ultima superest quaestio, eaque difficilis, de materia et forma Sacramenti Ordinis. Omissis ordinibus qui probabilissime non sunt Sacramentum, qui tamen et ipsi per analogiam habent suas „materias„ et „formas„, caeterum non multum controversas, — ordines tantum superiores consideramus, maximè verò presbyteratum et diaconatum, de quibus praecipuè solet esse quaestio. Liturgia tum latina tum graeca in his ordinibus adhibet plures ritus, quorum compendium breve habes apud Wirc. n. 106. I. Quaeritur, in nostra praesertim liturgia, ex illis variis ritibus quinam sint merè accidentales, quinam verò essentiales. — Ex duobus elementis essentiae, non considerabimus directè nisi materiam: haec enim determinata, eo ipso indirectè determinabitur forma, quippe quae consistit in verbis illam materiam connotantibus.

Scholastici plerique tenuerunt, traditionem instrumentorum cum verbis eam connotantibus (v.g. pro presbytero traditionem patenae cum hostia et calicis cum vino et aqua, cum verbis: „Accipe potestatem offerendi Sacrificium", etc.; — pro diacono traditionem libri Evangeliorum, cum verbis: „Accipe potestatem legendi Evangelium" etc.) esse ipsam essentiam Sacramenti: — sive a) eam habeant ut essentiam inadaequatam seu partialem: ita Scotus in 4. d. 24, Valdensis 4. 2 2 Sacram. c. 123 n. 5, segg., Bellarminus, Wirc. n. 108-110, Billuart, et multi alii; qui docent presbyteratum conferri per duas materias duasque formas partiales, scil. traditioni instrumentorum jungunt impositionem

manuum, generatim illam intelligentes pro presbytero impositionem manuum, quae fit cum verbis: Accipite Spiritum S.: quorum remiseritis peccata, etc.; — sive b) traditionem instrumentorum (cum verbis suis) habeant ut essentiam adaequatam seu totalem: ita Domin. Soto, Valentia, Gonet, etc. Aliquando haec 2a sententia tribuitur S. Thomae in 4. dist. 24. q. 3 a. 3, et aliis, qui tamen non excludunt impositionem manuum, et potius cum 1a sententia admittunt duas materias partiales.

Quod plerique olim Scholastici admiserint traditionem instrumentorum ~~ess~~ essentialeque, movere nos non debet: neque enim omnia illa cognoscebant monumenta Traditionis, antiquas Liturgias, etc. quae postea fuerunt diligentissime investigata atque edita. Caeterum dici nequit, fuisse de hoc consensum Theologorum: variis enim temporibus non defuerunt aliqui insignes doctores, qui traditionem instrumentorum non ut essentiam Sacramenti, sed ut meram caeremoniam haberent, quo magis explicite magisque solemniter explicaretur id, quod sola manuum impositione jam facta esset. Ita in primis Scholastica initiis jam videtur intelligere Hugo a S. Victore, de Sacram. l. 2. p. 3. c. 12 (Migne CLXXVI. 429): «Accipiunt (novi presbyteri) et calicem cum vino et patenam cum hostia de manu Episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi.» Quam Hugonis explicationem, quae nostra est, totam suam facit Innocentius III, de sacro myst. altaris l. 1. c. 9 (Migne CCXVII. 780). — Postea S. Bonaventura in 4. d. 24. p. 2. a. 1. q. 4., postquam dixit characterem imprimi per id quod est principalius in ratione signi, addit: «In ordinibus sacris (sacerdotium et diaconat. tantum intelligit), quoniam datur ibi nobilis potestas et ex-

cellens, fit manûs impositio, non tantùm (ut in ordinibus minoribus) instrumenti traditio; quoniam manus est organum organorum, in quo scil. principaliùs residet potestas operandi: unde sic (scil. per impositionem) ordinabant in Ecclesia primitiva, ubi nonnisi isti duo ordines explicite erant. Sed in ordinibus minoribus fit traditio alicujus instrumenti." Et ad 3m, ubi objiciebatur ex hoc principio: "Esto quòd tales libri vel vasa deessent, sicut forte deerant in Ecclesia primitiva, nihilominùs tales ordines dari possunt", respondens S. D. hoc principium plane concedit: "Sicut omne instrumentum sive armatura in virtute manûs est, sic etiam per impositionem manuum, ubi deessent talia, possunt signari (characterem)." — Deinde tempore Conc. Trid., in eandem sententiam inclinat Petrus Soto, lib. de institutione Sacerd., lect. 5.; item Card. Hosius, qui nomine Papae praefuit Trid., in sua Confessione fidei c. 50. excludit ab essentia ordin. sacerdotalis traditionem instrument.: "Signum seu elementum hujus Sacramenti, sive quis materiam vocare malit, est in Sacerdotibus unctio, sive manuum impositio; in reliquis, attactus eorum (instrumentorum) quae tangenda sunt." (Quod dicit de unctione, communiter rejicitur pro presbyteratu, ubi unctio habetur ut mera caeremonia accidentalis; sed à nonnullis admissum est pro summo gradu "sacerdotii", scil. Episcopatu). — Posted, citari potest inter Scholasticos Becanus, qui in sua Summâ Theol. nostram defendit sententiam. — Quoad diaconatum, inter alios citari potest Durandus, docens in 4. d. 24. q. 3 n. 7 et 8. diaconatum adaequate per impositionem manuum conferri, adeoque traditionem libri Evangel. esse accidentalem caeremoniam: imò testatur, in Ecclesia Anicensi, cujus ipse erat Episcopus, ante se non fuisse usitatam illam traditionem libri Evangeliorum.

Ergò sententia nostra etiam apud Scholasticos habuit suos defensores antiquissimos: dein pro-

cedente tempore, et meliùs investigatis Patrum documentis, Liturgiis, etc., magis ac magis invaluit (Arcudius, Morinus, Goarius, Tournely, Habert, Witasse, Concina, Drouven, Juénin, etc.), ita ut dicat Lud. Habert (2 Ord. p. l. c. 7): „Idem sentiunt... alii quamplurimi recentiores, eamque sententiam in Academia Parisiensi communiter propugnant Baccalaurei licentiam decurrentes." — S. Ligorius eam dicit „probabiliorem" (l. 6. n. 749) — Nostris diebus C. de Augustinis eam defendit (De Ord. thes. 7), eamque dicit „hodie communiorem."

Probatur.

I. (Arg. primum). — Impositio manuum non solùm in Scripturâ est solus ritus sacer qui reperiatur ad constituendos varios gradus hierarchiae N. Testamenti, solus qui dicatur connecti cum gratiâ (cf. supra p. 699, 719): — sed etiam in Traditionis antiquis documentis (quorum nonnulla attulimus, plura verò cf. apud C. de Augustinis thesi 7 2. Ord.) pariter occurrit solus: nec tantùm in Ecclesiâ Graeca, quae ab antiquis temporibus non aliud habuit nomen ad designandam ordinationem ipsam quam χειροτονίαν sed impositionem manuum, nec postea alios ritus addidit de quibus dubitari posset eos esse essentiales: sed etiam in Ecclesiâ Latina, ut patet ex omnibus documentis ab initio ante 900 ad minimum annos conscriptis. Nam in antiquis Ritualibus et Sacramentariis, à Menardo (Benedictino ex Congr. S. Mauri), Morino et Martène diligentissimè perquisitis et prolatis, nulla traditionis instrumentorum mentio occurrit in ordinatione presbyteri et diaconi. Item in scriptoribus saeculi VIII et IX, Alcuino, Rabano Mauro, Amalario, Walafrido Strabone, etsi de ritibus fusè atque ex professo agant. — Imò Conc. Carthaginense IV anno 398 (cui Episcopi 214, atque inter

eos S. Aug., interfuere), traditionem instrumentorum exhibet ut propriam ordinum inferiorum tantùm, quae ibi sit pro impositione manuum quâ carent: Nam a) quamvis accurate describat singulas ordinationes (saltem quoad essentialia), non ponit in ritu ordinationis presbyt. et diac. (can. 3 et 4) nisi solam impositionem manuum; et b) de subdiacono, can. 5, dit: « Subdiaconus cùm ordinatur, quia manûs impositionem non accipit, paterum de episcopi manu accipiat vacuam et calicem vacuum, de manu verò archidiaconi urceolum cum aqua et mantile et manutergium. » Nota illud « quia »: motivum, cur poneretur instrumentorum traditio, erat carentia impositionis manuum: ubi ergo non deerat impositio manuum, nullum tunc censebatur adesse motivum tradendi instrumenta. — Et hi canones Carthaginenses in omnibus subsequentibus Sacramentariis repetiti sunt tanquam norma ordinationis (ut videre est apud Morinum).

(3) Conclusio

Hinc merito concludimus:

1°) — (quae conclusio certior est, et pro se maximam partem Theologorum habet) —, impositionem manuum esse saltem partialiter de essentia Sacramenti: secùs, ut arguunt Wirc. de Ord. n. 109, « non possumus contra haereticos efficaciter probare ex Scriptura (imò neque ex antiqua Traditione) Ordinem esse Sacramentum cùm ex Scriptura (et antiqua Trad.) nullum aliud signum externum et sensibile possit haberi », nisi impositio manuum, et de hâc solâ quaestio sit in textibus quibus probatur Sacramentum Ordinis, et quae afferuntur ad hoc ab omnibus Catholicis, imò et à Trid. s. 23 cap. 3; — quin etiam,

2°) impositionem manuum esse totalem materiam essentialem Sacramenti. Nam si extitisset altera materia essentialis, scil. traditio instrumentorum, impossibile esset a) ut nunquam de ea mentio fieret, tùm in Scriptura, tùm in Patribus, Liturgiis

et scriptoribus liturgicis per novem saecula, dum constanter apud eosdem mentio fit impositionis manuum ; impossibile esset b) ut Carthag. IV aperte opponeret traditionem instrumentorum impositioni manuum, 1am inferioribus ordinibus, 2dæ superioribus reservans. — Ergo saltem prioribus saeculis traditio instrumentorum in presbyt. et diacon. non erat essentialis. — Atqui si non essentialis olim, neque est essentialis hodie : nam essentia Sacramentorum non mutatur post aliquot saecula, sunt enim de jure divino. — Ergo.

Objiciunt 1°) in veteri « Ordine Romano » mentionem fieri porrectionis Calicis. — Resp. a) : in ritu consecrationis Episcopi, Conc. : presbyteri et diaconi, Nego ; — b) « Ordo » ille non ante medium saec. IX aut etiam seriùs, saeculo nempe XI, conscriptus videtur (Sardagna).

Obj. 2°) veteres ideò siluisse traditionem instrumentorum, quia habebant « disciplinam arcani ». — Resp. cum Habert l. c. : « Quid sacratius habet instrumentorum porrectio, ut occultetur potiùs quam manuum impositio, cujus meminerunt Concilia Sacramentaria, et veteres scriptores ecclesiastici ? Cur Conc. Carthag. IV^m instrumentorum porrectionem exposuit in ordinatione subdiaconorum (supra p. 748) et inferiorum clericorum, contexit verò in ordinatione diacon. et presbyterorum ? »

Obj. 3°) instrumentorum porrectionem, quia necessariò implicat aliquam extensionem manûs, intelligi posse in antiquis documentis sub ipso nomine « impositionis manuum. » — Resp. Neg. Nam a) Carthag. IV, l. cit., diserte opponit traditionem instrumentorum et impositionem manuum : ergò non sumit unum pro altero ; b) antiqua documenta saepè, quando « impositionem manuum » describunt eam indicant fieri super caput ordinandi : atqui tra-

ditio instrument. non fit super caput sed in manus, ergo ; - c) etiam subdiac. et ordines minores, imò et Baptismus, et Extrema Unctio, dici tunc possent « conferri per impositionem manuum » : atqui nemo prudens tam absonè loquitur : ergò.

Obj. 4°) : Christus in ultimâ cœnâ per porrectionem calicis ordinavit Apostolos sacerdotes : ergò ipse instituit traditionem instrumentorum. — Resp. 4) cum Becano : Trans. Ant., Nego Cons. : Porrexit enim calicem cum sanguine, non cum vino ut nunc fit ; nec legitur porrexisse patenam, sed tantùm panem fractum et consecratum. — 6) Cùm Christus, potestate excellentiæ (ut aiunt), effectus Sacramentorum produceret etiam sine Sacramento seu ritu sensibili, aliquandò verò adhibitis quibusdam signis sensibilibus quos non instituit ut sacramenta Ecclesiæ permanentia (v. g. quandò insufflavit in Apostolos), non tam considerandum est quid ipse Christus in hac materia fecerit, quam quid Apostoli postea eorumque successores permanenter fecerint : præsertim cùm porrectio calicis tunc fieret à Christo ob alium finem, scil. ut distribueret Apostolis Eucharistiam. Unde multi tenent, sola causalitate suæ voluntatis (sine causalitate instrumentali alicujus Sacramenti) Christum contulisse Apostolis sacerdotium, modo quidem extraordinario. - Cf. 3. p. q. 72. a. 2. ad 1m. — c) Si Christus revera traditionem instrumentorum instituisset, quomodo prioribus sæculis neglecta fuisset in universa Ecclesia ?

2°) In parte Graecorum

II. Arg. secundum. Ecclesia Græca (sive schismatica sive unita) nunquam adhibuit, neque hodie adhibet aliam materiam præter manuum impositionem (saltem quoad ordinationem presbyt. et diac.), uti legere est in omnibus Græcorum Euchologiis. — Ergo impositio manuum est solus ritus, qui pro se universam Ecclesiam semper habuerit.

– Atqui ritus essentialis debet inveniri ubique et semper (quidquid sit de aliquibus accidentalibus differentiis) – ergo sola impositio manuum potest esse ritus essentialis.

Nec dicas 1°) dubitari posse de valore ordinationis Graecorum. – Nam Ecclesia ipsa Romana ejusmodi ordinationes nunquam irritas habuit aut aliqua ratione improbavit; Graeci admissi sunt ut valide ordinati in Conc. oecumenicis Lugdunensi II et Florent.; Clemens VIII Russorum Episcopos, presbyteros et diaconos ad catholicam unitatem admisit cum ordinibus, quibus secundum Graecorum ritum insigniti fuerant in suo schismate. Denique, ut notat Sylv. Maurus de Ord., q. 269, « Ecclesia Romana passim sacerdotes ritu graeco ordinatos sine alia ordinatione assumpsit etiam in Episcopos et Cardinales, etc. Et cum hi latinos sacerdotes ordinaverint, ex quibus aliqui facti sunt episcopi et ordinârunt alios sacerdotes, sequeretur quod posset dubitari in infinitum de omnibus istis ordinationibus... Ergo si posset dubitari de valore ordinat. Graecorum, posset etiam dubitari de valore ordinationis Latinorum. » Proinde posset dubitari, utrum Ecclesia passim amiserit veros sacerdotes, et consequenter alia sacramenta quae ministros valide ordinatos requirunt. Atqui tale dubium repugnat ex assistentia Dei. Ergo.

Nec dicas 2°) apud ipsos Graecos inveniri traditionem instrumentorum, quatenus diacono traditur flabellum, quo muscas arceat à sacris donis et pulverem abstergat, presbytero autem codex liturgicus. – Nam a) non est traditio eorumdem instrumentorum et certe haec reputaretur ab ipsis adversariis invalida pro Latinis, ergo maneret diversitas essentialis rituum; – b) traditio flabelli, ex ipso Euchologio, non fit nisi post osculum pacis, quod datur absolute jam ordinatione: hinc apparet accessoria seu

accidentalis ; – c) De traditione codicis liturgici testatur Arcudius lib. 6 Concordiae c. 3 nihil habere Euchologia tam impressa quam manuscripta, neque eam fieri ab omnibus Graecis.

Nec dicas 3°) apud Graecos presbyterum vel diaconum, quandò ordinantur, fronte tangere altare in quo reposita sunt vasa sacra, et hoc posse aequivalere traditioni instrumentorum seu vasorum : ita P. Merlin (Traité hist. et dogm. sur les formes des sacrements) quem laudat Bergier (Dictionnaire de Théol. art. Prêtrise), et quidam alii. – At mera cavillatio id esse videtur, quòd identifices talem ordinandorum situm, Episcopo nihil porrigente, cum latino ritu porrectionis instrumentorum : « nunquam dici potest (ait meritò Vincent, Theol. Compend.) eum qui fronte tangit altare, in quo sunt vasa sacra, adimplere ritum porrectionis instrumentorum. » Sane si quis apud Latinos eo modo ritum illum adimpleret, traditio instrumentorum censeretur nulla ab ipsis adversariis : manet igitur, quid. quid fingas, essentiale discrimen rituum Graecos inter et Latinos, si traditio instrumentorum, à Latinis observata, dicitur esse quid essentiale.

Nec dicas 4°) cum Harduino, aliam materiam pro sacris Ordinationibus S. Paulum orientalibus, aliam S. Petrum occidentalibus tradidisse (sive fingantur ex praecepto Christi et jure divino id fecisse, sive aliter). – Non solùm a) singularis ista sententia nullo fundamento nititur, et toti Ecclesiae semper fuit ignota, – sed etiam b) constat ex documentis (cf. arg. 1m) unam eamdemque in Oriente et Occidente fuisse materiam prioribus saeculis, scil. unicam manuum impositionem.

3°) En confut. effugii

III. Sed tandem deveniendum est ad praecipuum adversariorum effugium, quo nostra duo argumenta simul eludere conantur.

Ponunt ut theoriam generalem, Christum

in aliquibus sacramentis reliquisse Ecclesiæ ut ipsa determinaret materiam, vel formam, vel utrumque secundum rationem specificam talis signi (saltem si agitur de determinatione ultimâ et quoad speciem infimam): interim ut Christus diceretur institutor immediatus omnium sacramentorum (sicut dici debet in præsenti ordine, cf. tract. de Sacram. in genere) sufficeret eum determinasse et numerum sacramentorum et finem specialem cujusque et ministrum specialem cujusque, et saltem cujus generis debeat esse ritus seu signum sensibile adhibitum (etsi non determinaverit cujus speciei infimæ.)

Quam theoriam applicantes ad sacramentum Ordinis, dicunt Christum nec determinate pro materiâ instituisse impositionem manuum, nec determinate traditionem instrumentorum, neque hanc aut illam præcisè formam, sed tantum generatim requisivisse signum aliquod sensibile circa personam ordinandam, quo significaretur ei tradita potestas ordinis sui, relictâ Ecclesiæ facultate determinandi magis: Apostolos autem pro materia elegisse manuum impositionem, Græcos idem retinuisse et quidem validè, quia auctoritas suprema antiquam illam materiam pro eis semper confirmavit; eamdem vero auctoritatem Ecclesiæ pro Latinis fecisse novam determinationem materiæ essentialem post aliquot sæcula: quippe immutare poterat rem quæ supponitur non esse juris divini; sive Ecclesia dicatur, cum nonnullis adversariis, pro impositione manuum jam transeunte in ritum mere accidentalem, traditionem instrumentorum substituisse ut adæquatam essentiam; sive cum pluribus, impositioni manuum addidisse traditionem ut partem essentiæ: hinc denique in Ecclesia Latina traditionem instrumentorum jam factam fuisse necessariam, non solum necessitate præcepti sed sacramenti.

Nos vero præfatam theoriam generalem (quamvis à non paucis rejiciatur v.g. a S. Ligorio cf. P. de Augustis th. 13 de Sacr. in genere) transmittimus, quia non

De Ord XCV-1

absolutè videtur repugnare in se, et fortasse utilis esse potest tanquam hypothesis probabilis in quibusdam diversitatibus inter Græcos et Latinos explicandis, si aliter nequeunt meliùs explicari: præsertim quoad verba-forma in quibusdam sacramentis. Et illa theoria propugnata est a multis theologis, ut sunt S. Bonaventura, Alensis, Suarez, Lugo, Viva, Salmant., Billuart, etc, etc..

A) Quo applicat

At rejicimus illius theoriæ applicationem ad casum præsentem explicandum. Nam 1°) etsi admittatur Christum voluisse ut Ecclesia ab initio, scilicet Apostoli (sic evecti ad singularem quamdam cooperationem in sacramentorum institutione, quæ soli Christo competit) darent ultimam determinationem quibusdam sacramentis, imo potuisse permittere, ut in illa determinatione quædam admitterentur discrimina a diversis Apostolis, dum diversas fundarent ecclesias (præsertim discrimina partialia, v.g. in solis verbis formæ non autem simul in materiâ) — tamen inde non sequitur a) Christum etiam permisisse ut Ecclesia pro arbitrio determinationem semel factam iterum mutaret (præsertim quoad materiam Sacramentorum, nam verba facilius fortasse possunt variari, et alia reduci ad alia, et tanquam æquivalentia haberi). Imo videtur illa prior determinatio, utpote pertinens ad ipsa Ecclesiæ constitutiva, non potuisse fieri ab hominibus nisi ex potestate quadam initiali et extraordinariâ quæ ad successores non transit: cf. quæ diximus de facto Petri supra p. 490; et P. Palmieri de Romano Pontifice, Proleg. n. § XV p. 102. — Et certe b) ex ipsis adversariis saltem multi non videntur admittere Ecclesiam materias et formas novis decretis hodie immutare posse. — Sed præsertim c) non sequitur Christum etiam permisisse ut Ecclesia, postquam pluribus sæculis ab initio unitatem materiæ (scil. solam impositionem manuum tam in Occidente quam in Oriente) habuerit, destrueret hanc unitatem sine ulla necessitate, et præscriberet pro una jam parte Ecclesiæ aliam materiam et formam —

essentialem, pro aliâ vero parte aliam. — Saltem d) tam singulare factum Ecclesiæ deberet probari. Neque ad probandum hoc factum sufficit ostendere, sæculo circiter IX in ecclesiis Occidentis paulatim additam fuisse traditionem instrumentorum: addi enim omnino potuit ut accidentalis cæremonia: sed deberet probari intentio Ecclesiæ (tunc vel aliquo posteriori tempore) eum ritum constituendi ut essentialem, ut ipsam substantiam sacramenti: quod non probatur. Et tamen e) deberet talis intentio Ecclesiæ solide et aperte probari, utpote in re gravissimâ.

Iamvero unicum afferunt documentum ecclesiasticum ad probandam illam mutationem auctoritative ab Ecclesiâ introductam: scil. Decretum Eugenii IV ad Armenos in concil. Florentino, cf. verba supra p. 736: quæ verba dicuntur continere definitionem fidei.

Omissis responsionibus quorundam, præsertim Gallicanorum, qui vel a) negarunt in gloriæ œcumenicitatem Concil. Florentini, quæ iamdiu a nemine negatur et nuper a Vaticano solemniter asserta est („Pastor æternus„ cap. 3), — vel b) dixerunt cum Sirmondo, Natali alexandro (diss. 10 in sæc. 14 et 15, art. 3) etc., Florentinum desiisse esse œcumenicum eo tempore quo hoc decretum ad Armenos datum est, quia iam abierant Græci: quod utrumque de cætero nihil in re nostra mutaret, cum Rom. Pontifex etiam solus, vel concilio tantum particulari circumdatus, sit subjectum infallibilitatis sufficientissimum, sicut iam ab omnibus Catholicis admittendum est post Vaticani definitionem, — hæc de objecto testæ dicimus:

1°) Quidquid sit de cæteris partibus illius decreti Eugenii IV, saltem id quod refertur ad materiam et formam Ordinis non potest esse definitio fidei, imo neque lex Disciplinaris immutans essentiam specificam ritûs sacramentalis (suppo-

sito quod Ecclesia eam immutare possit) – Nam a) sive definitionem fidei, sive tantæ gravitatis legem dare voluisset Eugenius, debuisset certè extensionem hujus definitionis vel legis clare exprimere; debuisset dicere eam tantum referri ad Latinos vel etiam ad Armenos minime vero ad Græcos: atqui nihil dicit de Græcis, et tamen aliunde certum est ea quæ tradit de materia et forma (sive cum adversariis dicatur loqui de essentia ordinis sive etiam de cæremonia integrante) non applicari Græcis ex ipsius intentione et mente, quod sic probo: Ipse loquitur de sola traditione instrumentorum, omittens impositionem manuum: Græci autem habebant solam impositionem manuum sine illa traditione instrumentorum: non poterat esse major discrimen, major oppositio. Neque illud discrimen a Pontifice ignorabatur, nam Eugenius uno anno et amplius fuerat in constanti communicatione cum Græcis Episcopis, Ferrariæ et Florentiæ, sedulo discutiens omnia discrimina Orientalium et Occidentalium et quidquid obstare poterat unioni. Græci Episcopi vixerant inter Latinos; celebraverant in eorum templis, administraverant sacramenta; neque unquam eorum sacerdotalis character (a validitate ordinationis pendens) in dubium revocatus fuerat: quæ tamen erat quæstio gravissima. Omnibus expensis, facta est Unio Græcorum; et etiam postea Græci vocati sunt ad conventum, in quo eos Latini de pluribus interrogaverunt quæstionibus, quæ accuratam græcorum rituum notitiam ostendunt. Nec tamen ullam Græcis objectionem Eugenius aliique moverunt de materia et forma ordinis. Græci circa hæc non inquietati discesserunt. Tribus postea mensibus latum est decretum illud ad Armenos et ad eos solos non ad Græcos, qui non magis postea quam antea fuerunt inquietati. – b) Si definitionem fidei vel legem novam

tulisset circa materiam et formam saltem pro Ecclesia Latina, omnes Latini id agnovissent; nam definitio vel lex hujusmodi non solet negligi in Ecclesia; jamvero multi Theologi sic explicaverunt Eugenium, ut ipse his verbis nec definierit essentiam sacramenti, nec voluerit aliquid substantialiter immutare. Dicerent (ut verbis utar Benedicti XIV eos referentis et probabilitatem responsionis agnoscentis, de Syn. diec. l. 8. c. 10 n. 8): „Necesse est fateri Eugenium locutum de materia et forma integrante et accessoria, quam optavit ab Armenis superaddi manuum impositioni, jamdiu ab illis adhibitae, ut Ecclesiae Latinae moribus se prorsus accommodarent, ac rituum uniformitate, firmius eidem adhaerent; quod bene ponderant Menardus, Becanus, Morinus" Libeci verbo laudat et sequitur S. Ligorius l. cit. Quod autem vox „materia et forma" tam improprie sumpta sit ab Eugenio, eo ipso explicatur quod hoc documentum non habet gravitatem definitionis etc. Neque unquam Ecclesia damnavit hos Th. quasi suae legi vel definitioni rebelles, vel contra eos quoquo modo reclamavit. —

c) Si haec esset aliqua definitio fidei, impositio manuum dici deberet exclusa ab essentia Sacramenti saltem pro Latinis (et revera aliqui (pauciores) ex nostris adversariis hoc defendunt). Nam in aliqua definitione fidei circa „materiam" Sacramenti, oportet integram materiam tradere, falsò enim de parte materiae praedicatur simpliciter et absolutè quod sit „materia" Sacramenti. At, tunc, quomodo ex nostris adversariis plerique traditioni instrumentorum jungunt impositionem manuum ut alteram partem essentialem? quomodo postea ipsum Tridentinum ritum ordinationis presbyteri non vocavit „traditionem calicis cum vino et patenae cum pane" sed „impositionem manuum"? Cf. sess. 23 c. 3. Et sess. 14 de Extrema Unct. c. 3 ait: „proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiae presbyteros; quo nomine, eo loco non aetate seniores

aut primores in populo intelligendi sunt, sed aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii." – d) Quoniam ipsi Latini olim non habuerunt nisi impositionem manuum, et paulatim aliis accedentibus ut ceremoniis, nullum tamen afferri potest nec affertur decretum Ecclesiae quod deinde aliquam ex iis ceremoniis ut essentialem statuerit, nisi forte illud decretum Eugenii, debuisset illud decretum ad Latinos dari non tantum ad Armenos, et clare indicare pro ipsis Latinis tantam immutationem. Ad rem P. de Aug. l. c.: "Decretum Conc. Florentini editum pro Armenis, profecto voluit mutare pro Latinis materiam et formam ordinationum ad conferendos ordines hierarchicos .. Voluit sane rem tanti momenti praescribere, quanti est materia essentialis in collatione ordinum hierarchicorum ... quin apertissimis verbis mutationem factam indicaret et novam legem impositam promulgaret." Tamvero nec Pontifex dirigit illud decretum ad universam Ecclesiam nec facit ullum praeceptum illius promulgandi in singulis ecclesiis. – Ergo manet quod dicebamus: Ecclesiam, dato quod possit in decursu saeculorum ritum sacramenti essentialem immutare quoad ultimam speciem, v. g. additione partis essentiae, de facto id non fecisse quoad ritum a Latinis per prima saecula habitum ut solum essentialem (imo habitum sine accessoriis).

2°) Nec solum hunc locum de materia et forma Ordinis, sed etiam totum illud compendium Eugenii de septem Sacramentis minime constat esse definitionem fidei seu documentum infallibile: et hoc valde notandum est, non tantum ad quaestionem praesentem magis illustrandam, sed etiam quia Theologi, in variis tractatibus de Sacram. in genere et in specie, ex hoc decreto Florent. solent multa argumenta derivare: quae quamvis suadentia, non tamen convincentia videntur. Nam:

a) In illo decreto (quod integrum habes apud Labbe, t. XVIII p. 542, sqq.) multa certissimè sunt de fide, non tamen quia nunc definiuntur, sed quia jampridem erant de fide, et commendabantur nunc Armenis ad Ecclesiam redeuntibus. — Ita dicit sect. 1: « In primis ergò damus eis (Armenis) S. Symbolum ... Constantinop. ..., cum illa additione Filioque, cujus talis est tenor: Credo in unum Deum », etc. — Deinde, sect. 2, tradit eis definitionem Chalcedon. de Christo, sect. 3. definitionem Conc. VI^i contra Monothel.; sect. 6, Symbolum Athanas.; sect. 7, decretum unionis Græcorum nuper promulgatum. — Ergò mirum non est, nec quidquam probat contra nostram de hoc decreto assertionem, quòd Eugenius in proœmio dicat, se velle tradere « sub quodam brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem ». Neque ideò putandum est, omnes sectiones continere veritates fidei, et nihil aliud. — Nam v. g. sectio 4ª continet « instructionem » et « declarationem » ad dissipanda Armenorum præjudicia de Conc. Chalcedon. et de S. Leone Magno; sectio 8ª tradit ipsis, quo die celebranda sint quædam festa, etc. Et paulò ante finem, dicitur, Armenorum oratores suscepisse obedienter « hoc salubérrimum synodale decretum, cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis et statutis, omnemque doctrinam in eo descriptam. » Ex quâ enumeratione et rerum explicitâ distinctione, apparet in hoc Decreto contineri, hinc « præcepta et statuta » disciplinæ, illinc « doctrinas » quarum aliquæ sunt veritates « definitæ », aliæ verò tantùm « declaratæ, descriptæ », sine ullâ earum vel antiquâ vel novâ definitione, aut intentione definiendi. Neque enim Magister Infallibilis semper utitur suo supremo et infallibili magisterio, sed benè potest uti magisterio quodam inferiori, tradendo et commendando aliquam theologicam doctrinam quin eam definire velit: hoc ab ejus liberrimâ intentione pendet. Ergo fieri potest ut

sectio 5a, quae constat illo celebri compendio de septem Sacramentis, non pertineat nisi ad illud magisterium inferius neque infallibile (etsi utique ibi plura sunt diias definita).

6) Quod de facto ita sit, saltem valde probabiliter, habetur ex pluribus indiciis minime contemnendis. — Indicium 1um: De aliquibus Sacramentis exstant, et jam exstabant tempore Eugenii, nonnullae celebres inter Catholicos controversiae. Atqui non est verisimile, Eugenium uno brevissimo nec satis explicito documento (in quo tamen controversa illa puncta tanguntur) voluisse omnes illas simul dirimere controversias (in quibus Ecclesia raro solet intervenire). — Indicium 2um: Sed multo incredibilius est, tantarum controversiarum judicium solemne fuisse factum obiter in aliqua negotiatione cum schismaticis, imo cum exigua aliqua schismaticorum parte, scil. Armenis solis. — Indicium 3um: Saltem debuisset Papa non ad solos Armenos, ut fecit, sed simul ad omnes Latinos catholicasque scholas, quarum maxime intererat, documentum illud dirigere, si voluisset eorum controversias dirimere. Nec debuisset discessum Graecorum exspectare qui et ipsi nosse debebant definitiones novas de Sacramentis: aut saltem, ad eos illas mittere. Adde, non improbabilem esse eorum sententiam qui docent, omne documentum magisterii ecclesiastici tantum ad aliquos directum, non ad universam Ecclesiam, eo ipso non esse definitionem fidei. — Indicium 4um: Instructio illa de septem Sacramentis, inserta in medio Decreto « pro ipsorum Armenorum tam praesentium quam futurorum faciliori doctrina », — est fere ad verbum desumpta ex opusculo S. Thomae in articulos fidei et sacramenta Ecclesiae. — Atqui valde improbabile est et contra morem Ecclesiae, expositionem integram doctrinae de tam multis rebus, factam olim ab aliquo doctore privato, fuisse ab Ecclesia simpliciter definitam: sed potius dicendum est, Eugenium,

ut ipse ait, „pro Armenorum faciliori doctrina" (qui postulaverant, ut circa ritus Ecclesiae Romanae edocerentur), eis simpliciter tradidisse (quasi historicè) quid docerent de hoc in Occidente non quidem omnes, sed tamen probati auctores (inter quos electum fuisse textum S. Thomae, non est mirum; spectata praesertim illius opusculi redactione praeclarâ, quae est concisae simul et rerum plenissimae brevitatis); ita ut ritus ibi descriptos Armeni tutò possent vel etiam deberent ex Latinis imitari, sive tandem hic vel ille ritus esset ad validitatem essentialis speculativè, sive non. Potuit etiam mentem hanc suam magis explicitè oratoribus Armenorum declarare, qui nomine sui Patriarchae suaeque gentis hoc decretum à Pontifice susceperunt: ut advertit P. Palmieri l.c., p. 105. — Indicium 8m: Materia et forma Sacramenti Ordinis non fuerunt hic definitae, ut ex specialibus argumentis supra probavimus. — Ergo à pari nec materia et forma aliorum Sacramentorum, nec reliqua in illa instructione de Sacramentis contenta: nam in illâ proponuntur omnia pari modo, et omnes conditiones adjunctaque sunt eadem. — Indicium 6m extrinsecum: Theologi de valore dogmatico illius instructionis controversiam habuerunt et olim et etiam hodie: quamvis olim non aequè bonas semper attulerunt dubitandi rationes. — Ex hodiernis possumus afferre v.g.: a) Denzinger, qui instructionem illam in suo Enchiridio inserens, praemittit „eam non esse definitionem de ministro, materiâ et formâ Sacramentorum, ut multi putabant, sed instructionem tantummodò practicam, quae tamen ut talis plenam habet auctoritatem", — practicè enim exsequi debemus omnia ibi contenta. — b) P. Hurter thes. 79 (1. vol.), n. 602 in edit. 5a, idem repetit. — c) Card. Franzelin (de Tradit., 2a edit. p. 120) testatur, non tantùm olim, sed „etiam hodie apud aliquos" dubitari de valore dogmatico illius documenti. — d) P. Palmieri, de R. Pont., Proleg. § XV. p. 105, ipse dubitat. —

– e) In Angliâ duo catholici et eruditi viri, qui de generali quaestione valoris dogmatici ecclesiasticorum documentorum copiosè egerunt, P. Ryder oratorianus et Dr Ward editor periodici "Dublin Review", prior propensus ad diminuendum documentorum infallibilium numerum, posterior verò ad augendum, ambo, quamvis adversarii, tamen in praesenti documento Florentino (cum aliquo discriminé accidentali) concordant circa hoc, non esse documentum infallibile, saltem probabiliùs: cf. Ryder, Idealism in Theology, London 1867, p. 23; – Ward, A brief summary of the recent controversy on Infallibility, London 1868, 34. – Judicium 7m negativum: Intentionis definitivae nulla sunt indicia clara (cf. Franzelin, ibid. p. 119).

Porro haec omnia indicia, tam intrinseca quam extrinseca, planè sufficere videntur, ut legitimè dubitari possit de illius documenti infallibilitate, nec possimus illud imponere tanquam assensum intellectualem fidei exigens, neque ex quibusdam ejus verbis peremptoria argumenta derivare. – Neque obstat usus communis Theologorum inde arguendi: nam in Theologiâ non solùs peremptoriae auctoritates afferri solent, secùs cur afferretur canon alicujus Concilii particularis, verba alicujus Patris, auctoritas S. Thomae, etc.? Quòd si plures TT. videntur illam auctoritatem afferre ut cogentem, eorum quoad hoc opinionem sequi nulla ratione obligamur.

Scholion I. Quaenam manuum impositio sit de essentiâ Sacramenti, in ordinatione presbyterorum. – In ritu ordinat. presbyteratûs secundùm Pontificale Rom., multi TT. duas, alii verò tres distinguunt manûs impositiones; tres enumeremus et nos, ut res exhibeatur distinctiùs:

Prima fit ante consecrationem Missae post admonitionem ordinandis ab Episcopo factam. Tunc Episcopus, juxta verba Pontificalis, "imponit simul utramque manum super caput cujuslibet

ordinandi successive, nihil dicens. Idem faciunt post eum omnes sacerdotes qui adsunt.» - (Quod spectat ad hos simplices sacerdotes esse ritum merè accidentalem, jam ostensum est supra p. 149).

Secunda, quae est potius primae continuatio (unde multi ex duabus unam computant), statim sequitur in Pontificali: «Tam Pontifex quam sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos, et Pontifex stans cum mitrâ dicit: Oremus, fratres charissimi", etc., et recitat orationem.

Tertia et ultima (quam alii multi vocant secundam) fit in fine Missae, post Communionem, quandō Pontifex «imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet: Accipe Spir. S.: quorum remiseris peccata", etc.

Quaeritur ergō 1°) utrum haec ultima sit de essentiâ Sacramenti?

Affirmaverunt multi TT., illi nempe qui duplicem materiam asserunt, traditioni instrumentorum jungentes hanc ultimam manuum impositionem, eamque solam (v. g. Wirc. n. 109). — Nos verō negamus, sicut negavimus traditionem instrumentorum esse de essentiâ, et propter similes rationes: a) quia Graeci non habent novam illam in fine Missae impositionem manuum; b) quia apud ipsos Latinos est recentior, et per duodecim saecula fuit ignota, ut probatur ex antiquis Sacramentariis aliisque documentis, cf. O. de Augustinis l. c., p. 101, seqq.; c) quia non in hac ultima, sed in prima impositione manuum Episcopi habetur concursus totius «presbyterii»: atqui ille concursus quamvis per se non sit essentialis, tamen inservit ad designandam illam impositionem manuum quae est essentialis; v. g. in Trid. (supra p.) sacerdotes dicuntur ordinati «per impositionem manuum pres-

byterii »; et Conc. Carthag. IV, repetitum in antiquis Sacramentariis, illam solam ut essentialem tradit impositionem manuum Episcopi, quae dum fit, « omnes Presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas super caput ejus tendant. »

Objiciunt: Trid. s. 23. can. 4. ait, Episcopos non frustra in ordinatione dicere: Accipe Spiritum S., sed revera « per sacram Ordinationem dari Spiritum S. » :— Ergò supponit per haec verba (Accipe Spiritum S.) conferri gratiam, quibus tanquam materia (saltem partialis) respondet ultima manuum impositio. Caeterum ipsa verba id exprimunt.

Resp.: Nego Cons. Nam Trid. ex eo quòd Episcopus non frustra dicat: Accipe Spir. Sanctum, hoc tantùm infert, quod « per sacram Ordinationem (quae complectitur varias partes vel essentiales vel integrantes, ex quibus partibus una continet haec verba: Accipe Spir. S.) detur Spiritus Sanctus »:— non autem infert, quòd detur per illa ipsa verba, tanquam per formam Sacramenti. Et ad rationem additam, advertimus, quòd, ut verificentur illa verba, non est necesse ut sint forma Sacramenti. Sufficit ut evolvant, explicent, quid jam perceperit ordinatus presbyter: sicut similia verba: Accipe potestatem offerendi Sacrificium, etc. quae comitantur instrumentorum traditionem; quae licet ipsa oculis explicat quid jam perceperit sacerdos, ut jam notabat Hugo à S. Victore (supra p. 745). Haec omnia sunt merae caeremoniae, paulatim ab Ecclesiâ adjunctae ad majorem duntaxat expressionem collatae gratiae et spiritualis potestatis. Quod uno momento simul datum est (scil. in priori manûs impositione), Ecclesia postea variis caeremoniis more suo evolvit, et quasi oculis subjicit. Nonne ipsi adversarii cum omnibus CC. admittunt, unctionem manuum presbyterorum meram esse caeremoniam (in Ec-

clesia Latina sola introductam), quae per se nullam conferat potestatem v. g. consecrandi ? Attamen Episcopus ungens dicit: « Consecrare et sanctificare digneris, Dne, manus istas per istam unctionem et nostram benedictionem : ut ... quaecumque consecraverint, consecrentur », etc. Si non urges haec verba, ergo nec nimis urgeas verba quae objicis. — Aliud exemplum : verba Parochi : Ego vos conjungo in matrimonium ; scimus alioinde, non vi horum verborum fieri matrimonialem conjunctionem, sed ea esse mere accidentalia : ergo et similia verba non necessario causant id quod primâ fronte causare videntur, si ad litteram sumuntur.

Quaeritur 2°), eliminata illa 3ª impositione, quaenam remaneat essentialis, utrum 1ª, an 2ª, an utraque ? — Hic non concordant fautores nostrae hucusque sententiae.

Alii eliminant 1am, eâ ratione, quod fit ab Episcopo nihil dicente : atqui (dicunt) in omni Sacramento aliqua verba tanquam forma jungi debent materiae : ergo illa 1ª impositio non est materia Sacramenti : sed potius 2ª, quae fit ab Episcopo verba proferente.

Alii, quibus accedimus, advertunt magnum esse incommodum si sumatur sola 2ª : quia haec fit per meram extensionem dexterae, non tangendo capita ordinandorum : atqui ritus qui in Scriptura et Traditione describitur, quem solum habent Graeci, et olim Latini, — non est mera « extensio » manus in aere, sed « impositio » super caput, et est impositio « manuum » τῶν χειρῶν (supra p. 699) non unius dexterae ; et Greg. IX (lib. 1. Decretal., tit. 16. de sacram. non iter. c. 3°) ait : « Presbyter et diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt. » — Hinc praeferenda sententia, quae utramque, 1am et 2am, sumit

per modum unius tanquam essentialem. Ita P. Lehmkuhl n. 590: « Videtur potius haec impositio (sub silentio facta), quam subsequens extensio, necessaria esse: rectius autem hanc extensionem ab impositione non distingues, sed pro impositione signo externo continuata habebis, cum Bened. XIV de Syn. diaeces. l. 8. c. 10 n. 4. » — Ait enim ibi Benedictus XIV: « Non immeritò advertit Martène, 2dam manuum impositionem non differre à 1a, sed esse illius continuationem; quod revera utranque inspicienti est manifestum. » Et sic 1a illa impositio reapse non caret suâ formâ: nam, juxta omnes, in Sacramentis forma non requiritur ita simultanea materiae, ut nequeat pars materiae antecedere verborum initium. Ergò cadit sola adversariorum ratio seu objectio.

Quaeritur 3°) magis determinatè, quibus verbis praecisè constet forma? — Hic rursùs occurrit controversia:

Alii dicunt esse haec verba, quae recitat Episcopus durante illa extensione dextera: « Oremus, fratres charissimi, » etc. Et excludunt orationem propriè dictam, quae statim fit postea: « Exaudi nos, quaesumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos benedictionem S. Spiritûs et gratiae sacerdotalis infunde virtutem », etc. — Ratio autem excludendi hanc orationem, est quòd, dum recitatur, jam non tenentur manus extensae, uti fuit responsum à S. Rit. Congreg. 18 febr. 1843.

Alii multò meliùs dicunt, esse orationem illam « Exaudi »: nam a) haec ipsa et sola cum impositione manuum legitur in pervetusto Rituali pontificali Romano », edito à Muratori in sua Liturgia Romana, t. 2. p. 415 (Cf. apud De Augustinis, p. 102. — b) Oratio « Exaudi » multò aptior est ut sit forma Sacramenti, quam praevia illa exhortatio ad adstantes. Quare ait P. Lehmkuhl l. cit.: « Vix intelligo, quomodò

allocutio illa: Oremus, fratres charissimi, etc. pro forma sacramentali statim possit. Saltem utrumque simul sumi deberet, allocutio illa, et oratio ad quam praeparat adstantes. Nec valet ratio excludendi orationem, quam afferunt: nam, ut notat P. Lehmkuhl, responsum S. Congr. hoc solum probat, non requiri immediatam seu physicam coexistentiam materiae et formae, idque non quoad aliquam quidem materiae et formae partem, sed sufficere continuationem totius ritus.

Imò alia sententia, quam defendit Lugo, multò magis disjungit inter se veram materiam, ac formam. Est haec: Quamvis traditio instrumentorum non sit materia essentialis Sacramenti, verba tamen quae eam traditionem comitantur: Accipe potestatem sacrificium offerre, etc. possent esse forma essentialis Complens manuum impositionem praecedentem. In hâc igitur sententiâ traditio calicis et patenae (quae non fit sine aliquâ manûs extensione) solummodò eatenus requiritur, quatenùs signo aliquo externo (quod dici potest materia accidentalis) rebumatur materia essentialis antea posita, i.e. manuum extensio, et sic visibiliter conjungatur cum forma. — At ista sententia videtur nimis intricata, longiùs accersita, nimis disjungens veram materiam et formam, sine fundamento sufficienti. Fundamentum ferè unicum est, quòd ista sententia magis possit aptari iis quae dicuntur in decreto ad Armenos, illudque cum documentum veriore sententia in nostra thesi propugnata conciliare. Sed objectionem ex eo documento desumptam nos jam sufficienter solvimus.

Scholion II. Reliquae objectiones solvuntur.

Objiciunt 1°) diversi adversarii ex eo quòd effectus (saltem principalis) Sacramenti clariùs significatur per porrectionem instrumentorum cum

formâ eam comitante ; vel per hanc formam simul cum eâ quae ultimam manuum impositionem comitatur ; etc. similia.

Resp. non esse quaerendum, utrùm hic vel ille ritus à priori ex naturâ suâ plus minusve clarè significet effectum sacramentalem, sed utrùm hic vel ille ritus, de facto, institutus fuerit ut essentialis, et utrùm, excluso ritu qui a priori clarior signum videtur, nequeat reperiri alius qui effectum sacramentalem sufficienter significet. — Jam verò a) ritus clari, qui dicuntur ab adversariis materia esse et forma, non fuerunt instituti ut essentiales, quod jam probavimus ; alioquì b) ritus ille, quem solum essentialem defendimus, est signum certè sufficienter clarum, nam :

1°) Oratio illa, quam diximus esse formam jn ordinat. presbyterali, clarè exprimit effectum Sacramenti, et specialem gradum potestatis. Neque ullum est inconveniens, quòd forma sit deprecatoria : imò id melius concordat cum multis Patrum testimoniis, qui ordinationem describentes, loquuntur de impositione manuum et oratione seu precatione Episcopi ordinantis. Cf. S. de Augustinis p. 101.

2° Ipsa per se impositio manuum Episcopi, a) - quoniam (ut ait S. Bonav. supra p. 745) manus est instrumentum instrumentorum, « in quo scil. principaliùs residet potestas operandi », — benè significat transmissionem potestatis ordinis, seu superhumeralis illius activitatis et efficaciae, quae primarius est effectus in Sacramento Ordinis, vita ut ipsa gratia sanctificans sit effectus secundarius et consequens à primario (cf. supra p. 706). Determinatur autem per verba formae et adjuncta, ad significandum talem gradum potestatis sacrae potiùs quam alium. — Praeterea b) Episcopus cum repraesentet Deum, manus ejus, operationis principium et signum, « rectè (ut notat

Hallier, 2. sacris ordin. p. 2. s. 8. c. 9. a. 1) concursûs Dei, cooperationis, vocationis et inspirationis symbolum esse potest. Quae explicatio valdè Scripturæ S. conformis est, in quâ nempe protegentium, faventium et consulentium manus in iis vel super eos esse dicuntur, quibus consilium favorem vel adjumentum quodlibet impendunt... Sic de Davide dicitur quòd manus Domini cum illo fuerit, eumque confortaverit et deduxerit... Sic facta dicitur manus Domini super Ezechielem prophetam... Altera ratio est quia, cùm ad periculum capitis avertendum manus statim accurrat,... convenientissimè manus praesens subsidium et tegmen (Dei) repraesentat." — Ergò, manu veluti Dei super caput descendente, egregiè significatur superna vocatio, segregans hunc virum ad speciale ministerium (cf. supra p. 16, 17), specialis concursus promissus à Deo, sub quo concursu exercebuntur actiones sacrae et ineffabiles: paterna dilectio Dei, seu gratia sanctificans; protectio Dei, seu gratiae actuales annexae, in difficultatibus ministerii adfuturae. — Quae breviter sed praeclarè tradit Dionysius de Eccles. hier. c. 5: « Pontificiae autem manûs impositio, simul quidem manifestat sacramentalem protectionem, quâ tanquam sancti pueri paternâ dilectione foventur: quae quidem sacerdotalem eis det habitum et virtutem, contrarias autem potestates ab eis expellat. Docet etiam omnes functiones sacri ordinis obire eos, qui consecrati sunt, ut sub Deo agentes, eumque omnium suarum actionum ducem habentes, in omni operis institutione."

Obj. 2°. Impositio manûs non est ordinationi propria, cùm adhibeatur etiam in Sacram. Confirmationis. Atqui in diversis Sacramentis materia (saltem adaequata) debet esse diversa. Ergo impositio manûs non est materia Ordinis (saltem adaequata).

Resp.: « In Sacram. Confirmationis, impositio manûs, ut materia Sacramenti, non adhibetur sola, sed ad ungendum cum chrismate: ac proinde manûs

impositio, absque alio signo materiali, propria et peculiaris est hierarchicis Ordinationibus. » (P. de Augustinis l.c.)

Obj. 3°. In Pontificali Romano et diaconi et presbyteri, ante traditionem instrumentorum, licet jam manuum impositionem acceperint, dicuntur adhuc « ordinandi », postea verò « ordinati »: ergò traditio instrument. est de essentiâ.

Resp. Nego Cons. Nam a) statum post impositionem manuum, utrumque dici potest sub diverso respectu: sunt « ordinati », scil quoad essentiam: sunt « nondùm ordinati » sed « ordinandi », scil. quoad integritatem ordinationis, ad quam integritatem omnes ritus præscripti pertinent sive sint essentiales sive integrales. — Cæterùm b) Pontificale nec debet loqui secundùm nostram sententiam quæ non est de fide sed planè certa, neque est documentum dogmaticum et infallibile, sed regula merè practica, suis rubricis non dirimens speculativas sed practicas quæstiones.

Obj. 4ª. Est sententia communis pene omnium » (teste Sylv. Mauro, q. 26), quòd Xus in ultimâ cœnâ dedit Apostolis solam potestatem consecrandi; potestatem autem remittendi peccata, cùm post Resurr. insufflavit ac dixit: Accipite Spir. S.: quorum remiseritis pecta, etc. (Et valide confirmatur iis quæ dicit Trid. de institutione Sacram. Pœnit. s. 14. cap. 1.) — Ergò et Episcopus, iisdem verbis utens in fine Missæ, confert hâc potestatem remittendi peccata: ergò sunt de essentiâ, cum ultimâ manuum impositione comitante.

Resp. Nego Cons. Nam a) nulla est necessitas modum et processum quo Xus erga Apostolos extraordinariè usus est, eumdem esse quem ordinariè voluit in Ecclesiâ servari (cf. p. 750). — b) Ritus non est identicus: Xus insufflavit hæc dicendo, Episcopus imponit manus; — c) Si quæritur de possibilitate, potest sufficere una impositio manuum ad conferendam simul omnem potestatem in sacerdotio comprehensam: si de facto, illud jam probavimus.

FINIS

Index analyticus.

Pag.

Proœmium. Varii sensus vocis «Ordo», et «hierarchia» . . . 3.

DISPUTATIO I.ª
De variis potestatibus Ecclesiæ ābstractē consideratis, præscindendo ā gradibus earum.

SECTIO 1ª.
Probatur existentia utriusque potestatis, ordinis et jurisdictionis.

Thesis I. In Ecclesia Christi existit potestas ordinis, à laicis clerum discriminans: — 2) et hæc potestas, duplicisque classis distinctio inter fideles, est de jure divino 5–49

Status quæstionis in 1ª parte: Definitio potestatis ordinis: importat consecrationem personæ, referturque ad actus specialiter sacros. — Idem est, asserere potestatem ordinis, et discrimen clericorum ā laicis. Harum vocum origo. — Adversarii (Luther, etc.). — Trid. 5–12.

Status qu. in 2ª parte: Jus divinum est immediate à Deo, excludente scil. pleniorem illum libertatis humanæ interventum, qui habetur in jure humano — Deus mediatē fundat omnes leges humanas, specialiter verō ecclesiasticas: immediatē fert legem naturalem, et legem divinam positivam, variis modis. — Apostoli erant modō juris divini promulgatores, modō propriā auctoritate legislatores. — Scriptura non unicus fons juris divini; traditio non omnis divina. — Proprietates juris divini, comparativē ad humanum: 1° major indeterminatio, præsertim in N. Test.; 2° immutabilitas . . . . . 28–41.

Objectiones. « Omnes unum in X°», omnes « sacerdotes » –
Effusio charismatum, initio Ecclesiae, an supplebat hierarch. ... 42-47
Corollarium. Abusus vocis « laicus » : Card. Pie . . . . . 47-49.

Thesis II. In Ecclesiâ Christi existit jure divino potestas jurisdictionis, – 2) potestas scilicet legifera, – 3) judiciaria, – 4) et coactiva ... 49-81
St. qu. Discrimen potestatis jurisdict. à potestate dominativa. – Actus varii jurisdictionis : legem ferre, judicare, etc. – Jurisdictio ecclesiastica ; – spectanda principaliter in foro externo. – Adversarii antiqui et recentiores ; – multipliciter ab Ecclesiâ damnati. – Hic praescindimus à jure Ecclesiae in temporalia et in ipsum Statum, ab extensione coactionis ad poenas temporales, à coactione in re fidei, à subjecto jurisdictionis seu formâ gubernii. – Eadem potestas juriśd.ia probatur 1°) generaliter (pascere, ligare et solvere, etc.) – 2° speciatim de potestate legislativa (Explicatur Act. XV.), judiciaria (I. Cor. V. etc.), coactiva.
Objectiones : Libertas humana, – christiana. – Xus non se habuit ut regum ; « regnum meum non est de hoc mundo » ; – Ecclesia Societas spiritualis, – sine territorio, – sine vi materiali. – Non debet « dominari » – Abusus, etc. 71-81

SECTIO 2a.

Ambae potestates comparantur inter se, et cum potestate magisterii.

Thes. III. Potestas ordinis et potestas jurisdictionis sunt separabiles, – 2) quamvis per se in Episcopis conjunctae ; – 3) et multipliciter distinguuntur. – 4) A potestate jurisdictionis pendet usus ipsius potestatis ordinis, quoad liceitatem . . . . . 81-110.
Separatio harum potestatum apud haereticos 83-87
——————————— in ipsa Ecclesia . . . 87-89
Scholion I. Potestas ordinis duplex : una juris divini, altera ecclesiastici. – Actus sacri, alii pure ordi-

nis, alii ordinis simul et jurisdictionis, v.g. absolvere pœnitentem. — Potestas sacramentalis laicorum .. 102-108.

Scholion II. « Ordinatio », in sensu latiori, complectebatur olim sæpe ipsam collationem jurisdictionis. 108-110.

Thes. IV. Potestas magisterii non pertinet ad potestatem ordinis, sed suâ indole multum accedit ad potestatem jurisdictionis; — 2) tamen à jurisdictione propriè dictâ distingui omninò debet, neque est pars ejus, sed tertia quædam potestas 110-123

In 1ª parte, probatur inter alia, laicos non ita absolutè excludi à magisterio, ut quidam putant .. 113-115. — In 2ª p. (cum Franzelin contrà alios in Collegio Rom. professores), magisterium differre à jurisdictione, sive infideles, sive etiam fideles docendos spectes. 117-123.

Objectiones contra 2am p. : Scholasticorum usus, Vaticanum, etc. 123-131.

DISPUTATIO II.ª

De hierarchia ordinis,

seu de variis gradibus potestatis ordinis (de jure divino).

Prooemium. Quid « subjectum » potestatis? — Quid « gradus specifici » 131-132.

SECTIO 1ª

Distinctio duorum graduum, episcopalis et presbyteralis.

Thes. V. (de re). Episcopi jure divino sunt majores presbyteris quoad potestatem ordinis. . . 133-144.

Schol. I. Utrum presbyter possit ut minister extraordinarius ordinare presbyterum, negatur; — diaconem dubitatur; — subdiaconum etc., affirmatur .. 144-147.

Schol. II. Difficultates. Argumenta a priori relinquenda. Discernenda electio, ordinatio, missio — presbyteri imponentes manus cum Episcopo ordinante, etc. . . 147-152

Appendix de Chorepiscopis : certè aliqui ex eis fuerunt episcopi, — imò probabiliùs omnes. . . . . 152-164.

Thes. VI (de nomine). Episcopis, in ritu Ecclesiæ,

aliquando datum est nomen "presbyterorum", —2) quae appellatio non inducebat necessario confusionem; — 3) presbyteris verò simplicibus nunquam commune fuit nomen "episcoporum", saltem probabiliùs . . . . . 164-180.
Etymon et vis vocis "presbyter", seu senior . . . . . 168.
Explicantur Act. XX. 28, Philipp. I. 1, etc 176-180
Coroll. 2a hypothesi Petaviana . . . . . 180-182.
Schol. I., de voce « sacerdos », diù applicata etiam et praesertim Episcopis: concluditur contra Presbyterianos 182-184
Schol. II. An vox « senior » aliquando laicos designaverit.. 185-186.

SECTIO 2a.

Utrùm, praeter hos duos, sint alii gradus.

Thes. VII. Supra Episcopatum nullus est gradus in hierarchia ordinis 186-190
Rom. Pontifex nec specialem recipit consecrationem, nec specialem habet administrationem Sacramentorum . . . . . ibid.
Thes. VIII. Diaconi habent jure divino gradum in hierarchia et potestate ordinis 191-202
Ministerium non mere temporale: explicatur Act. VI 1, seqq. 193-198
Objectiones: Hieron., Cypr., etc. — Quam potestatem ordinis habent Diaconi . . . . . 202-207.

DISPUTATIO III.

De hierarchia jurisdictionis,

seu de variis gradibus potestatis jurisdictionis (qui sunt de jure divino).

SECTIO 1a.

De primatu jurisdictionis in B. Petro.

Thes. IX. Ex Scriptura demonstratur, B. Petrum jure divino primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam accepisse — 2) directe et

immediatè . . . . . 210-264.
1ª pars. – St. qu.: Primatus honoris et jurisdictionis. – Parallelismus duplicis textûs à Vaticano allati, Matt. XVI. et Joan. XXI. – Arg. 1m, ex: « Quodcumque ligaveris » et « pasce » – 2m, ex: « Tibi dabo claves » . . 210-218. – 3m, ex: « Super hanc petram aedificabo ». Quid fundamentum metaphora; – Quid « portae inferi »; – Kepha, – Constructio grammaticalis, et contextus; – Plurium Protestantium confessio, – πέτρος et πέτρα 218-225
Objectiones: « Petra erat Christus »; « Fundamentum . . . Christus »; – Patrum varia expositio de petra; . . . 225-232
Augustinus dubitans de exegesi hujus loci; error ejus philologicus; accommodatio loci ad Ecclesiam invisibilem, cujus fundamentum est solus Xtus. . . 232-235
An Petrus fuit petra unicè quia fundator? . . . 235-237.
An « claves » restringi possunt ad remissionem peccati? 237-238.
2ª pars. – St. qu.: Systema « repraesentationis », seu, Petri « capitis ministerialis » Ecclesiae; – Gallicani, Richer, Dupin, Febronius etc. – Definitio Pii VI contra Historicenses, et Vaticani – Quae species repraesentationis in Petro possit admitti, cum Patribus . . . 238-246.
– An Petrus nomine aliorum locutus, et praesertim, an nomine aliorum acceperit potestatem? Expendentur contextus Matt. XVI et Joan. XXI . . . 246-252.
Objectiones: Patres aliqui; – Potestas essentialiter est pro populo; – Deus totum corpus priùs intendit; propter quod unumquodque tale, etc. – Omnis auctoritas est priùs in multitudine, etc . . . . 252-258.
Aliae contra thesim objectiones: « Vade post me, Satana »; – lapsus Petri; – « Pasce oves » nihil amplius dat Petro quam aliis – « Oves » et « agni » an voces planè synonymae? Patrum expositio varia . . 259-264.

— Thes. X. Cum supremâ, Petri in ipsos Apostolos jurisdictione planè conciliantur tùm eminentes praerogativae Apostolorum,

— 2) tum eorum, ipsiusque Petri, dicendi vel agendi ratio ex libris V. Testamenti . . 265-303

St. qu. Nulla exemptio pro Apostolis. — Jansenistae aequantes Paulum cum Petro, damnati. — 1ª p. Praerogativarum enumeratio, et conciliatio. — Apostoli comprehenduntur in generalitate textuum; hoc etiam postulabat unitas a Xº intenta 266-272
Objectiones: Explicatur et conciliatur Matt. XVIII. 18; — Omnes Apostoli « fundamentum » (Apoc. XXI., Eph. II); — Patres asserentes aequalitatem Apostolorum . . . 272-280
2ª p.: 1º) Arg. negativa solvuntur: — Defectus exercitii in primatu Petri a) non probaret, b) gratis asseritur; facta nonnulla quae innuunt primatum . 280-288
— Ignorantia et silentium aliorum Apostolorum? . . 288-295
2º) Eorum dicta et facta positiva quae difficultatem faciunt: — missio Petri; — querelae, etc.; — Paulus se aequare videtur Petro; Apostolatus Judaeorum, et Gentium . 295-303

Thes. XI (continuat eamdem materiam). — Reprehensio Petri a Paulo (Galat. II. 11, segg.) non probat Apostolos fuisse inter se divisos circa doctrinam fidei, — 2) vel Petrum dono infallibilitatis caruisse, — 3) aut formaliter et graviter peccavisse, — 4) vel Paulum in Petro negavisse primatum jurisdictionis, — 5) qui potius ex adjunctis facti probatur; — 6) neque ulla est necessitas confugiendi ad hypothesim parum probabilem, Cephamibi reprehensum alium esse a B. Petro 303-351

1ª pars contra Rationalistas scholae Tubingensis: Non agebatur de principiis dogmaticis, sed de casu conscientiae concreto, et extraordinario. Consentiebant Apostoli circa principia, et praxim ordinariam. — Difficultas fuit ex simultaneitate plurium disciplinarum in Ecclesia, justis de causis . . . . 303-314.
2ª pars: quaestio illa non erat objectum infallibilitatis 314-316
3ª pars: explicantur verba Pauli, « reprehensibilis » Cephas; « simulatio »; « in faciem ei restiti », etc. . . 318-329

4ª pars (contra Calvin., etc.): Duplex correptio: auctoritativa seu justitiae, fraterna seu charitatis. Paulus probatur exercuisse 2am, et cum moderatione congrua .. 323-333.
5ª pars: influxus tantus Cephae est indicium Primatûs. 333-334.
6ª pars: idem influxus probat non esse alium quam B. Petrum; - pariter alia adjuncta - et Patres fare omnes. - Objectiones aliquorum Catholicorum recentiorum solvuntur, 335-347.
Scholion. Rejicitur hypothesis S. Hieronymi de simulatione utriusque Apostoli, et de lege Mosis jam mortifera, 347-351
Thes. XII. Ex Traditione constat primatus jurisdictionis in B. Petro. . . . . 351-369.
1°) Patres asserunt ejus auctoritatem in ipsos Apostolos (Princeps, Caput, Coryphaeus, Exarchus, gubernans, etc.); - speciatim in Andraeam, in Paulum; - datum ei gubernium Ecclesiae, regnum, etc.; - comparant Moysi, - exhibent ut centrum unitatis 352-359
2°) Monumenta Catacumbarum (et alia) confirmant . . 359-364
3°) Item aliqui Pagani 365
Solvuntur obj. ex Patribus et monumentis . . 365-369.

SECTIO 2ª.

De existentiâ primatûs jurisdictionis in B. Petri successoribus.

Thes. XIII. Primatum Petri ita Christus instituit, ut esset perpetuus, scilicet in successoribus permaneret. . . . . 369-381.
St. qu: „successores" nondum determinantur. - Vaticanum.
Prob. - Ex Matt. XVI. 18: 1°) Fundamentum tamdiu durat, quamdiu aedificium - Cur Christus implicitè successores expresserit; exempla similia . . . 370-372.
2°) Finis Christi, ut „portae inferi non praevaleant", infert necessariò perpetuitatem - Praeclara confessio Grotii et Leibnitii. - (3°) Arg. ex Trad., infra). 372-381.
Corollarium. Jurisdictio universalis erat in Petro ordinaria, 381-383.
Thes. XIV. Romanus Pontifex est B. Petri in eodem primatu successor. . . . 383-440.

De Ordine XCVIII-1.

St. qu. Congruebat Primatum alligari alicui Sedi; - Definitio Florentini et Vaticani . . . . . 383-384.
Prob. 1°) Solus Rom. Pontifex, de facto, vindicat sibi primatum in univ. Ecclesiam ut successor Petri; 385-386.
2°) Patres asserunt: Saeculo I, Clemens Rom (textus praeclarus ex "lacunâ" recens inventâ; gravitas talis testimonii celebritas Epistolae) . . . . . 386-388.
Saec. II, Ignatius; - Irenaei celeber textus evolvitur, et à cavillationibus expeditur . . . . . 388-392.
Saec. III, Cyprianus; et auctor schismaticus libri nuper inventi « Philosophumena » . . . . . 392-395.
Saec. IV, Conc. Sardicense: canones de appellationibus ad Rom. Pont.: eorum latissima publicatio, et magni effectus. Agnoscunt jus, non creant. Cavillationes. 395-400.
Eodem saec., Julius I (testimon. Socratis et Sozomeni); - Siricius; - Anastasius I; Ambrosius; Optatus; Hieronymus; - paganus Ammianus Marcellinus . . . 400-403.
Saec. V, Augustinus; Innocentius I; Zozimus; - Cyrillus Alexandr.; - Conc. Ephesinum; - Vincentius Lirin.; Petrus Chrysolog.; Leo Magnus; Conc. Chalcedonense, gravitas ejus testimonii, etc: . . . . . 404-412.
Scholion I (continuat argumenta Traditionis) de exercitio Primatûs in primis saeculis. — 1ª classis factorum: consultationes ex Oriente et Occid.; — 2ª classis: recursus ad interventionem Rom. Episcopi, exempla antiqua apud Eusebium, etc. Clarum testimonium S. Basilii; — 3ª cl.: appellationes; exempla apud Cyprian., etc. Clara testim. Theodoreti, et imperat. Valentiniani; — 4ª cl.: postulatio absolutionis ab excommunicatione (Marcion, etc.); — 5ª cl. Leges disciplinae generalis (Victor, quaestiones de celebratione Paschae, etc.). — 6ª cl.: Cura ecclesiarum pauperum in remotis regionibus, institutio vicarii apostolici; confirmatio electionis Episcoporum (cf. thes. XXI), decretorum Concilii oecumenici; missio legatorum, etc . . . . . 412-418.
Scholion II. (Solvit objecta). Unae variatio et evolutio

admittenda sit in exercitio Primatûs . . . . . 418 – 422
Conc. Nicænum, can. 6. de Patriarchis . . . . . 422 – 424.
Constantinop. I^m, can. 3. de Sede C.P^{tana} . . . 425 – 427.
Chalcedonense, can. 28 de eadem re . . . . . 427 – 431.
Causae humanae quae Rom. Sedem exercuerunt, 431 – 433.
Explicantur quaedam Hieronymi, Cypriani;
et Conc. Carthag. contra abusum Appellationum, 433 – 440.
Coroll. I. Ridiculae assertiones Calvini, Lutheri, etc. . . 440 – 441
Coroll. II. de „Falsis Decretalibus". Quid sint; – quae
praerogativae Pontificum inde ortae dicantur: refutatae, 441 – 446.
Thes. XV. Petrus Romam venit, – 2) ibique
martyrium subiit. . . . . 446 – 454.
1^a pars: Testimonia multa saeculi I, II, III.
Opponitur arg. mere negativum: talis argumenti
insufficientia in genere, refutatio in particulari. – Sen-
tentiae 4 circa tempus quo Romam venit. – Confessio
multorum Protestantium de hac thesi. – 2^a pars:
testimonia; – ratio valida, comprobans utramque partem, 447 – 454
Thes. XVI. Certum est factum Petri, quod scili-
cet primatum suum cum episcopatu ro-
mano ita conjunxit, ut utriusque muneris
esset una successio. . . . . 454 – 466
St. qu. In quo propriè consistat „factum Petri",
verè fundamentale quoad successionem primatûs.
– Arg. 1^m: De illâ conjunctione habetur in Trad.
talis consensus, qui nequeat explicari nisi per
institutionem Apostolicam: axioma S. Aug. – Arg.
2^m, indicia confirmativa: debuit Petrus clare desig-
nare; nihil aliud designatur; thesis praeced.; Petrus
1us episcopus Romae ex antiquis Catalogis, aliisque
monumentis; Antiochia relicta, etc. – Arg. 3^m: Ecclesia
hoc „factum dogmaticum" testatur. . . . 455 – 466.
Scholion ad sols. diffic. – Apostolatus et Episcopatus compos-
sibiles in uno – Paulus cum Petro fundator: an eti-
am coepiscopus? – „Vicarius" et „successor" impropriè 466 – 472.
Thes. XVII. Conjunctio Primatûs cum Sede Ro-

manâ est ita stabilis, ut dissolvi neque-
at, auctoritate qualibet humana diver-
sâ et sejunctâ à Rom. Pontifice, — 2) imò
neque ab ipso Petri successore . . . 472 - 483

Tit. qu. Unio duorum munerum in unâ personâ
vel instabilis, vel stabilis — Stabilitas autem duplex, rela-
tiva et absoluta. Absolutam nunc probaturi sumus . . 472-475.

1ª pars (contra Febronium, etc.) prob. ex refutatione
theoriæ gallicanæ (th. IX. 2ª p.), — et ex prop. 35 Syllabi, 475-478

2ª pars (contra Soto etc.) prob. ex modo quo Florent.
et Vatican. definiunt Rom. Pontificem esse Petri suc-
cessorem; — confirmatur ex sensu fidelium, Patribus,
historiâ, ratione congruentiæ. . . . . 478 - 483.

Schol. I. ad obj. — Residentia extra Romam, v.g. Avenione,
non est translatio Sedis sive Primatûs — Quid si Roma
destrueretur? . . . . . 483-486.

Schol. II. Sitne de jure divino illa conjunctio? — Potest esse;
— Non certò est: præter jus div. stricte dictum, vide-
tur dari posse alius fons immutabilitatis in insti-
tutis Ecclesiæ fundamentalibus. — Sitne de fide « factum Petri »? 486-495.

Thes. XVIII. Quamvis electio Summi Pontificis
ab hominibus fiat, et jure ecclesiastico re-
guletur, tamen Primatus in se remanet juris
divini, — 2) imò ejus, non solùm institutio gene-
ralis, sed etiam collatio est immediate à Deo . . . 495-504.

1ª pars: 1. Aliud est causare Primatum, aliud
causare conjunctionem ejus cum individuo subjecto.
— 2. Quid requiritur ut Primatus sit de jure ecclesiastico.
— 3. Lex successionis, et conditio successionis: 1am solam
esse de jure divino sufficit, ut v.g. Leo XIII habeat
jure divino Primatum — 4. Exemplum in V. Testam.
Corall.: monarchia ecclesiast. (non civilis) de jure div. . 497-501

2da pars: discrimen à 1ª. — Quid sit « conferre potes-
tatem » et « designare personam. » — Prob: Ex naturâ
Primatûs, nullus est in casu idoneus ad eum confe-
rendum, nisi Deus. 501-504

Corollaria. 1. Nec Electores, nec alii, possunt restringere potestatem Papae – 2 nec ipse Papa – 3 Casus abdicationis etc. . . 504-506
Schol. I ad obj.es – Collatio à Deo quomodò fiat? – Deus semper acceptat electum regulariter, etiam minùs dignum; error Wicleffi . . . . . 507-513.
Schol. II. An sit de fide divina, Leonem XIII habere Primatum, 513.
Schol. III. Potestas eligendi R. Pontificem est 1°) regulativè in ipso R. Pont., – non autem 2° exsecutivè, ex sententia probabiliori; scil. non potest suum designare successorem – Varii modi electionis in diversis temporibus: quid potuerint Imperatores. Quid sint Cardinales . . . . . 514-520.

SECTIO 3ª.

De naturâ Primatûs jurisdictionis.

Thes. XIX. Romani Pontificis jurisdictio est ordinaria et immediata in omnes et singulos pastores et fideles, – 2) verèque episcopalis, in recto quodam sensu . . . 521-538.
St. qu. Analysis Vaticanae Constit. « Pastor aeternus » – Quid sit jurisdictio « ordinaria » (duplex sensus), – « immediata » – Febronius, Eybel . . 521-525.
1ª pars. Pasce oves meas (omnes) – Quodcumque ligaveris . . . – Patres – Jus appellationis . . . Definitio Vatic. 526-530
2ª pars. Potest in Rom. Pont. distingui duplex auctoritas, episcopalis in Urbe, primatialis in Orbe: sed 2ª comprehendit jura verè episcopalia; non est assimilanda aliis « Primatibus » (Tamburini, etc). – Prob. Pasce oves meas: « pascere gregem » designat potestatem episcopalem, in usu sacro. – Definitio Vatic. – Traditio antiqua Papam vocat « episcopum ecclesiae universalis », et similia. – Obj. ex Cypriano . . . . . 531-538.
Scholion ad obj.es – « Episcopus universalis » habet sensum falsum, quem S. Greg. Magnus à se rejecit illum titulum, – non verò jurisdictionem immediatam in univ. Ecclesiam – De Joanne Jejunatore – Quamvis mediatus Superior, Papa potest immediatè agere. – Obj. DD. Darboy. –

Exercitium talis jurisdictionis non est impossibile, quia per legatos fieri potest, nec Papa tenetur ubique intervenire, sed potest: potest saltem validè, quamvis non semper licitè. Abusus frequens non timendus. – Obj. Protest. de impossibilit. tanti gubernii, 538-548.

Coroll. I. Jurisdictio R. Pontif. est plena (extensivè – et intensivè) – Defin. Vatic. – Falsum criterium Febronii et aliorum ad discernenda jura essentialia Primatûs, 548-549.

Coroll. II. Jurisd. R. Pont. est suprema, nec solum 1) relata ad quodlibet individuum, sed et 2) relata ad collectionem, seu Concilium: breviter probatur 2um; definitio Vaticani. . . . . 549-551.

SECTIO 4^a

Dé 2° gradu hierarchiae jurisd. (jure divino), sci de Episcopis, eorumque relationibus ad Apostolos, ad Papam, ad presbyteros.

Thes. XX. Episcopi sunt, vero quodam sensu, «Apostolorum successores» etiam quoad potestatem jurisdictionis; – 2) sic tamen, ut singuli singulos greges pascant, – 3) nec succedant Apostolis eo sensu strictissimo, quo R. Pontifex Petro succedit, 551-563.

1^a p. Christus voluit, esse successores Apostolorum (Euntes ergò docete, etc.): sed nulli magis succedunt eis quam Episcopi, et quidem etiam in regendo, ut videmus ex epistolis ad Tim., Tit. etc. – Patres, Trid., Vatic. . . . 552-555.

2^a p. In N. Test., pastores alii praeter Apostolos semper exhibentur cum grege particulari tantùm: «per civitates», etc., «Angeli» Ecclesiarum. – Patres et Conc; ratio, 555-559.

3^a p.: Apostoli habebant singuli universalem jurisdictionem; fere omnes caruerunt determinata Sede, in quâ eis succederetur. – Potiùs succedit Corpus Episcopale Collegio Apostolico, quam Episcopus Apostolo . . . . . 559-562.

Corollaria. Exigi possunt novae Sedes, sufficienter «apostolicae» – Rom. Sedes antonomastè «apostolica» – Jurisd. extraordin. Apostolorum; 563-565.

Thes. XXI. Ad Rom. Pontificem jure div° pertinet influere in singulorum Episcoporum institutio-

nem, quae sine eo nequeat esse valida, — 2) pariter in eorum depositionem, — 3) et multipliciter ipse potest restringere jurisdictionem Episcoporum, — 4) qui tamen non sunt meri ejus vicarii ... (Thesis certa) .. . 565-599.

St. qu. Electio olim à clero regionis, paulatim suppressa in multis locis. — Hodie in Occidente, 4 modi providendi episcopatibus, secundùm diversas regiones. — Calumnia Protestantium, et aliorum, de usurpatione facta à Rom. Pont. — Pericula schismatis in Galliâ, variis temporibus. — Trid., prop. 50 Syllabi, 565-568.

Prob. 1ª p. 1. Ex conceptu monarchiae; (obj. de Apostolis à Christo immediate institutis). Tibi dabo claves; Pasce. — 2. Traditio: a) verba Patrum; b) facta: Rom. Pontifices, saec. III, IV, V, VI, VII, — confirmant et instituunt Episcopos in Italia, Gallia, Hispania, Syria, Illyrico, Graecia, et in praecipuis Sedibus Alexandriae, Antiochiae, Constantinopolis, Hierosolymae, 569-576.

Nota ad solv. diff.: Electio et ordinatio potuit fieri ab aliis: ipsa missio seu confirmatio potuit fieri à Pontifice tantùm mediate, per Patriarchas etc., ipso hoc instituente, vel consentiente saltem tacite. Exemplum Innocentii I scribentis ad Patriarcham Antioch., 577-582

Prob. 2ª p. Concilia provincialia nunquam definitivè deposuerunt Episcopum: ex unitate Ecclesiae, ex naturâ Primatûs ex quâ sequitur jus appellationis, ex factis appellationis antiquioribus Concilio Sardicensi, ex usu referendi ad Sedem Rom. — Coroll. Episcopum etiam innocentem deponere potest ex gravibus causis — Schol. de Episcopo injuste deposito 582-589

Prob. 3ª p. Qui potest tollere jurisdictionem, à fortiori potest restringere, si est restringibilis: atqui: ergo. — Definitio Pii VI. — Coroll.: falsum est, Episcopum in sua dioecesi habere potestatem illimitatam (Pereira), tantam quantam Papa in Ecclesia (aliquis Scholastici, admittentes limitari exercitium) . . . . 589-593.

4ª pars. St. qu: Jurisd. ordinaria quomodo opponatur delegata seu vicaria. - Varia species delegationis, quibus utitur Pontifex: legati varii; antiqui „vicarii apostolici", primates; apocrisiarii, Nuntii; - coadjutor episcopo datus, hodierni „vicarii apost. et praefecti apostolici. - Prob.: Patres, consensus TT., Vatican. - Coroll. 1. Nequit Papa Episcopatum seupprimere (jurisd.e ordinariâ gubernantem). Cur, ubi et quandò Vicarios Apostolicos adhibeat. - Coroll. 2. Vatic.m non fecit Episcopos meros vicarios. - Coroll. 3. Admittenda videtur (contra quosdam TT. recentiores) formula Bellarmini, regimen Ecclesiae esse monarchiam aristocratiâ temperatam. Quomodò Gallicani eâ formulâ abusi sint; Greg. XVI., 594-605.

Thes. XXII. Jurisdictio singulis Episcopis à Romano Pontifice confertur, seu non est immediatè à Deo... (Thesis controversa)... 605-616.

St. qu. Nunc de modo seu indole interventionis Pontificiae - Magna controversia in Trid. - Quid hic significet „immediatè à Deo".

Prob - 1ª hypothesis adversariorum refellitur: nihil deest, cur Papa dicatur propriè conferre jurisdictionem: ergò ad immediatum Dei interventum non est recurrendum, exclusâ causâ 2ª idoneâ. - Cur principium „Nemo dat quod non habet" applicari debet jurisdictioni verè conferendae, non autem gratiae sacramentali à ministro dandae. -

2ª hypothesis refellitur: in consecratione episcopali Deus immediate dans potestatem ordinis, non deò dat immediatè potestatem jurisd., quae est diversa et separabilis, et potest haberi ante consecrationem; sanè Deus nullos tunc assignat subditos, atqui sine subditis non est Superior... 605-616.

Scholion I. ad obj. - „Spiritus S. posuit vos episcopos regere Ecclesiam Dei" - „Euntes docete" etc. - Ex nostra sententia, Episcopi non fiunt meri vicarii; non cessat

eorum jurisdictio, nitoriente Papâ. Distinctio hic legitima inter Sedem et Sedentem 616-622

Schol. II. Systemata intermedia Bolgenii et Cellotii rejiciuntur. – Jus sedendi in Conc. œcumenico... 622-624.

Thes. XXIII. Episcoporum excellentia supra presbyteros (quoad jurisdictionem) non fuit tardiùs invecta, sed viget à tempore Apostolorum, — 2) imò est de jure divino, recto quodam sensu. 625-635

(Cf. thes. V, et VI). – 1ª pars (contenta in Trid.): 1° Textus: Ignatius praesertim, Tert., Orig. etc.; – Angeli Ecclesiarum in Apoc., cum interpret. Patrum; – catalogi episcop. usque ad Apostolos; – Patres necessarium asserentes gubernium Episcoporum; – ipsi antiqui haeretici. – 2° Ratio: impossibilitas mutationis ab adversariis confictae. . . . . 625-633.

2ª pars (à quâ asserendâ abstinuit Ecclesia) prob.: Episcopale gubernium, in genere sumptum, jam probatum est de jure divino ex Patribus (p. 597, 598, cf. 630): et in hoc nititur consensus EE., illud supprimi non posse. – Atqui non ita de presbyterali gubernio: cf. thes. sequentem. . . 633-635

Schol. ad obj. – Hieronymi sententia explicatur; – et quae narrat ipse de presbyteris Alexandriae, 635-642.

Sectio 5ª

Infra Episcopatum, non esse alium gradum jurisdictionis ordinariae jure divino, nec necessariam aliquam participationem in Ecclesiae regimine.

Thes. XXIV. Presbyteri, et ipsi speciatim Parochi, in hierarchiâ jurisdictionis non obtinent 3^m^ aliquem gradum jure divino institutum. . . . . 642-656.

St. qu. « Parochismus », systema Parochos nimis extollens, ortum Parisiis saec. XIII (tunc

refutatum à S. Thoma); - postea Gerson, aliique Sorbonici; - Jansenistae .... Unum tantum sed fundamentalem Parochismi errorem in thesi refellimus, 642-646.

Prob. ex eo quod Parochi non extiterunt primis Ecclesiae saeculis. - Nam 1°) (arg. negat.) nulla eorum mentio fit in antiquis documentis; - 2°) Presbyteri tunc exhibentur ut merè docentes, et consiliantes Episcopum, non verò per se aliquid regentes; - 3°) nulla ecclesia parochialis: nam presbyteri ordinariè publicam missam non celebrabant separatim ab Episcopo; unicum erat altare, scil. Episcopi, in unicâ ecclesiâ, scil. cathedrali. (Ad quid enim aliae aedes sacrae?) - 4°) alia sacramenta, quae hodie Parochus administrat, ut baptismum et poenitentiam, per se solebat administrare Episcopus; - 5°) Quandò ad Episcopum supplendum adhibebantur Presbyteri, adhibebantur ut merè vicarii ad nutum, sicut et Diaconi. - Quandò Parochiae incaeperint.., 646-656

Corollar. contra Presbyterianos . . . . . 656.

Schol. I ad obj.is - Trid., ubi «presbyteros» ponit in «hierarchia», loquitur de hier. ordinis, non jurisdictionis. - Quae conditiones requirantur, ut aliquod documentum verè probet contra nos. - Vox «parocia». - Parochi non sunt successores 72 discip.rum, 657-662.

Schol. II. Alii errores Parochistarum, à Pio VI damnati... 662-663.

Schol. III. Parochi non habent jurisdictionem strictè dictam in foro externo; - non sunt propriè «pastores»; - Jurisdictio, quam ex jure ecclesiastico habent, est ordinaria; - exceptionalis status Galliae quoad Parochos, à S. Sede toleratus. . . . 663-664.

Coroll. Hierarchia jurisdictionis jure divino habet tantum duos gradus, Papatum et Episcopatum. - Patriarchae, Metropolitani, etc. non de jure divino, . . . 665.

Thes. XXV. Multitudinismus, democraticum faciens Ecclesiae regimen, rejiciendus est; - 2) imò nec mera potestas eligendi ministros

Ecclesiae pertinet jure divino ad populum, 665-678.

1ª pars (definita à Pio VI, – cf. Trid.) est corollarium thesеon de Primatu praesertim, atque etiam de Episcopatu – Nota: Etsi dimitteretur 2ª pars de jure eligendi, non statim sequeretur democratia in Ecclesiâ. . . . . 666-668.

2ª pars (certa, contra adversarios protestantes, pseudo-catholicos, etc.) prob: – I°. Si de jure divº populus deberet eligere (praesertim si de jure naturali, ut dicunt plures ex adversariis), semper debuisset ab initio ita esse. – Atqui tum ex Script. tum ex Trad. videmus Apostolos, saepè saltem, sine electione populi constituisse pastores; – item successores Apostolorum fecisse. – II Etsi deinde invaluerit systema electionis, 1°) non tamen electio à populo: sed, saltem alicubi, electio à solo clero; – 2°) et ubi populus interveniebat, – non propriè ad eligendum, sed ad ferendum testimonium de vita ordinandi: aliud porrò est testis, aliud judex qui electionem concludit et definit. Documenta Cypriani, Origenis, Alexandri Severi imperat. pagani, Leonis M. – III Sicubi populus verè elegit, id non fuit nisi concessio localis et particularis: et id prohibitum est à pluribus Conc., etiam aecumenicis: atqui non potuisset prohiberi et damnari, si fuisset de jure divino – IV Ipsum publicum testimonium populi non est de jure divº propriè et in se, dummodò mediis aequivalentibus suppleatur: exemplum ipsius Cypriani illud omittentis. Propter abusus, Ecclesia igitur meritò illum usum abrogavit. – V. Arg. ex Trid. s. 23 can. 8 668-678

Corollar. (contra DD. Bougaud) „Suffragium universale" in Ecclesiâ regnavisse, est merum figmentum . . . . . 678.

Schol. I. Obj. pro multitudinismo. – Matt. XVIII. 15: „Dic Ecclesiae": – „Ecclesia", hic judicans ultimatim, a) potest et b) debet intelligi, non de tota multitudine fidelium, sed de collegio Pastorum (imò etiam

de R. Pontifice solo): ex aliunde cognitis, ex ipso contextu, ex parallelismo, ex interpretatione practicâ Pauli, ex interpret. Patrum. – Et cum hoc, gradatio loci satis servatur – Praeceptum hoc Christi refertur ad „Ecclesiam Christi„ (Matt. XVI) futuram. – Fideles Corinthii non judicant propriè cum Paulo excommunicante vel excommunicatum absolvente, sed assistunt ad solemnitatem, vel intercedunt suis meritis. – Apud Aug. „ligant et solvunt„ omnes justi orando pro conversione peccatorum: sensus accommodatitius, neque actus ibi auctoritativus. – „Seniores„ cum Apostolis gubernantes, non sunt laici: quid de decreto Conc. Hierosolymitani. – Laici docentes, non ideo regentes. Potuit initio Ecclesiae dari laicis permissio generalis docendi. – Epistolae ad totam multitudinem directae . . . . . -679-687.

Schol. II. Utrum Ecclesiae regimen nihil aliud sit quam evolutio seu imitatio regiminis synagogarum Judaicarum. – 1° Falsae conclusiones quae ex illa hypothesi deducunt. – Synagogae probantur habuisse veram jurisdictionem. – Si Christus imitatus esset synagogas, nihilominus regimen Ecclesiae esset de jure divino. – 2° Ipsa hypothesis falsa. a) In Ecclesiâ probata est centralis auctoritas, – b) verum sacerdotium. – c) Patres. Duplex sensus vocis „Synagogae„. – Solvuntur objecta . . . . . 688-691.

APPENDIX De coelibatu ecclesiastico.

II. Rationes congruentiae, fundamentum praesentes legi positivae: – Status sublimior; – imitatio X^i; – puritas ad sacra mysteria obeunda; – habilitas ad orationem; – animarum cura impeditur curis familiae, etc. – independentia Ecclesiae. – Ob haec, coelibatus non tantum consuli, sed et praecipi potuit, his qui sponte volunt statum clericalem assumere, et gratiâ adjuvante. 691-693

II. Coelibatus ecclesiasticus, ut lex, non est de

jure divino sed ecclesiastico : sententia communissima, probatur . . . . . 694.

III. Sive ut lex, sive saltem ut pia consuetudo, apparet ubique repressis in primis Ecclesiae saeculis, et sic ad Apostolos ascendere. Documenta tum Occidentis tum Orientis . . 694-696.

IV. Procedente tempore, negligentiae (testim. S. Epiphanii), concessiones : per canones Trullanos statuitur in Oriente disciplina postea vigens apud Graecos, tolerante Eccl. Romana. — In Occidente, repetitae Conciliorum et Pontificum sanctiones contra clerogamiam ; saeculo praesertim XI magnum certamen (Greg. VII); saec. XII non tantum illicita sed et invalida declarantur coniugia clericorum . . . . . 696.

DISPUTATIO IV.a

De ritu per quem intratur in aliquem hierarchiae (ordinis) gradum, seu de Sacramento Ordinis.

SECTIO 1.a

De existentia Sacramenti Ordinis.

Thes. XXVI. Aliqua saltem ordinatio est verum ac proprie dictum Novae Legis Sacramentum 697-705

St. qu. Quaenam ordinatio, quaeretur in thesi seq. : nunc loquimur in confuso, contra protestantes negantes omne sacram.m Ordinis.

Prob.t Expenduntur I Tim. IV. 14, et II Tim. I. 6 (loci paralleli). — 2. Traditionis arg. generale, ex solemni connumeratione septem Sacramentorum, etiam apud schismaticos antiquitus separatos — 3. Textus Patrum de effectu ordinationis — 4 Definitio Tridentini . . . . 697-705.

Scholion Praeter gratiam (effectum communem

omnium Sacramentorum V. L.) « per sacram Ordinationem imprimitur character » (definitio Trid.), in quo fundatur potestas ordinis. Sacramentum cum obice susceptum, quamvis gratiam non conferat, tamen confert characterem: qui est effectus primarius hujus sacramenti: gratia non datur nisi propter illam potestatem rite exercendam, et consequenter ad eam (in ordine intentionis). — Sacramentum Ordinis definiri potest vel à primario vel ab utroque effecto . . 705-707.

Thes. XXVII. Ratio Sacramenti proprie dicti invenitur non tantum in ordinatione presbyterali, sed etiam in episcopali, — 2 et diaconali . . . . . 707-721.

St. qu. Est controversia inter Catholicos: — non quidem de presbyterali ordinatione (quae breviter probatur esse sacramentum), — sed maxime de episcopali: nostra sententia, hodie communis, non revera habuit olim contra se « consensum Theologorum » (Canonistae): — imo Scholastici apparenter adversi, plerique saltem, probantur differre in quaestione potius verbali et secundaria. . . 707-711.

1a pars infertur a) ex iisdem textibus Script. et Patrum plurium, quibus solet ab omnibus Catholicis probari in genere sacramentum Ordinis (cf. thes. praecid.) & nam in his agitur praecise de ordinatione episcopali; — b) ex Trid.: « non frustra dicit Episcopus: Accipe Spiritum S. » — Confirm. ratione congruentiae. — Obj. Scholastica theoria de extensione characteris presbyteralis; item de septem ordinum enumeratione, quae satis est fundata, sed non exclusiva: Episcopatus numerari potest ut distinctus ordo, tum ex natura rei, tum ex usu Patrum. Trid. de numerandi modo nihil definivit. — Invalida ordinatio, si non praecessit presbyteralis. . . 711-719.

2ª pars : Traditio ; Trid. (Accipe Spiritum Sanctum) ; consensus TT. – Obj. jam solutæ in thesi VIII 719-721

Thes. XXVIII. Subdiaconatus, et quatuor qui dicuntur « Ordines minores », sunt quidem veri ac legitimè instituti Ordines : – a) attamen non conferuntur per ordinationem quæ sit propriè Sacramentum . . . . . 722-737.

St. quæ. Protestantium calumniæ contra institutionem illorum officiorum. – Definitio Trid . – 1ª pars prob. – 1°) Legitima institutio, etsi ab Ecclesiâ : non defuit jus instituendi, nec motivum . Illorum officiorum veneranda antiquitas ex documentis. – 2°) Dici possunt veri « Ordines », in sensu stricto : quæ conditiones ad hoc requirantur . – Ad obj.es : – Laici quomodò adhibiti ad ea officia, – discrimen veri « Ordinis » et veri « Sacramenti » ; – divisio in ordines sacros et non sacros. – Quid de tonsura 722-728

2ª pars (contra plerosque Scholasticos : tamen non fuit olim consensus . Ipse S. Thomas dubius . Quomodò paulatim invaluerit nostra sententia : hodie communissima, præsertim quoad ordines minores) prob. I quoad 4 minores : 1. ex usu Græcorum, 2. ex tolerantia laicorum in his officiis, 3. ex Urbano II, 4. ex defectu fundamenti pro sententia adversa, 5. ex non-existentia illorum ordinum in documentis quorumcumque primorum sæculorum. – II : Quoad Subdiaconatum probant plura ex iisdem argumentis. – Nec valet contra, quod sit ordo sacer, seu major : hujus qualificationis sensus, et variationes . – Nec productio gratiæ asseritur in Liturgiâ. – Digressio de diaconissis . . . . 728-737.

Obj. contra 2am p. – Cur nequeant iterari. – Enu-

mereatio materiarum etc. in Decr. ad Armenos; -
Definitio Trid. de «Ordine»: an suppositio adaequata?.. 737-740
Coroll. de hierarchia ordinis, strictius vel latiùs sumpta, 740-741.

SECTIO 2ª.

De ministro, materiâ et formâ Ordinis.

Thes. XXIX. Sacramenti Ordinis, et omnium generatim ordinationum in Ecclesiâ, minister est solus Episcopus: quoad praecipuas ordinationes solus simpliciter, quoad alias solus minister ordinarius.
Prob. remittendo ad thesim V. – Ecclesia tantum definivit, esse ministrum ordinarium: sed aliquid amplius probatur et tenendum est 741-743
Thes. XXX. Impositio manuum, eaque sola, cum verbis ad eam pertinentibus, est materia et forma essentialis sacramenti Ordinis . . . . . 744-762.
St.q. Sententia contraria non fuit communis Scholasticorum: exceptiones: Nostra hodie communior, 744-747.
Prob. 1°) Ab initio per multa saecula, etiam in Occidente, sola impositio manuum adhibebatur. Object. solvuntur — 2°) Graeci non habent nisi eam: obj. solv. 747-752.
Effugium adversariorum: Ecclesia potest determinare et mutare aliquorum Sacramentorum materiam et formam. Transmissâ hac theoria, negatur applicatio ad casum: nam deberet saltem probari factum mutationis, lex positiva Ecclesiae id faciens pro Latinis. – Atqui decretum Florentinum ad Armenos, quod solum affertur, nequit esse illa lex: nam debuisset clare exprimere intentionem id mutandi, extensionem legis, debuisset dirigi ad Latinos vel ad eos promulgari, etc. – De valore dogmatico illius decreti: non esse infallibile, ex multis indiciis probatur . . . . . 752-762.
Scholion I. Quae manuum impositio (cum quâ formâ) sit de essentia Sacramenti, in ordinat. presbyterorum. 762-767.
Schol. II. Solv. obj. – Manuum impositio, symbolum aptissimum.. 767-770.

A. M. D. G.

BC 3057411

Braine

Le Comte

Emile Lecomte